


Ex Libris
Josephi Antonij
Bogusz

Donatum per eund. 55 Als
Mitaviæ

STATUTA
REGNI POLONIÆ
IN ORDINEM ALPHABETI
DIGESTA:

A

JOANNE HERBURTO
DE FVLSTIN,

TVM SVCCAMERARIO PREMISLIENSI, ET S. R. M. SECRETARIO, poſt verò CASTELLANO Sanocenſi, & CAPITANEO Premisliensi;

Propter exemplarium inopiam recuſa.



PROSTANT

Dantiſci apud Ægidium Iazonum Waesbergæ &
Varſauiæ apud Ioannem Tobiam Kieller..
MDCXCIII.

1693

WiMBP
Opole

SERENISSIMO PRINCIPI ET DOMINO D. SIGISMVNDO

AVGVSTO, REGI POLONIÆ, MAGNO DVCI Litwaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ,&c. Domino & Hæredi, Domino suo Clementissimo.

IOANNES HERBVRT DE FVLSTYN, S. D. Suaque humillima obsequia commendat.

Studiũ REGVM POLONIÆ in ordinandis LEGIBVS.

CREBRAS ego sæpe, ac diligentes, ad vos Reges Poloniæ, ab Equestri ordine fundi preces animadverti, Sigismunde Auguste Rex: quo aliquando tandem LEGES REGNI vestri in eum ordinem redigerentur: vt singuiæ, de quolibet negotio, atque de singulorum Regni vestri Ordinum Officio, vna serie continerẽtur Sic enim quisque, qui voluerit aliquas Leges invenire,& eas quæ eiusdem sententiæ sint, & quæ sibi repugnent, vno eodẽque in loco positas cerneret. Petitum hoc est à Sereniſſimo, omniumque sæculorum prædicatione digniſſimo REGE Patre tuo, quod ille (quæ ipsius erga subditos clementia, quod erga Rempub: studium fuit) facturum se receperat: certosque luriſperitos, qui id negotium conficerent, non sine magno sumptu destinarat. Quòd autem huic operi summa manus imposita non sit: non per Regem optimum, sed nescio per quos stetit. Post demortuum deinde illum, nihil vtique idem Equestris ordo de suis precibus, Petricoviæ, in Comitiis proximis, apud te remisit. imo verò maiore etiam contentione petiit: vt LEGES singulæ, quarum beneficio & tu latè regnas, & nos feliciter dicto paremus tuo, ita examinarentur expenderenturque: vt si aliquarum vsus commodo Reipub: esse posset, eæ in vnũ locum colligerentur: quasique recenti tempore promulgatæ, omnes tenerentur. sin minùs: omnium ordinum consensu antiquarentur. Hoc enim pacto, à Legibus omni ambiguitate perplexitateq; remota, & Iudici, quid in iudicando sequi deberet, præ oculis semper esset: & singuli Magistratus, Officiis suis, sine vlla prævaricatione, facilè fungerentur. Tam honestas igitur Equestris

ordinis preces Maiestas tua cernens, eis benignè annuit: concessitque, (quid enim tu, quod ex utilitate Reipub: esse possit, non concederes?) vt certi è Senatorio, certi itidem ex equestri ordine, viri deputarentur: qui Librum Legum diligenti iudicii sui trutina expendentes, singulas ita examinarent: vt nihil in eis varietatis, nihil ambigui relinquerent. Hoc igitur illi dum ex mandato tuo diligenter agunt, plurimum difficultatis atque moræ huic instituto confusionem legum afferre, re ipsa sunt experti. Leges etenim diuersis locis dissitæ, cum in inueniendo multum operæ temporisque capiebant: tum in iudicando, non mediocres turbas ciebant. Cum enim de vna aliqua Lege certa iã suffragia essent, certaque sententia staret: mox ab alio, de eadem re contraria lex, ex longè diuerso distantique loco, afferebatur quæ & priori derogabat: & sententiam latam atque fixam, in dubium vocabat. Quæ res tandem effecit: vt viri illi: alioquin industrii, de toto negotio desperantes, & trimestri spatio frustra laborantes, præclaros illos suos conatus (licet nonnullæ etiam aliæ causæ interceserant) relinquere essent coacti. His autem omnibus rebus, cum & ego interfuissem, ac pars etiam aliqua horum fuissem, subiit statim cogitatio: vt varietatem hanc legum atque confusionẽ, & quæ ex ea sunt incommoda (si quomodo possem) tollerem: legesque omnes ita digererem: quo & facilimè reperiri, & commodissimè intelligi possint. Ad hoc itaque perficiendum, post multas cogitationes, hæc commodissima visa est ratio: vt personarum, rerum, actionum, obligationum, de quibuscunq; Leges loquerentur, & quorum in Legibus mentio, in foro vsus aliquis esset, sua nomina tanquam capita colligerem: eaque per seriem Alphabeti distinguerem. quo facto, leges deinde omnes, quæ ad illa nomina certo ordine posita quoquo modo pertinebant, ex diuersissimis locis in unum comportavi. Simplex hæc quidem, & quæ ad aliorum, qui hoc idem tentarunt, collata industria, non multum fortasse erudita videri possit digerendi ratio. sed qua, ad explicandam illam confusionem, nulla fortasse fuerit commodior: & quam ego, cum amicis quibusdam meis, valde utilem esse sum expertus. Nã de quacunque re Legem habere voles, & quotquot (si plures fuerint) voles, vocabulo rei admonitus, obseruatâ saltem nominis primâ literâ, suo loco statim invenies. quibus etiam sub vno capite inter se collatis, facillimè easdem intelligas: ac in usum tuum, parvo negotio sumas: dum quid cum re, de qua Leges loquuntur, aut quid ipsæ etiam secum vel conueniant, vel dissonent, adverteris. Cæterùm si non omnibus satis adhuc fit: & si ne hac quidẽ ratio-

Confusæ Leges Colonorum.

Confusæ Leges quomodo illustratæ.

ratione, omnes legibus aptè vti poterint: illi utique, quibus tua Maiestas superfluas, contrarias, inutilesque Leges aliquando immutare iusserit, paratam rem habebunt: & quantum quidque vsibus Reipub: serviat, facilè cognoscent. Hoc autem quicquid operæ nostræ est, Maiestati tuæ, Legum omnium Patrono atque Authori dedico: nihil dubitans, Maiestatem tuam benigno & hilari animo, laborem hunc nostrum excepturam. Sive enim quid præstitimus: non deerit nobis, apud iustissimum tuum ingenium, debita gratia. sive nihil: voluntatem nihilominus nostram Reipub: prodesse cupientem, ipse optimus & clementissimus probabis. Obsequia tandem mea humillima Maiestati tuæ commendo à Deoque Opt: Max: supplex oro: quo iisdem Legibus salvis frui in perpetuum, te posterisque tuis regnantibus, possimus.

Datum Bunouicijs, ex meo rure patrio, Mense Ianuario Anno Domini 1563.

IOAN-

IOANNES DE OCIESSINO REGNI POLONIÆ CANCELLARIVS, CAPITANEVS GENERALIS CRACOVIENSIS, Oſwiecimenſis, Samborienſis, &c. Ioanni Herburt de Fulſtin, Succamerario Premisliensi, S. R. M. Secretario, &c. S. D.

QVM à negotijs, curiſque publicis, ſub abſentia Sereniſſimi REGIS paulò liberior eſſem factus: ad viſendam Præfecturam meam Samborien. quæ mihi eiuſdem M. REGIÆ gratiâ, paulò ante demandata fuit, profectus ſum; vbi cum tu me pro veteri conſuetudine, lociqué vicinitate ſæpius inviſeres, & familiares mecum multis de rebus ſermones conferres, memini, cum de Legibus diſſereremus (ſine quibus nihil eſſe poteſt, ad Reipub: diuturnitatem ſtabile) te mihi reſpondiſſe: Quòd omnes REGNI Leges, & Conſtitutiones, in certum quendam ordinem & modum redegeris, quàm benè, aut quàm feliciter, id te iudicio aliorum reliquiſſe. Quod tuum ſtudium, gnauitatem, animum in Rē-

Teſtimonium huic operi datū.

pub: tum collaudaui. Veræ enim virtuti, veram laudem omni loco tribuere, ſemper honeſtum eſſe exiſtimaui. Poſteaquam autem mihi eius libri copiam feciſſes: facilè legendo animaduerti: præ hac perſpicuitate quam in hoc opere adhibuiſti, aliorum ſtudia in hoc ipſo genere, penitus eſſe reſtincta. Nam (quantum ego quidem iudicare poſſum) ſic ſcitè & eleganter ſingulas loco ſuo collocáſti: ita aptè capitulis diſtinxiſti, Indice illuſtráſti, ac omnem à Legibus perplexitatem, tanquam ab oculis caliginem diſpuliſti: vt facile iam quiuis, & ſine faſtidio, ſingulas Leges ad uſum ſuum reperire poſſit. Quare cum huic Reipub: in qua maiores tui, propter plurima virtutis ornamenta, & plurimos Magiſtratus geſſerunt, & maximis honoribus perfuncti ſunt, & tam pace quàm bello ſemper magni atqué clari extiterunt: (quorum laudis ac virtutis, duo tui optimi & moderatiſſimi fratres, Reuerendiſſimus Dominus Epiſcopus Premisliēſis, & Caſtellanus Leopolienſis, viuam & expreſſam imaginem, etiam nunc in Senatu referunt) cum inquam huic Reipub: cuius clariſſima luce perfruimur, & quam pro uirili omnes iuuare debemus, tam præclaram, tamq; neceſſariam operam nauaueris: nihil videris, neq; melius, neq; laudabilius facere potuiſti. Ea enim ſola vera, & præſtās virtus habetur: quæ eſt fructuoſa alijs, ſibi laborioſa & gratuita. Quamobrem ſi quid operis tibi etiam nunc reſtat; id ut celeriter perficias, sūmopere cenſeo: & quod cōmune eſſe debet, priuatim domi diutius ut ne premas ſed ocyus in publicun edas. vt doctrinæ, iudiciiq; tui fructus, non tibi ſoli, ſed etiā Reipub. cōſtare poſſit. Id ut facias: non ſolùm tibi ſuadeo: ſed te etiā plane rogo. Quo autē maiu, & utilius id eſt, quod præſtitiſti: hoc etiā maiorē, ab omnibus, & gratiā & laudē referre debes. Vale.

Adhortatio ad opus hoc diuulgandum.

IOAN-

IOANNES HERBVRTVS, SVCCAMERARIVS PREMISLIENSIS, S. R. M. SECRETARIVS, &c. AMICO LECTORI S. P. D.

QVi ſe in Repub. Ciuem, non peregrinum, ſemper eſſe haberiq; volet, Lector amice: neceſſe eſt, meo quidem iudicio, vt Leges, mores, conſuetudines patrias, quàm optimè teneat. Has enim niſi ritè cognorit: perpetuo ſe hoſpitem in Repub· agnoſcat oportet. Omnibus namq; incommodis, quibus ij, qui hinc inde commeant premuntur, eundem affici videas. Vt enim illi, ignari Legum, ac inſtitutorum loci, ad quem appellunt, ſæpius contra Leges peccant: ac etiam; magno cum dignitatis ſuæ & facultatum diſpendio, à leuiſſimo quoque circumueniuntur: ſic propemodum ijs, qui Reipub. ſuæ leges minimè nōrunt, euenire cernas. Expertes enim Legum, in vetita præcipites ruunt: atq; inde pœnis, quæ prævaricatores ſequi ſolent, puniuntur: & à nullius precii hominibus Cauſidicis; qui ſe cautionum prudentes eſſe volunt, cum veriūs captionum ſint, turpiſſimè, pro libito eorum magnâ rei familiaris iacturâ tractantur. Alios namq; iſti ſpe vana ducunt: alios (prout ipſis maioris lucri emungendi ratio expeditior videtur) in portu navigantes, inturbulentum longiorum litium pelagus detrudunt, quo ſumptus prouentuſq; ſibi diuturniores comparent. Quæ omnia ſinguli effugerent: ſi in cognoſcendis patriæ legibus, plurimum operæ, curæ, ſtudiique ponerent. Suæ enim cauſæ quiſq; conſultor, Patronus, ac deniq, Iudex eſſet. His ego incommodis, quæ dixi, permotus: ciuemq, me, quàm peregrinum eſſe malens: Legibus noſtris euoluendis, ediſcendiſq; animum adieci: atque quo memoriæ commodiùs mandare, & ſi quid aliquando vſus poſtularet, faciliùs reperire ac proferre poſſim, in hanc, quam vides, Alphabeti ſeriem redegi: ſatagens ſtudio maiore, quo potui, vt ſingulis dictionum capitibus, quas hîc ſe ordine conſequi vides, Leges omnes, quæ à primis in dictionibus literis inciperent, continerentur. Eam verò in digerendis legibus operam noſtram, hoc propoſito, vt mihi ipſi commodo eſſe poſſit factam, cum diutius domi preſſiſſem, accidit aliquando: vt cum Magnifico Domino Ioanne Ocieſſio, Regni Cancellario, viro omni laude digniſſimo, multos conferrem ſermones, inter quos etiam huius operæ, in digerendis legibus præſtitæ, mentionem feci. Mox, vt rationem inſtituti noſtri explicarem, iubet: ediſſerui ego. qua quidem ratione explicatâ à nobis, non contentus ille,

LEGES patriæ cognoſcendæ.

Ratio ordinatarū Legum.

Occaſio in lucem edendarum.

illie, etiam Opus se videre velle dixit: ostendi: diligentiùs expendere, videreque cæpit. Tandem, quæ illius viri humanitas, atq; erga omnem ingenii significationem studium benevolentiaq; est, collaudauit conatus operamq; nostram: atque ne intra priuatos parietes diutius premerem, amicissimè simul & grauissimè, tum præsens, tum per literas admonuit, hortatusque est. Cuius ego viri authoritatem sequutus, in publicum id, quicquid est operæ nostræ, edendum existimaui. Cur enim eius viri authoritatem non sequerer: qui per omnes ætatis progressus, tot honorum gradus suopte nixu, nullo manum porrigente scandens, non ante finem scandendi fecit: quàm ad culmen honorum evasit? vt non fortunæ beneficio, sed suo merito peruenisse eo, credi possit, cuius ea vis esse ingenii, ea indoles animi cernitur: vt quocunque loco natus esset; tempus, licet iniquissimum incidisset, fortunam ipse sibi facturus videretur. Huius itaq; tanti viri suasu, Lector amice, hoc levidense munusculum tibi offero. Neque verò me præterit, aliorum præclara, hoc in genere Legum digerendarum extitisse studia, de quorum ego opera, Reipub. præstita, id statuo: quod ab homine, alienæ industriæ minimè inuido, statui debet. eos scilicet plurimum Reipub. utilitatis attulisse. Hoc tamen nostri quicquid etiam est erga Rempub. studij, atque operæ tibi Amice Lector gratum fore, nihil dubito. Tantò etenim hanc nostram Legum digestionem, tibi vtiliorem cognosces: quantò & ad cognoscendum est facilior. & ad inueniendum accõmodatior: quàm illorum, qui præclaro ingenio prædi-ti, ad hanc simpliciorem rationem demittere se noluerunt. Ego enim illud vulgatum sequutus sum A ,Rudius scilicet, dum planius. Nam cũ rarissimus, ac vix aliquis ex nostratibus sit, qui non aliquam literarum cognitionẽ habeat: quomodo non quisque iam hac ratione Leges, quibus opus habuerit facillimè reperiet: primâ saltem dictionum, sub quas Leges collegimus, literâ admonitus? Nec verò propterea Lector amice, quòd tu hæc iam planissima, facillimaque videas & habeas, mihi quoque facili ac exiguo labore, hæc constitisse putabis. Quomodo enim in re tam cõfusa, & tam perplexa ac intricata, vt tu nihil amplius laborares hærereue, sed omnia in prõptu haberes, sine multo & magno labore meo præstari potest; præsertim cũ nõ ex Indicibus aliquibus, Leges in hunc ordinẽ collegimꝰ: sed toties totum corpus Legum peruoluentes, singulas suo loco in libris Statutorum sitas, primùm vidimus, & annotavimus: tum de quo loquerentur, quem sensum haberent, quorsum pertinerent, examinauimus: denique diuersissimis ex locis, in unam sedem coadunauimus. Quod equidem ita factum esse à nobis cum diligentiùs, in investigando animum attẽderis, cognosces. Sed ego operam hanc meam, quam tecum, summa cum alacritate animi communico, commendare nihil volo, tu Lector, si hanc (vt spero) vtilem fore experiêre, vtere non ingratus: ego iam ut omnis huius libri ratio & ordo tibi simul pateat, ipsam dictionum seriem explicabo. VALE.

Vtilitas huius Methodi, in ordinandis Legibus.

HÆc autem METHODVS, in hisce LEGIBVS servata, mox è prima nominis litera, omnes de una re LEGES ostendit. vt de BELLO, litera B. de CITATIONE, litera C. &c.

§ NVMERVS etiam primus, in margine positus, ANNVM LEGIS conditæ indicat: alter verò FOLIVM, in veteri Statutorũ libro (nihil enim Autor hic addidit) scriptum.

§ In LEGIBVS autem SIGISMVNDI REGIS, ANNI 1527. 1532. & 1538. LITERÆ ALPHABETI, loco Foliorum annotantur.

STATV-

STATVTA REGNI POLONIÆ IN ORDINEM ALPHABETI DIGESTA.

ABBATES. ABB.

Conventus Lubinensis Abbatem electum Regi præsentet.

IN NOMINE DOMINI. Amen. Nos ALBERTVS, Abbas patientia Divina, Ioannes prior, Venceslaus Præpositus in Antiqua Gostyn, Martinus Custos, & Ioannes de Krobia, Fratres Conventus Monasterij in Lubin, Posnanien. Diœcesis, Nostro & totius dicti Conventus nominibus. Significamus tenore præsentium, quibus expedit, universis & singulis tam præsentibus, quàm futuris, horum notitiam habituris: Quòd quanquam de Iure & consvetudine, post cessum & decessum Abbatis cujuslibet, præfati Monasterij nostri Lubinensis, ad nos nostrumq; Conventum, futuri Abbatis Canonica electio spectat & pertinet: post verò Canonicam & legitimam electionem, per nos nostrumq; Conventum in fratrem Conventûs nostri Canonicè factam, ante confirmationem provisionemve & consecrationem, prout ex debito tenemur, eundem fratrem electum, per se vel per alium fratrem Conventus nostri, Serenissimo Principi & Domino, Domino Kazimiro, Dei gratia Regi Poloniæ, Magno Duci Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Domino & hæredi, &c. & ejus Successoribus, debitum honorem exhibentes, tanquam Patrono & Domino gratiosissimo repræsentare: necnon hujusmodi electionem Abbatis futuri intimare, & notificare spondemus, & præsentibus pollicemur: ac etiam à sua Serenitate, & Successoribus legitimis, humiliter votum petere, & consensum gratiosum postulare, & impetrare: prout ad hoc de Iure & consuetudine tenemur: in quem sua Serenitas benigna pietate præbebit votum gratiosum, & consensum. Ad hujus quidem electi nostri provisionem, confirmationemve & consecrationem, absq; consensu præfati Sereniss̃imi Domini Regis, vel suorum successorum, nullo modo procedemus, nec procedere volumus: donec priùs consensus de super Regius fuerit nobis benigniter datus. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum, præ

sentes

sentés literas per Nuntium publicum scribi procuravimus: Sigillisque Abbatiatus & Conventus nostri fecimus communiri. Actum & datum Posnaniæ, die Mercurij, IX. Mensis Iulij, Anno Domini 1460: Indictione octava, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris Domini nostri Pij Papæ secundi, Anno secundo: in Castro, in Sala superiori Castri præfati Posnanienſis, hora Vesperorum: Præsentibus ibidem Reverendissimis, Magnificis & Generosis Dominis: Andreà Dei Gratia Episcopo Posnanienſi: Ioanne de Brzezie utriusq; Iuris Doctore, Sacri Palatij Apostolici causarum Auditore, Archidiacono Gnesnenſi, & R P. Vicecancellario: Stanislao de Ostrorog Posnanienſi Palatino: Ioanne de Czarnkow Gnesnenſi, Petro de Gay Calissienſi, Castellanis: Stiborio de Poniecz, Succamerario Posnanienſi, & Capitaneo Majoris Poloniæ Generali: Sandivvogio de Lazizanice, Succamerario Sandomirienſi: Nicolao Tomicki, Vexillifero Posnanienſi: & Petro Dunin de Prawkowice, Marsalco Curiæ Sereniſſimi Domini Kazimiri Regis Poloniæ: & alijs quàm plurimis testibus, circa præmissa.

Nec Episcopus Posnanienſis, ad Consecrationem Abbatis Lubinenſis procedat: nisi Regia M. ad eandem consentiat.

Fol. 75. ANDREAS Episcopus Posnanienſis, Significamus tenore præsentium, quibus expedit universis: Quomodo volentes Regiam Majestatem ad futura tempora, prout tenemur, ex debito honorare, promittimus præsentibus & spondemus: quòd exnunc in antea, ad nullius electi ad futurum Abbatem Monasterij Lubinenſis Diœcesis nostræ, qui per Fratres Conventus illius Canonicè electus fuerit, provisionem, consecrationem, ac etiam confirmationem procedemus: nisi priùs per Capitulum Conventus sui, post electionem Canonicam de eo factam, Sereniſſimo nostroq; gratioſissimo Domino Kazimiro, aut suo successori, Dei Gratia Regi Poloniæ, Magno Duci Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæque Domino & Hæredi, præsentatus fuerit: & in ipsum Serenitas sua consenserit: Harum, quibus Sigillum nostrum est præsentibus subappensum, testimonio literarum. Datum Posnaniæ, Feria quinta post Octavas Glorioſissimæ Virginis Mariæ proxima, Anno Domini, 1460. Præsentibus ibidem Reverendissimo in Christo Patre Domino Ioanne, Dei Gratia Episcopo Vladislavienſi, & Regni Poloniæ Cancellario: nec non Magnificis & Generosis Dominis, Luca de Gorka Posnanienſi, Stanislao de Ostrorog Calissienſi, Palatinis: Petro de Gay Calissienſi, Ioanne de Czarnkow Gnesnenſi, Castellanis: & Petro de Poniecz, Succamerario Posnanienſi, & Capitaneo Majoris Poloniæ generali: testibus circa præmissa.

Poloni ad Monasteria Regni (nisi Privilegia Germanorum obstent) suscipiantur.

Item

ITem iniquam consuetudinem quorundam in Regno nostro Monasteriorum tolleret cupientes, ad quæ fratres gentis duntaxat Germanicæ susciпi solent, in contemptum Polonicæ nationis: Statuimus, ut quisq; Dominorum Episcoporum, in sua Diœcesi videat Privilegia talium Monasteriorum: & si ijsdem Privilegijs id non sit expressum, ut soli Germani ad dicta Monasteria susciпiantur, provideat: ut promiscuè Poloni & Almani deinceps recipiantur. *Sigismundus Petric. 1511 Fol. 19.*

Abbates tamen, & Præpositi Monasteriorum, ex Nobilibus, aut si ij defuerint, ex Plebeis, modo sint Poloni, creentur.

FRequentibus magnisq; petitionibus, atque clamoribus subditorum nostrorum permoti: cernentes omnia Monasteria fermè in Regno nostro, ex munificentia & liberalitate, non solùm antecessorum nostrorum Poloniæ Regum atq; Principum, sed etiam Baronum & Nobilium facultatibus, bene dotata esse: & nunc quoque Nobilitatis favore plurimum indigere: Cavent es etiam, nec nova dogmata ex Germania ad Regnum nostrum, præsertim verò ad quædam Monasteria in ditionibus nostris, per homines nationis illius inferantur: Et ne Monastaria ipsa, quæ jam magna ex parte desolata cernuntur, ad interitum, ob defectum personarum deveniant: Statuimus ut deinceps futuris perpetuis temporibus, nemo in Abbatem cujuscunq; Monasterij in Regno nostro, aut etiam in Præpositum eligi debeat, aut possit: nisi qui sit natione Polonus. hac cautione adiecta: ut in eodem Monasterio aliquis, ex Nobili genere procreatus, & idoneus Monachus reperiatur, in Abbetem ante alios eligi & recipi debeat: atque, per nos loci Ordinario præsentari. Vbi verò nullus Nobilis idoneus, in eodem Monasterio reperietur: nunc ex alio Monasterio ejusdem Ordinis & Religionis, vir Nobilis & idoneus erit deligendus, seu postulandus. In defectu autem Nobilis idonei, licitum erit & liberum, plebeium idoneum, natione Polonum, in Abbatem eligere, de cujus idoneitate & natione, loci ordinarius Episcopus, nos per literas si as certiores reddet: ut sciamus, quem & qualem ei præsentare debeamus. *Sigism 1538 d 4.*

Simile de Abbatibus: & quod in nonnullis Monasterijs, nunc Germani, nunc Poloni, in Abbates eligantur. Præterea, ut Polonis ad Monasteria Germanicá ingreſſus pateat.

DE Abbatibus Decretum per nos factum, in superioris Anni Comitijs, ratum sumus & firmum semper habituri: neq; præsentabimus quenquam loci Ordinario: nisi quem Nobili loco natum & secundùm dispositionem Statuti Piotrkovienſis, Anni Domini 1538. electum comperiemus. Quòd si quis non legitimè fuerit electus: dabimus operam, ut Domini Episcopi electionem nullam hujusmodi esse pronuntient: ac de alio idoneo, ut Statutum disponit, in locum illius sufficiendo, sint *Sigismundus Crac. 1539*

soli-

ſoliciti, certas tamen ob cauſas, viſum eſt nobis: ut in his Monaſterijs, quæ partem bonorum ſuorum extra Regnum habeant, quædam fieret viciſſitudo: ut alternatim Abbates, nunc Germani, nunc Poloni eligerentur. Dominis autem Epiſcopis curæ erit: ut in quæ Monaſteria ſoli Germani reciperentur, in ea quoq; Polonis, pateret aditus, & ingreſſus.

Monachorum Abbates ex Nobilibus ſint, qui verò neq; in Eccleſia, neq; in Politia, aliud habent officium, Scholas Nobilium puerorum inſtituant.

Sigiſ. Auguſtus Petric. 1550. VT donationes Monaſteriorum conſervari poſſint facilius: renovandoq; Statutum, anno 1538. conditum: Statuimus, ut nemo in Abbatem eligatur: niſi Polonici, Nobilis ex Patre & Matre, generis: & homo idoneus. Quòd ſi in eo Monaſterio, in quo Abbatia vacabit, non reperiretur profeſſus idoneus Nobilis, inibi aſſiduè & antiquitus habitans: ut ex eadem Dioœceſi, in qua eſt Monaſterium, Nobilis idoneus ſtatus Spiritualis eligatur, & poſtuletur in Abbatem. Cumq; ſic eligetur in profeſſus, debebit per nos loci Ordinario præſentari: & poſtea per illum inſtitui, vel confirmari in Abbatiam, & (Regulam) profiteri.

Et quoniam non eſt tantus numerus Monachorum in Monaſteriis, quantus fuerat antea tenebuntur Abbates certum numerum puerorum Nobilium fovere, in Monaſteriis: & illos inibi hominibus doctis, artibus liberalibus dare inſtituendos: juxta quod unicuiq; Abbati, Domini Epiſcopi illorum locorum conſignabunt & nominabunt.

ABSENTES.

Abſentes quomodo citandi.

Kazim. Magnus Vislicia Anno Domini, 1368, CVm aliquis pro hæreditate citatur: & comparens in Iudicio, malitiosè opponit: Quòd Petrus vel Ioannes in remotis partibus eſt conſtitutus, cohæres ejuſdem hæreditatis: cùm tamen forſan idem Petrus vel Ioannes, nihil Iuris habeat ad éandem: ideo ille citatus dicit, ſe non teneri reſpondere, pro eadem hæreditate: propterea quòd Petrus vel Ioannes cohæredes ſui agerent in remotioribus: Quapropter ſtatuimus: Quòd taliter Petrus vel Ioannes in Iudicio nominatus, de mandato Iudicis, in aliquo eminenti loco, vel circa Parœchiam, de qua Parochia eſt hæreditas, pro qua eadem quæſtio movetur, per Miniſterialem tribus vicibus publicè proclamando, ad profecutionem ſeu defenſionem cauſæ, ad certum locum & terminum debebit citari quo non comparenté, ipſius contumacia ſeu abſentia non obſtante, ad deciſionem ſeu definitionem cauſæ, licitè per ſententiam definitivam procedatur.

Qui

Qui abeſt in proprio diſtrictu.

Kazim. Magnus Vislicia Anno Domini, 1368, POrrò cùm quis extra terram ſit, & pro termino peremptorio citatur: eidem octodecem ſeptimanarum terminum incluſivè, pro primo videlicet termino ſex ſeptimanas, pro ſecundo alias ſex, pro tertio ultimas ſex, præfigendum declaramus. Quòd ſi intra hæc tempora non paruerit: Iudex ad definitivam ſententiam procedat, hujuſmodi contumacia non obſtante.

§ De Abſentibus Dignitariis, in Colloquiis: Vide in Titulo COLLOQUIA. §. Qui abſunt, ſervitiis, Reip. occupati utpote Legationibus, aut exercitibus Imperatores præficiuntur, juxta Regnum: horum cauſæ, ad unius anni ſpatium ſuspendi poterint. Vide in Titulo INHIBITIO.

ACCESSORIA

AB acceſſoriis, quæ non important perpetuam amiſſionem principalis cauſæ, ſed tantum perditionem termini, aut à citatione libertatem, Iudex moveri non debet: ſed in ejus decreto partes conquieſcere tenentur. Alioqui à talibus acceſſoriis, quæ in ſe contineant lucrum, vel amiſſionem principalis cauſæ, pro qua quis citaretur: in tali caſu, ſi cui decretum Iudicis diſpliceret: poteſt Iudicem movere ad Colloquia juxta conſuetudinem Iuris, & Statutorum Antiquorum, de Motionibus conſcriptorum, diſpoſitionem. In Colloquijs autem movens debet eſſe paratus, cum ſuis probationibus: ut ſuper negotio principali, citra omnes dilationes, juxta Iuris formam, in eiſdem experiatur. A Colloquia verò, ut adminiſtratio juſtitiæ celerior ſit, nullum judicium, neq; officium, appellationem ſeu motionem ab acceſſorio admittere debet, excepto, ſi tale eſſet, quod principalis rei aut lucrum aut amiſſionem contineret, decreto: ſi alicui decretum non probibitur, potarit ad Comitia proximè celebranda appellare: & cum hac appellatione intermediante, hæc appellatio ad Comitia ſuſpendatur. Pars appellans ponendo vadium, aliâs Kocz, apud Iudicium Colloquiale, non tenebitur in Comitiis aliud vadium reponere: ſed cùm Iure experientur, vadium illi parti, quæ Iure vincet, cedere debet. *Sigiſ. 1543.*

ACTIONES.

Omnes Actiones Judicij Terr. coram Rege ventilatæ, lib. terr. inſcribantur.

QVia etiam Iure communi, diverſis Officialibus diverſa ſunt negotia adſcripta: quicquid ad Terreſtria negotia, cauſaſve Iudiciales pertinet, quæ in præſentia noſtra peragi ſolent: hoc totum in librum Actorum Terreſtrium inſcribi debet. alias verò cauſas & negotia, ad Cancellariam noſtram: juxta veterem conſuetudinem, & Statutum Anni 1538. *Sigiſ Auguſtus Petric. 1550.*

Quæ Actiones appellatione, & evasione non sistuntur.

SEd actiones, pro finibus regundis, & pro redemptione bonorum hæreditariorum, condemnatione & evasione non sistuntur.

ACTOR.

Si Actor Iure Theutonico agit: non eodem, sed suo Iure reconveniatur.

Kazimirus Vislic: 1368 CVm actor forum rei undiq; sequi debeat. Volumus quòd si quis in Iudicio Iuris Theutonici, contra reum suam dirigat actionem: ut proponat contra eundem reus ibidem, super aliqua quæstione simili, vel inæquali, reconveniri non poterit: sed suam litem, aut causam, coram Iudice competenti, cùm voluerit, agitabit.

Sine Actore ne quis procuret, vel citet.

Kazimirus Magnus PRæterea quicunque Præsidentes, aut eorum Officiales, vel eorum familiares, aliquos malitiosè laboribus & expensis gravare volentes cupientesque, & laborantes emungere & extorquere aliquid pecuniarum aut rerum, ab innocentibus, pro vexatione redimenda, quamvis penitus nihil habeant causæ seu quæstionis adversus eosdem, faciunt & procurant diversas citationes: finguntq;, & dictant causas: Idcirco statuimus: quòd si quis citaverit, vel procuraverit aliquem, sine legitimo actore, vulgariter, przez Powodá: taliter citans, vel procurans talem citationem, pœnam Piutnadzieśta solvere citato tenetur. Prohibentes nihilominus Castellanis, & quibuslibet Iudicibus, & Subjudicibus: quòd deinceps, sine certo actore & causa expressa, non debent decernere, nec dare aliquas citationes.

In causis criminalibus, in absentia nemo cognoscat.

Kazimirus Magnus STatuimus: quòd in causis criminalibus, in absentia accusantis, seu actoris, cujus interest, Nos vel nostri successores, aut Capitanei nostri, cognoscere non debemus: nec aliquem hominem condemnare: nisi convictum Iudicio, & confessum.

Actor debet esse paratus.

Sigism. Petric: 1523. VOlumus de actore intelligi: cùm liceat actori, quòd & reo: præter simplicem infirmitatem, quæ actoribus non convenit. eò quòd actores semper habent terminos peremptorios: & propter hoc, semper debet esse ad comparandum parati. poterunt tamen & actores, in faciendis documentis, habere dilationem: cùm citatò id ipsum sit permissum.

Si actor amiserit citationem.

ITem si Actor amiserit citationem ante contestationem litis, sive ante terminos, ad quos citavit reum: extunc poterit citare reum alia citatione, ad instar prioris. quæ quidem tametsi in sua narratione, à prima amissa discrepaverit: si modò eundem effectum in se contineat, & summam: talis citatio habebit locum in Iudicio. Nec actor ob hoc aliquam pœnam luet: sed citatus actori objicere: Quòd detisset citationem super citationem. Et idem erit observandum: si post contestationem litis, ipsam citationem amiserit. Nam poterit etiam adcitare, sive denuo citare, sine aliqua pœna. Et si idem actor habuerit citationem, sive Propositionem actitatam: extunc valebit sibi pro citatione: & non tenebitur citationem citato ostendere. Sufficiet enim adcitatio illius. Et si citatus amiserit citationem: extunc Actor, post Propositionem suam, ad postulationem citati, tenebitur sibi accommodare suam orationem ad respondendum, quam restituet Actori, post responsionem. Sigis. Petricov, 1523.

Testimonia Actoris per Ministerialem.

SEd cùm Actor aliquis testificatur aliquid, coram Ministeriali, seu per eum: tunc Actor ipse Nobiles duos habiturus est, cum ministeriali. Sed cùm Ministerialis cum citatione equitat: tunc sufficit, eum Nobilem habere unum. Consuetudo Terræ Cracoviensis

Actor causam non continuans annum & sex septimanas, cadit à causa.

Consuetudo Terræ Cracoviens. PRaterea si Actor intra cursum ejusdem temporis, uniu anni & sex septimanarum, ad terminum lapsum nihil faceret, neque adcitaret: tunc recurso isto tempore amittit Actor id, pro quo citabat, excepto quod Iudicia, ex aliqua necessitate suspensa fuissent. In tali enim casu, citationi Actoris propagatio longi temporis nihil nocebit.

Actor, cùm Reus negat, propior est ad probandum; si verò Reus evadere voluerit: admitti ad evadendum debet.

ATqui cùm Actor queritur super Citatum, post Propositionem, aliàs post Querelam, dicet: Si id Reus negabit, volo id probare, prout Ius decernet, nullum Ius omittendo: & Reus simpliciter negaverit: extunc propinquior est Actor suam Propositionem probare, quàm evadere Reus. Sed si etiam dicet Citatus: Volo id evadere, aliàs *Odbyc*, nullum Ius omittendo, prout Ius decernet: tunc citatus propinquior erit evadere, exceptis Articulis, in Statuto scriptis: pro quibus Actori probatio debetur, contra citatum.

Actori terminus primus est peremptorius.

Kazimirus Vislic: 1368 CVm Actoris sit officium, ut faciat & procuret, ad causam Reum citari:

tari: Reo itaque in terminis comparente, Actore verò se totaliter absentante: Decernimus, ob contumaciam Actoris, quæ est major quàm Rei, ipsum Reum causam obtinuisse. Si autem Reus parere, in termino sibi assignato non curaverit: Actore per se, vel per suum nuntium comparente: Decernimus, quòd pro hujusmodi contumacia, reus duorum boum pœna mulctetur.

Sine certo Actore & causa, non debent citare.

Kazimirus Vislic: 1368 QVòd deinceps, sine certo Actore & causa expressa, non debent decernere, nec dare aliquas citationes. Sed & ij, qui habent Ius in his vel illis bonis, libertateq; communi gaudent, non citentur: nisi per literas nostras, & nostri cujuscunque legitimi Iudicis: illiq; per literas duntaxat citentur, sed Curia nostra præsente, vel Iudicio generali nostro existente, poterit Officialis ad Mandatum nostrum, vel nostri Capitanei Iudicis, sine litera citare, in hospitio, aut in foro.

Actor citans pro hæreditate, aut pecunia obligata.

Kazimirus Visliciæ SI quis ad judicium citat aliquem, pro hæreditate, aut pecunia aliqua obligata: & ipsum ad judicium evocavit: & si tunc Reus in primo termino peremptorio non parebit: Actor lucrabitur nominatam pecuniam, aut hæreditatem: pecunia nihilominus Reo restituta.

Actor interceptor actionis reiicitur.

Consvetudo SI quis citaverit alium, revocando aliqua bona abeo, vel alias pro quacunque alia causa: & ex aliqua occasione Iuridica, citationem, vel alioqui terminum amittere judicialiter: & tandem aliquis alius, pro eisdem bonis, aut eadem causa, partem prædictam citaverit: volens Actori primo, viam agendi in præmissis præcludere: Extunc in tali casu consuetudo terræ observat, primum Actorem locum habere: ut causam inceptam continuet, & citatione alia meliori, & hoc infra fatalia de Iure concessa, non obstante citatione Actoris secundi: quæ modo suprascripto locum non habet in Iudicio: donec Actor primus actionem inceptam ad finem deduxerit.

§ Possessori incumbet probatio, contra Actorem: præsertim cùm utraq; pars sit literaria. vide in Titulo, POSSESSOR.

Actor, Reo seu citato mortuo, intra annum & sex septimanas causam renovet.

Consvetudo SI pars citata moritur, pendente & indecisa causa: actor tenetur contra pueros & successores ejus, citationem & causam, per concitationem revivificare, intra annum & sex septimanas, alioqui, si id facere neglexerit: causam totam, pro qua actio inter eos vertebatur, ut supra est scriptum, perdet in perpetuum: secundùm consuetudinem terræ antiquam

quam. Si verò plures fuerint Actores, & similiter Rei, in una citatione: & si aliquis eorum, pendente citatione, ex utraque parte mererentur: vel plures, aut omnes mererentur: extunc Actores superstites, à se & successoribus defunctorum participum suorum, vel successores Actorum, contra Reos etiam viventes, aut hæredes, & contra successores defunctorum, citationem hujusmodi & causam revivificare tenentur: totiés quoties id acciderit, usque ad finem causæ. Nam si quis moritur, in citatione existens: moritur citatio sua, & actio: nisi fuerit revivificata per citationem, contra hæredes & successores mortui. Si autem pars habens actionem, ad quodcunque Iudicium pendentem, moritur: intra terminos, vel eo die, quo Actio dicta debuit judicari: extunc pars adversa, sive sit Actor, sive Reus, non debet prosequi causam hujusmodi: propter mortem partis suæ, in eisdem terminis, & Iudicio, ubi pendebat: nisi præmissa concitatione, contra successores mortui: juxta consuetudinem terræ. Si verò in tali casu, attentaret terminum & causam prosequeretur, contra defunctum: hoc partem prosequentem non relevabit, quin cum larvis, hoc est cum mortuis, luctari videbitur.

§ De Actore condemnato, antequam Ius admittet: vide in Titulo, CONDEMNATIO.

§ Actor citatum pro violentia, aut vi, proprio juramento convincat Reum. Vide in Titulo, VIOLENTIA.

§ Actores in fine debent condemnari. Vide in Titulo, CONDEMNATIO.

§ Actor terminum Colloquij generalis aliter transponere nequeat: nisi primùm per veram infirmitatem: & in Terminis particularibus semel per simplicem infirmitatem. Vide in Titulo, COLLOQUIA.

ACTORATVS.

§ Actoratum quomodo, & qui lucrantur: Vide in Titulo, SUCCAMERARIUS.

ACTORVM LIBRI.

Libri Actorum sub tribus clavibus serventur.

Wladisl: Jagello Cracoviæ & Varlæ 1423 ET quia Barones terrarum nostrarum, in Iudicijs Colloquiorum generalium, personam nostram repræsentant: coram quibus causæ hæreditariæ, & aliæ majores agitantur, & tractantur: & Sententiæ per eosdem latæ, robur accipiunt firmisatis, ac si in præsentia nostra agerentur: coram quibus etiam resignationes bonorum magnorum peraguntur: & aliæ causæ, per eosdem definitæ, in speciali libro conscribuntur: unde cum majori pondere, diligentiusque, & cautiùs debeant observari: Volumus, quòd liber prænotatus, seu Acta Colloquij generalis, sub clausula trium clavium amodo conservetur, quarum unam Iudex, aliam Subjudex, tertiam verò Notarius Terrestris, habeant & con-

 servent

ſervent: nec liceant uni, ſine alijs, clauſuram prædictam aperire? Et quia ex Actis prædictis, ſeu in libro, nonnulli literas habere & extrahere tempore debito cupiunt: quapropter providendum eſt: quòd Iudex per Miniſterialem debeat publicè, quando opus viderit, facere proclamare: Quòd in tali diſtrictu, loco, & die tali, Liber ſeu Acta, ad extrahendum literas aperietur, utq; eas habere volentibus, ſeu affectantibus, pateant.

Similis. *Idem repetitur in Titulo* COLLOQVIA.

Kazimirus in Nieſzowa & Opoki: 1454. ITem ſtatuimus, ut Libri Terreſtres Actorum Iudicialium ſerventur, juxta Statuta Vartenſia, ſub tribus clavibus, quarum unam habeat Palatinus, aliam Iudex, & tertiam Notarius. Completo Iudicio remanere debebit in loco, ubi factum eſt Iudicium, tribus diebus: pro dandis copijs Actorum petentibus eas:

Similis.

Sigiſmundus Petric: 1538 DEcernimus, ut libri Terreſtres, ubicunque locorum in Regno noſtro, ſub tribus clavibus, ſecundùm Statutorum diſpoſitionem, in bona cuſtodia ſerventur.

Poſitio Actorum publicetur.

Wladiſl. Iagello Cracoviæ & Vartæ 1423. ET quia ex Actis Terreſtribus, ſeu ex libro, nonnulli literas habere & extrahere, tempore debito cupiunt: quapropter providendum eſt, quod Iudex debeat per Miniſterialem publicè, quando opus fore viderit, proclamare: Quòd in tali diſtrictu, loco, & die tali, liber ſeu Acta, ad extrahendas literas aperientur. Quocirca ijs, qui eas habere vellent, ſeu affectent, pateant. Poſitio verò Actorum Terreſtrium, etiam ſub tempus Comitiorum Regni celebrari debet.

Vnius ſit liber Actorum, propter Sententias Judicij inſcribendas.

Lazimir. in Nieſzowa, 1434. ITem ſtatuimus, ut pro Iudicijs juſtè expediendis, & negotijs in Iudicium deductis ſcribendis fideliter, fiat unus liber Iudiciorum, ſeu Actorum, in quolibet diſtrictu. Et dum in aliqua cauſa in Iudicium deducta, ſuper aliquo articulo, audita Propoſitione & Reſponſione, fuerit in Iudicio ſententiarum: quòd illa Sententia, in librum Actorum inſcribatur: & poſtea ſuper eodem articulo vel ei ſimili, ſimilis ſententia proferatur.

Actorum Caſtrenſium libri, in Prætorio, ſub clavibus, Palatini, Iudicis Terræ, & Capitanei, ſervandi ſunt.

Stat. Alber: VErùm quia in nonnullis Capitaneorum noſtrorum locis, & præſertim Capitaneatu Majoris Poloniæ, conſueverunt inferri libris Caſtrenſibus Inſcriptiones indifferenter univerſæ: ij quoque libri, per ſucceſſores

ceſſores Capitaneorum, in privata loca deferri: quibus ſubditi noſtri Inſcriptiones, & literas, non niſi cum difficultatibus, & nonnunquam grandi precio coguntur extrahere: nonnunquam verò, propter nimiam depactationem, non obtinere: quod fit contra omnem Iuris, Iuſtitiæ, & æquitatis communis rationem: Quapropter ſtatuimus perpetuò obſervandum: ut in omnibus terris Regni noſtri, vacationibus Capitaneatuum generalium, & particularium, per ceſſum vel deceſſum contingentibus, libri Caſtrenſes eorundem cedentium, vel decedentium Capitaneorum, de locis Capitaneatuum vacantium, quoquam minimè deferantur: ſed ſub teſtimonio reponentur, in Prætoriis, in Ciſtis, ad hoc ſpecialiter deputandis, quæ clavibus Palatini, & Iudicis Terræ illius, in qua Capitaneatus conſiſtit, & Capitanei pro tempore exiſtentis, claudi & aperiri debeant.

Rex antiquos Libros Caſtrenſes conquiret: & in Prætoriis reponet: ſub clavibus, Palatini, Iudicis, & Capitanei.

QVoniam autem ad hanc ipſam Conſtitutionem movebamur jacturis, & injuriis, ſubditis noſtris ob carentiam librorum eorundem annis ſuperioribus contingentibus: idcirco licet omnis Conſtitutio communiter ad futura referatur: tamen quia libri Capitaneorum præteritorum, ſed communem neceſſitatem: Idcirco promittimus, volumus, & debemus, omnes & ſingulos libros, etiam vetuſtiores, quoſcunque ubicunque, apud quoslibet ſubditos noſtros, Spirituales, & Seculares, cujuſcunque ſtatus & conditionis exiſtentes, intellexerimus eſſe authoritate Regia noſtra ea habere: mandareq; & efficere, eoſdem præteritorum Capitaneorum, tam cedentium & decedentium, quàm aliorum viventium, reponi in ciſta, vel ciſtis ſpecialibus: quæ cum ijſdem libris, in Prætoriis Civitatum obſervabuntur fideliter, ſub tribus clavibus prædictis: videlicet Palatini, & Iudicis terræ illius. ac Capitanei pro tempore exiſtentis. Quæ tandem ciſtæ, & Libri aperiantur, in Terminis Iudiciorum Terreſtrium & literæ ex eiſdem, ſub Titulo & Sigillo ejuſdem pro tempore exiſtentis Capitanei, quibuslibet petentibus extradantur, pro quibus prætoriorum Capitaneorum literis, ipſi pro tempore exiſtentes non aliter ſalaria præſumant exigere: quàm exigi conſueverunt, pro actibus coram eis geſtis, atque ſcriptis. Id autem, & quicquid præſentibus, & aliis his inſertis & non inſertis Regni Statutis ſanctum eſt, ad futuros volumus eventus referri.

Alberti Petricovia 1496

De Libris Capitaneorum Majoris Poloniæ in Prætorio Civitatis Poſnanienſis conſervandis.

ERrores vetuſtos abolere volentes, & Statuta ob id condita appro- *Sigiſm: Cracoviæ 1510.*
bantes, decernimus: ut Capitanei Majoris Poloniæ generales, ſive poſt mortem, ſive per immutationem, libros Actorum Officij ſui ſuos,

& quoscunque alios prædeceſſorum ſuorum, juxta Conſtitutionem vetuſtam, in Prætorio reponant & reſtituant, & mandamus, ſub pœna centum Marcarum: ut omnes, quicunque libros quorumcunque Capitaneorum, eorum qui Capitaneatum Majoris Poloniæ quondam adminiſtrârunt, infra hinc & feſtum S. Ioannis Baptiſtæ proximè futurum reſtituant: & in Prætorio reponant, ut præmiſſum eſt. Capitaneus autem modernus, ſit obligatus tacere diligentiam, in exquirendis Libris hujuſmodi. Quos quidem ſi qui reſtituere noluerint: toties, quoties moniti fuerint, pœnam centum Marcarum, fiſco noſtro applicandam, ſolvere irremiſſibiliter teneantur. Si verò quis, ejuſmodi Libros ſe non habere contenderit: Iurejurando id probare tenebitur, Quòd eos non habeat, nec de eis ſcit.

ADVITALITAS.

Omnes advitalitates ſunt ſervandæ.

Sigiſm: Petric: 1538. ADvitalitatum literæ à nobis conceſſæ, per omnia, ſecundum earum tenorem, per nos ſervabuntur.

Eædem Advitalitates, & Conſenſus rata eſſe debent

Sigiſ. Auguſtus Petric. 1550. ATtamen Advitalitates, & Conſenſus omnes, juxta Statutum, in robore relinquimus. & quæ Iuri communi non ſunt contraria:

Advitalitates conceſſæ ſerventur.

Idem Rex ADvitalitia omnia, juxta Statutum, in robore conſervamus: quæ quidem Iuri communi non ſunt contraria.

Forma inſcribendæ Advitalitatis.

Sigiſm: Petric: 1523. COmparentes perſonaliter coram Iudicio, Nobiles N. de N. & N. de N. conjuges, ſani mente & corpore exiſtentes, & uſi amicorum conſilio, publicè & per expreſſum recognoverunt: quia omnium bonorum ſuorum hæreditariorum, & obligatoriorum, mobilium & immobilium, quæ nunc habent, & in poſt habebunt, invicem & mutuò conceſſerunt ſibi uſum fructum, ad tempora vitæ ſuæ, tali videlicet modo: Quòd ſi præfatum N. prius, quàm prædictam N. mori contigerit: extunc ipſa N. bona omnia, tam mobilia quàm immobilia prædicti N. obtinebit, & poſſidebit, cum omni Iure & dominio, & proprietate, nihil excipiendo: illiſque utifruetur, ad tempora duntaxat vitæ ſuæ. Poſt mortem verò prædictæ N. bona præfata, tam mobilia quàm immobilia, totaliter pleno Iure, ad ſucceſſores prædicti N. devolventur: ſine quovis impedimento, & contradictione ſucceſſorum præfatæ N. Et ſimiliter, ſi contigerit prædictum N. priùs mori, quàm ipſum N. extunc præfatus N. bona omnia, tam mobilia quàm immobilia præfatæ N. obtinebit, & poſſidebit, cum omni Iure, dominio, proprietate, & omnibus eorundem bonorum

rum pertinentiis illiſque utifruetur, ad tempora duntaxat vitæ ſuæ poſt mortem verò prædicti N. bona præfata, quæcunque ipſam N. concernebant, ad ſucceſſores prædictæ N. totaliter devolventur: ſine quovis impedimento, & contradictione, præfati olim mariti ſucceſſorum.

ÆGER.

Tantum Rex mittet ad ægrotos.

OCcurrendo difficultatibus hominum, quæ forſan ſuboriri poſſent, Statuimus: Quia nulli Officiales debent ad quenquam equitare, ſuſcipiendæ inſcriptionis, ſeu Recognitionis alicuius cauſa: neque ſuſcipere debebunt ullius Recognitionem, cujuſcunque ſtatus hominis, dun taxat circa Acta: cùm fiet perſonaliter conſtitutus ad Acta, ſanus mente. Quòd autem attinet perſonam noſtram, hoc ita relinqui debet: prout fuit ad hoc tempus conſervatum, quia circa perſonam noſtram mittere nobis liberum erit, ad unumquemque ea re egentem, & in infirmitate decumbentem. *Sigiſm: Auguſt: Petricov. 1550.*

AGER.

SI quis excolat, vel ſeminet agros alicujus violenter: ſemine careat in eiſdem agris ſeminato, cum pœna *Piatnadzieſta*. *Kazimirus Magnus Vislic. 1368.*

ALIENATIO.

Rex non alienet terras Regni Poloniæ.

SEd quia Corona Regni prædicti, per has ſucceſſiones poſſit aliquo modo dividi, rumpi, vel quovis modo violari: promittimus bona fide, abſque omni dolo cujuslibet fraudis, ſub Sacramento Fidei noſtræ, ipſam Coronam Regni Poloniæ ſemper ſalvam, & integram, ac illibatam conſervare: & nullas terras, vel partes earum, ab ipſa alienare, vel minuere: ſed eam augere, & recuperare, velut in Coronatione noſtra, ſumus & ſuimus obligati noſtris munimentis. *Ex Privileg. Ludovici, Kaſſ viæ dat: 1375.*

§ Reliqua, de Alienatione bonorum Regalium, vide in Titulo, BONA REGALIA.

ALIENAS RES qui tollit in fundo non dislimitato, quis citandus: Vide in Titulo, KMETO.

ALVEVS, Vide in Titulo, FLUMEN.

ANNATÆ.

Annatæ ne dentur Rom. Pontifici amplius: ſed potius in defenſionem Reip. convertantur.

SAtisfaciendo poſtulationibus Dominorum Conſiliariorum noſtrorum Secularium, & Nuntiorum terreſtrium, mittemus ad Sanctum Pa- *sigiſ. Crât. 1543.*

trem Papam, petitum Annatas: ut ne eas, de Regno efferri permittamus: sed ut remaneant, pro defensione Reip. in Regno. Quòd si easdem impetrare non possumus: tum jam extunc renuntiare illi debemus, easdem nos neq; daturos esse neq; efferri ulla ratione permissuros.

De *eisdem Annatis.*

Idem Rex. SAcra M. Regia, inter alias Legationum causas, apud Rom. Pontificem contendet: ut Annatæ maneant in Regno, ad Reip. tutelam.

ANNI DISCRETIONIS.

Sed licet Tutores debent resignare bona Pueris, postquam nacti fuerint annos 15. tamen Pueri, ante annum 24. non possunt illa bona alienare, absq; consensu amicorum.

Consuetudo Terræ Cracovienſis ITem quemadmodum ex Statuto communi, Tutores tenentur Resignare bona puerorum, dum habent annos quindecim: pueri verò bona sua accipiendo, uti debent eis: sic nihilominus Iure sit provisum, prout fieri consuevit: quod ipsi pueri bona vendere, obligareq; non debeant, sine consensu amicorum, consanguineorum: donec habebunt annos viginti quatuor transactos.

ANNVS GRATIÆ.

Statutum Lutkonis, Episcopi Cracovienſis, ad tempora Anni gratiæ.

STatutum Domini Ioannis Lutkonis, Episcopi Cracov: est: quòd quilibet Prælatus, Canonicus, Altarista, Plebanus, Vicarius, & ex quocunque titulo beneficiatus, curatus, & non curatus, in universa Diœcesi Cracov. si moritur in primis tribus Mensibus anni, incipiendo à Circumcisione Domini: habeat quartam partem omnium introituum: juxta verum valorem suorum beneficiorum: sed successori frumenta æstualia relinquat, ad seminandum prædium, si in tribus secundis Mensibus: habet medietatem, si in tertiis tribus Mensibus: habet tertiam partem, de frumentis hyemalibus, ad quantitatem prædij non seminati successori relictis, sed in residuis Mensibus, habet totum.

APES.

Apum fur quomodo expurgatur.

Kazimirus Magnus PEtrus traxit Ioannem ad Iudicium: asserens, quod apes, seu mellificia ipsius, tempore nocturno, furtivè ad domum propriam deportasset, quod se offerebat probaturum. Ioannes autem negabat se hoc fecisse: sed dicebat, suum proprium mel (ut decuit) in domum suam propriam deportasse. Tandem Petrus per Iudicem pluries interrogatus: si per eos, qui vidissent apes, seu mellificia sua, per Ioannem recipi, &

pi, & in suam domum deportari, intentionem suam posset probare: respondit Petrus, quòd tales testes de visu, nullo modo posset habere. Nos itaq; statuendo decrevimus, in tali casu Iuramentum Ioanni imponendum: si aliàs fuerit bonæ famæ: & pro expurgatione asserenti, quòd proprium suum mel, in domum deportabat.

De apum mellificijs.

MEllificia in nemoribus, seu Borris, alterius Domini Kmetones tenentes, aut Iure hæreditario possidentes, & sub alio degentes, de tributis, aliàs Dani, seu melle, respondere tenentur domino nemoris: in quo hujusmodi mellificia habentur. Quòdsi in solutione tardi fuerint: tunc Dominus poterit pro tributo suo judicare & impignorare illos: & Dominus, sub quo degit, non debebit eum defendere: sed cum eodem iustitiam petenti tenebitur ministrare, ut de communi Molendinatore etiam in libro priori est prænotatum. *Wladislaus Cracov. & Varia 1433.*

Si quis apisteria succidat.

SI quis autem arborem cum apibus succiderit: passo damnum Marcam, & Iudicio alteram, qui verò sine apibus, tamen ad apes aptatam arborem succiderit: passo damnum Marcam mediam, & Iudicio pariter mediam, convictus exolvat. *Kazim. Magnus Vislicie Anno Domini, 1368.*

APPELLATIO.

Appellationes, etiam Rex in Comitijs judicat.

ITem à Sententia Iudicis Terrestris, vel Castrensis, licet unicuique verbo, ad Colloquia Generalia: vel in defectu illorum, ad Conventum Regni appellare.

Sed à Colloquiali decreto, iterum Regia M. appellatur.

POterit autem quilibet appellare, de Terminis prædictis generalibus, ad Regiam Majestatem, tanquam Iurium omnium Dominum superiorem, pro justitia consequenda. *Sigism. Petric; 1523.*

Nihilominus à Sententia Iudicis Castrensis, vel Terrestris, licet unicuiq; verbo; ad Colloquia generalia, vel ad Conventum Regni appellare.

CAsu verò, quo aliquis Iure victus existens Sententiam Iudicis suscipere noluerit, volumus id pro Iure observari: ut liceat unicuique à Sententia Iudicij Terrestris, vel castrensis, non per viam Motionis Iudicis, sed simpliciter verbo appellare, ad Terminos generales, tempore Quadragesimæ, annis singulis, toties quoties, in locis ad id deputatis celebrandos. Quibus terminis Barones Regni, videlicet Palatinus, Castellanus, & cæteri Dignitarij, & officiales terræ illius, interesse tene- *Sigis. Petricov, 1523.*

buntur: ſub pœnis, in Statuto contentis. Et in defectu Terminorum generalium, pars appellans, contra appellatam, in Conventione generali Regni, extunc in proximo celebranda, cauſam hanc ſuam, vigore Appellationis ſuæ hujuſmodi poterit proſequi, & juſtitiam ſuam experiri: Iudice, à quo provocatum ſeu appellatum fuit, ſine quavis reprehenſione remanente. Nihilominus Iudicium, á quo appellabatur, tenebitur partibus litigantibus, dare in ſcripto Propoſitiones & Reſponſiones, & eorum controverſias, ex Actis ſuis: terminumq; præfigere, in Terminis generalibus: vel in defectu Terminorum, coram Regia Majeſtate.

Vt eadem Appellatio, ſeu motio Iudicis Caſtrenſis, omiſſo Capitaneo, ad Regni Comitia fiat.

Sigiſm: Petric: 1368. QVia non infrequenter accidere ſolet: quòd ob longam Capitanei abſentiam à Capitaneatu, vel alias ob cauſas, homines in Iudicio Caſtrenſi gravati, in aſſequutione juſtitiæ negliguntur, aut retardantur: Decernimus, ut deinceps in cauſis, à Iudice Caſtrenſi: omiſſo Capitaneo, ad Conventionem generalem, juxta priora ſtatuta, motio fiat.

Appellare, ſeu Iudicem movere, liberum, qui verò non appellat: jam Sententiam tranſit in rem judicatum.

Kazimirus Magnus Viſlic: 1368 PEtrus agebat contra Matthiam Iudicem: quòd in cauſa, quam coram ipſo habuit, injuſtam & iniquam ſententiam contra ipſum promulgaſſet: à qua tamen ſententia, quando ipſam Iudex tulit, idem Petrus non provocavit, nec appellavit. Nos itaque huiuſmodi ſententiám Iudicis, quæ non fuit aliqua provocatione ſuſpenſa, declaramus tranſiviſſe in rem judicatam: prædictum Petrum ad pœnam debitam, aliàs pro Iudicibus expreſſam, condemnantes.

Kazim: Magnus Vislicia 1368. STatuimus: ut ſi aliquis Iudex ordinarius, vel delegatus, timore Dei poſtpoſito, utiq; ſententiam tulerit contra aliquem clientulum, alteri parti ipſum condemnando, ſuper hæreditate, aut alia re certa in Iudicium deducta· propter hoc pars damnata, ad ſuperiorem appellet.

Appellationem & Motionem proſequi unicuiq; licet.

Sigiſ: Crac: 1532. DE appellationibus, ſeu Motionibus, quæ à ſententiis ſeu decreto Iudiciorum Terreſtrium, Caſtrenſium, & aliorum quorumvis, ad Terminos generales, tempore Quadrageſimæ (aliàs tempore legitimo) celebrandos, vel ad conventum generalem Regni noſtri, extunc proximè celebrandum fieri ſolent, Declaramus: & ita obſervari decernimus: ut tam Appellanti, quàm ejus parti adverſæ, liceat Appellationem ſeu Motionem proſequi, in Conventione generali, vel Terminis generalibus: quod illorum, poſt Appellationem factam, priùs celebrari contigerit, juxta normam, in proceſſu Iudiciario novi Statuti, deſcriptam.

§ Cùm

§ Cùm quis per Appellationem redarguit Sententiam, & reperitur lata juſtè, qua pœna puniri debet: Vide in Titulo, SENTENTIA.

§ Appellatio ex Colloquiis, ad Comitia fiat. Vidé in Titulo, COLLOQUIA.

ARBOR FRVCTIFERA.

ARborem fructiferam excidens, 12 Groſſos ſolvat, cum pœna *Piatnadzieſta.* *Kazim: Magnus 1358.*

§. Alia de exciſis arboribus in ſylvis: Vide in Titulo, SYLVA.

Plantationes & inſertiones pomarij deſtruentes, & evellentes.

STatuimus, & decernimus: quòd ſi aliquæ plantationes, jam inſertæ & radicatæ, evellantur & extirpentur: etiam ſi fuerint propriæ ipſius extirpantis, qui debet medietatem illarum plantationum dimittere in ſolo, ſeu Area: pœna ſex Marcarum teneatur. *Kaz: Mag:*

ARCHIEPISCOPVS GNESNENSIS.

Vide in Titulo, ELECTIO REGIS.

ARESTATIO.

Kmetones etiam ne areſtentur, in Civitatibus: ſed in loco domicilij, in Villis, juſtitia de eis petatur. Quòd ſi Dominus loci juſtitiam de eis miniſtrare noluerit: Iure impetendus eſt, alioquin, pœna ſex Marc. in Cives ſecus facien. decernitur per Capitan.

ITem propter deordinationem Kmetonum: dum videlicet tanquam nulla lege aſtricti, quidam eorum in ſuperbiam efferuntur: pretioſis veſtiuntur: expenſaſque ſumptuoſas, & alia faciunt, quæ illorum conditioni minimè conveniunt: ſicque debita inter Cives contrahunt, excedentia bona Kmetonalia: pro quibus tandem debitis, Cives conſueverunt Kmetones in Civitatibus, & Oppidis areſtare, detinere, aut citare, Iure illo omiſſo, ad quod Kmeto pertinet, domicilij ratione: Statuimus, ad præcludendam debitorum Kmetonalium viam: ut Cives, pro debitis quibuslibet, quacunq; ratione contractis, etiam in libro Civili inſcriptis, vel non inſcriptis, Kmetones citare, arreſtare, detinereq; non debeant, neq; poſſint, in Civitatibus & Oppidis prædictis: ſed pro eiſdem decernimus, Kmetonem in Iure hæreditatis quam incolit conveniendum: juxta formam Iuris. Et ſi Dominus Iuſtitiam miniſtrare differret eſſetq; occaſio Civi, contra Dominum pro Iuſtitia conquerendi: tunc Civis Dominum loci conveniat pro Iuſtitia, Iure, ad quod Dominus loci illi- *Albertus Petricovia. 1496*

ci illius, hæreditatis ratione videbitur pertinere, ſub pæna ſex Marcarum, in Cive ſecus faciente, exigenda. Pro qua Cives, ad loci Capitaneos citabuntur, per medium, & parti & Iudicio ſolvenda: atq; Iure Terreſtri repetenda. Et nihilominus Civis, ad damnorum ſolutionem, & rerum cum Kmetone receptarum reſtitutionem, villæ illius Domino, unde Kmeto fuerit, ſit Iure præſentis Conſtitutionis obligatus. Quo in caſu, locorum Capitanei habeant facultatem illos judicandi, non obſtante, quòd in præinſerto Privilegio, quatuor duntaxat Articulos ſint cognituri.

De arreſtandis pecunijs.

Conſuetudo Cracovienſ. ITem homini poſſeſſionato, non debent pecuniæ arreſtari, excepto, quòd ſi minorem poſſeſſionem habet: quàm illud, pro quo citatur: tunc pecuniam fide jubebit ex Arreſto, quia videlicet parebit Iuri, & Iudicatis.

Boves, ſimiliterq; aliæq; res, ſi Facie teneantur & arreſtentur, Capitaneus judicat, in una ſeptimana Termino præfixo.

Conſuetudo 1505. ITem Terminus Facie tenus datus, aliàs qui Facionatus dicitur, in una ſeptimana dari debet. Sic dum res aliquæ arreſtantur cum Miniſteriali: tunc ſi non reſtituit ille, apud quem fit Arreſtatio, ponit Terminum Miniſterialis illi, apud quem eſt Arreſtatio facta, comparendi coram Capitaneo in una ſeptimana.

§ De Arreſtatione Kmetonum fugitivorum, Vide in Titulo, KMETO
§ De Arreſtatione impoſſeſſionatorum, Vide in Titulo IMPOSSESSIONATI.

AROMATA.

Quæ aromata aliquo ſint pretio vendenda.

Sigiſm: Cracoviæ 1524. COnſiderantes nos, pleroſq; Mercatores domeſticos, & etiam exteros, per monopolia: qui Conſtitutiones ſuas Aromatum, & rerum omnium exoticarum pretia, magis in dies augere: in magnum univerſorum ſubditorum noſtrorum gravamen: Regnumq; noſtrum, pro libito ſuo emungere: in quo frequentior uſus ipſorum Aromatum, & aliarum rerum prædictarum, quàm alibi eſſe ſolet: volentes ea ipſa pretia earundem rerum, ad certos moderationis fines reducere, & ad Communem Reip. utilitatem contemperare: multorum potiùs, quàm pauco rum commodo conſulentes: Statuimus & decrevimus, in Conventu generali Petricovienſi proximè præterito, de conſilio noſtrorum Conſiliariorum, illic nobiſcum exiſtentium: ut tam ipſa Aromata, quàm etiam Vina propinatoria, à Feſto Reſurrectionis Domini proximè futuro, hoc ad ſummum pretio vendantur, & emantur: videlicet, Libra Piperis, octo Groſſis: libra Croci, una Sexagena: Zinziberis libra, octo Groſſis: Caryophyllorum, media Sexagena: Libra Cinamoni, media Sexagena: Libra Florum Muſcati, etiam media Sexagena: unus lapis Sacchari, una Sexage-

Sexagena & quindecim Groſſis: Olei Olivæ unus lapis, quadraginta groſſis: Lapis Amygdalarum Venatarum, tribus Fertonibus: Lapis verò Amygdalarum, quæ ex Gedano afferuntur, triginta Groſſis: Lapis uvarum paſſarum minorum, triginta groſſis: uvarum verò paſſarum majorum lapis, quindecim groſſis, Lapis Riſi, decemocto groſſis: una Libra Cynimi, uno groſſo. Vini Sermienſis una Quarta, uno Groſſo cum medio: Vini verò Terreſtris, Hungarici una Quarta, uno groſſo ad ſummum ſolvatur, & emetiatur. Malmatici, Græci una Quarta duobus groſſis: Malmatici Italici & Muſcatellæ una Quarta, pretium trium groſſorum non excedat. Qui autem Aromata, & res prædictas, pretio ſtatuto vendere non poſſet: illa ad Regnum inferre, & educere nullo modo audeat: ſub amiſſione earundem rerum: quas contra prohibitionem noſtram advexerit, ſeu vendiderit. Statuimus inſuper & decrevimus: ut aurum, & argentum filatum, etiam ſub amiſſione, & confiſcatione illorum, nequaquam deinceps ad Regnum noſtrum vehantur, & vendantur. Vt autem hujuſmodi Conſtitutio noſtra effectum ſuum accipiat: vobis omnibus & ſingulis ſupradictis, cujuſcunq; ordinis & conditionis exiſtentibus, diſtrictè mandamus: ut ab ipſo Feſto Reſurrectionis Domini proximo, nemo majori pretio, quàm ſupra expreſſo, Vinum Sermień: & terreſtre Vngaricum, necnon Malmaticum & Aromata, aliaſq; res prædictas, ſub earum amiſſione, ubivis in Regno noſtro vendere: & prædictum aurum, & argentum filatum, amplius in ipſum Regnum noſtrum inferre audeat: ſub earundem rerum amiſſione. Quocirca vobis, & præſertim loci Capitaneis, & eorum Viceſgerentibus, ac Civitatum & Oppidorum Proconſulibus, & Conſulibus mandamus: ut hanc Conſtitutionem noſtram, in Civitatibus, & Oppidis, & apud Eccleſias Parochiales, diebus Feſtis, per publicam proclamationem, ad univerſorum quorum intereſt notitiam, denuntiari faciatis. Vos verò Palatini, & Capitanei, in cuſtodiendo & perveſtigando, ne quis eandem Conſtitutionem noſtram tranſgrediatur, curam & diligentiam omnem, unà cum Teloneatoribus, quos vobis ad hanc curam & cuſtodiam adjungimus; adhibeatis: & quoſcunq; offenderitis, vel deprehenderitis, in invectione, & venditione aliquarum rerum ex prædictis, contra hanc ipſam inhibitionem noſtram exceſſiſſe: eaſdem res pro fiſco noſtro Regio capiatis: & pro nobis fideliter, & integrè conſervetis, ſub pœnis, contra Capitaneos & Officiales negligentes ſtatutis, & pro gratia noſtra, aliter non facturi.

AROMATARII.

Doctores Medici, Apothecas & Aromatarias quotannis revideant.

Sigiſm: Petric: 1523. QVia pleraque ſunt Aromatarij, qui non habitis rebus ad medicinas neceſſariis, unam pro alia poneré ſolent: vel ex rebus vetuſtis, &

poratis, ipſas medicinas conficiunt: unde plerique homines venire ſolent, in magnum vitæ ſuæ diſcrimen: Statuimus, & decernimus: ut deinceps Doctores Medicinæ, in Civitatibus ubi degunt, Apothecas, & Aromatarias, diligenter ſingulis annis revideant: eiſq; ipſi Aromatarij omnia exponere, & oſtendere teneantur: ſub pœna privationis Apothecæ. Doctores verò tales Aromatarios, vel contumaces, vel non habentes res neceſſarias, & valentes, Nobis & Conſulatui deferre, & manifeſtare tenebuntur: ſub gratia noſtra.

AVENA.

Cujavv. & Dobrin. terra, ab avenæ tributo libera.

Wladisl: Iagello. ITem omnes incolæ terrarum Cujaw. & Dobriń. de Avena ſolita, quam nobis ſolvere conſueverunt, ad decem annos duntaxat, nobis reſpondere ſint aſtricti: quibus evolutis, ab hujuſmodi Avena liberi ſint, & exempti.

Ruſſia etiam à tributo Avenæ libera.

Wladisl: Iagello, ledlinæ 1433. DE Avenæ verò contributionibus, nobis ad tempora vitæ noſtræ, ſola Ruſſia reſpondebit.

AVREVS NVMMVS.

Aureus Vngaricalis, 30. Groſſis æſtimatur.

Ioan: Alb: Petric. 1496 ITem cùm cerneremus varietates committi multas, in valore auri Florenorum: cùm quilibet, prout unicuique libet, illos pro privato æſtimat judicio: interdum minorem æſtimando: quod fit non abſque Reip. incommodo: Itaque ordinare cupientes, ne in futurum, pro & ſuper valore ipſo Florenorum errores committantur, Statuimus, & decernimus: ut in Regno noſtro ubique valor Floreni certus: videlicet mediæ Sexagenæ habeatur, obſerveturq; æviternè, pœnam conſtituentes 30. Florenorum Vngaricalium, ab illis, qui per alium valorem, aut vendere, aut emere Florenos viderentur, per locorum Capitaneos irremiſſibiliter, ſub privatione Capitaneatuum, exigendam: noſtro inferendam ærario, pro auro argentoque, ad Monetariam noſtram comparandis.

Poſtea 32. Groſſis Aureus æſtimatur.

Alexan. Radom. 1505. CVm ex auri congerie operum fit incrementum, quod quidem tanto minus haberi conſuevit: quanto majori videretur. Vt igitur ſubditis noſtris utcunq; opitulemur, ad acceſſiones opulentiores, quæ ex auri fiunt copia, Decernimus & ſtatuimus: quòd valor Flor. Vngaricalis 32. Groſſ. non excedat. aliter, emens & vendens puniatur, juxta conſtitutionem Piotrkovienſem, anni præteriti: aliàs juxta conſtitutionem Alberti Regis, Fratris noſtri.

BAN-

BANNITIO.

Si Bannitus defenderet ſua bona.

POſt factam Bannitionem, in quantum idem victus, bona ſua Iure amiſſa defenderet, executioni brachij Regalis ſe opponendo: extunc juxta Regni Statutum, univerſa Nobiltas terræ, diſtrictus ejuſdem, in quibus bona victi conſiſtunt, unâ cum Capitaneo loci movebitur, cum apparatu bellico, contra victum rebellem: ita quòd poterit de bonis ſuis repelli, & reijci. Et ſi talis poterit in perſona ſua comprehendi: talis cum complicibus ſuis comprehendatur: & mancipatus turri includatur: & ipſius vita in gratia noſtra conſiſtat. *Sigiſ. 1523.*

De ſublatione Bannitionis.

SVblatio Bannitionis, quæ duri conſuevit malo progreſſu Iuris procedente, ſi quando prorogari debet: tenebitur is, cui datur, citare partem ad officium: quando talis ſublatio proclamari debet, ibidemq; probari debet: Quòd nullum gradum Iuris omiſit, probando contra ſe malum proceſſum eſſe. Si verò id non demonſtraret: tùm talis ſublatio locum habere non debet. *Sigiſ. Aug. 1557.*

BELLVM.

Bellum quale, & quem ob finem.

ITem ut expeditio bellica ordinato modo fiat: ad tuitionem Regni, & non ejuſdem deſtructionem cedat. *Sigiſ. Petrcov, 1523.*

Bellum in Comitijs decernatur: inſperato caſu excepto.

ITem pollicemur: quòd neque terrigeris ad bellum moveri mandabimus: abſq; Conventione communi, in ſingulis terris inſtituenda. *Kazimir. in Nieſzowa,*

§ EXCEPTIO. Quia tamen incerta eſt futurorum eventuum cognitio: nec adverſus illos certa conſilia dari, aut proviſiones fieri poſſunt: erit in poteſtate noſtra, ex decreto præſentis Conventus, generalem belli motionem facere, ubi talis neceſſitas ingrueret: ut illi per præſidia decreta obſtari non poſſet. *Sigiſ. Crác. 1527.*

Conventus provinciales, bellum quoq; antecedent.

ITem quoniam convenimus, cum univerſis ſubditis noſtris: ut quamlibet Expeditionem bellicam generalem, Conventiones particulares, in locis conſuetis, ſecundùm conſuetudines ex antiquo ſervatas, præcederent: itaq; ſtatuimus, quòd nos, ſucceſſoreſque noſtri, quotieſcunq; Expeditionem bellicam vellemus indicere, ſeu vellent, neceſſitateque quacunque expoſcente: quoties Conventiones particulares inſtituere *Ioan: Albertus 1495.*

debebimus, & debebunt: videlicet Terrigenis Cracovienſis terræ, in Proſſovicæ: Sandecenſis, & Biecenſis, in Czechow: Sandomirienſis, in Nowemiaſto: Majoris Poloniæ, & Wſchovenſis, in Srzoda: Siradienſis, & Vielunnenſis, in Siradia: Lancicienſis, Cujavienſis, & Brzeſtenſis in Brzeſcie: Dobrzinenſis, in Ripin: Goſtinenſis, & Sochaczovienſis, in Ripin: Ravenſis, in Rawa: Lublinenſis, & Lukovienſis, in Vrzędow: Chełmenſis, in Rubieſow: Belzenſis, in Busko: Premislienſis in Moſciska: Podoliæ, in Kamieniec: Sanocenſis, in Sanok: Leopolienſis, in Viſznia: Halicienſis, in Trębowla: adonſulendum neceſſitati, tunc fortaſſis nobis, in Reip. Regni noſtri imminenti.

Sigiſ. 1538. § SIMILIS. Bellicam expeidtionem generalem, nonniſi deliberatè, & ex legitimis rationibus & cauſis, & neceſſitate publica, futuris temporibus inſtituemus: ſecundùm diſpoſitionem Statutorum, præmiſſis generali & particulari Conventibus. Cùm verò expeditio bellica fuerit inſtituta: ad illam immutandam, Conventiones indici non debent: ne cùm ex decreta & publicata expeditione, præparationes ad bellum Nobiles fecerint, ſi eodem tempore contribuere cogerentur, duplici ſumptu onerentur.

Literæ Reſtium Bello præmittendæ.

Sigiſ. Bidgoſtiæ 1520. STatuimus & ordinamus: quòd dum bellum generale, juxta Statuta antiquiora, per nos, & Succeſſores noſtros, indictum fuerit: extunc trinæ literæ Reſtium. ſeorſim ſive ſucceſſivè mittantur: & in ultimis literis Reſtium, nominabitur dies Conventionum particularium, in diſtrictibus. Pro quo tempore Caſtellani diſtrictuum, tenebuntur, cum Nobilitate convenire: & conſtituere inter ſe unanimiter diem, ac locum, ita quòd Nobiles diſtrictuum: cum ſuis Caſtellanis, ad locum generalis belli deſignatum procedant. Et Caſtellanus, in profectione de Nobilitate conquèrentibus, ſuper damnis & injuriis juſtitiam faciat: inobedientes autem nobis, & Succeſſoribus noſtris deferat. Quòd ſi deferre neglexerit: extunc damna paſſis perſolvat. Si verò idem Caſtellanus, ægritudine, vel alia aliqua cauſa abſens fuerit: vel tranſire non poterit: extunc in locum ſuum, alium idoneum Nobilem deputabit ad præmiſſa.

Qui á Bello liberi ſunt.

Sigiſ. Bidgoſtiæ 1520 ITem ſtatuimus: quòd in eiſdem Conventibus particularibus, licebit eiſdem Caſtellanis, ægrotos ad bellum proficiſci non valentes, cum aliqvibus Nobilibus revidere: & tandem nobis, & ſucceſſoribus noſtris deferre: ac deinde coram nobis, & ſucceſſoribus noſtris, nomine talis ægroti, teſtes quatuor Nobiles idonei nominabuntur. Qui teſtes quatuor, vel alij electi Nobiles teſtes nominandi, jurare debent, ſuper vera infirmitate, cum eodem ægroto convaleſcente. Sed ſi ipſe infirmus, cum quatuor teſtibus non juraverit, ſuper vera infirmitate: extunc talis

ægroti bona impetrata, debent ſecundùm donationem noſtram, vel ſucceſſorum noſtrorum, effectum ſortiri, & nihilominus talis ægrotus expeditionem debitam faciet bellicam.

§ SIMILIS. Cavebimus deinceps Nos, & poſteri noſtri: ne aliquem *Sigiſm, Petric. 1538.* qui ad obeundum ſervitium bellicum, de jure eſſet obligatus, ab expeditione bellica generali liberum & exemptum faciamus præter ægrotantes, ſenio confectos, & in neceſſitate Reip. exiſtentes: & præter Vicecapitaneos illorum locorum, ubi ſunt Iudicia: & in limitibus Regni arcibus præſidentes.

§ SIMILIS. Deliberandis hominibus à bello, juxta veterem con- *Sigiſ. Auguſtus Petric. 1550.* ſuetudinem, & commune Ius, nos conſervabimus.

In bello Luſtratio Militum.

LVſtratio omnium ordinum, Spiritualium & Secularium, Civium & Colonorum, ad profectionem expeditionis bellicæ, fieri debet in univerſo Regno uno die: hoc eſt, pro Feſto S. Adalberti, anni proximè inſequentis 1545. Interea autem debent ſe ſe parare. Quomodo autem, & coram quibus, hæc luſtratio fieri debeat: tum in Palatinatibus; an in terris ſive diſtrictibus: in proximis Comitijs, de conſenſu omnium ordinum ſtatuetur. Quòd ſi luſtratio hæc, poſt expletionem rerum omnium, ad eam pertinentium, effectum ſuum erit ſortita: nihilominus alia vice conſtituenda non erit: niſi ex Comitiorum decreto. *Hæc luſtratio inſtituta erat anno 1545.*

Spiritualis ſi ſe in luſtratione non ſtiterit.

QVando luſtratio hæc effectum ſortietur, ad diem ſupraſcriptum quiſque ordo, tam is qui per ſe, quàm is qui per alios expeditionem facere tenetur, exhibere ſe debet: juxta facultates ſuas, & modum ſupraſcriptum. Quòd ſi quis Spiritualium non fecerit: pœna in eum decernetur, quæ fuerit in Synodo conſtituta, quæ cùm exacta ab aliquo fuerit: in utilitatem Reip. cedere debebit. Si verò Secularis is fuerit: ea pœna afficietur, quæ in Comitiis proximè futuris erit conſtituta. Quòd ipſum de Civitatibus, & earum expeditione Colonorum, intelligi volumus.

In bellum Litvanorum expeditio.

QVòd magnum ducatum Litvaniæ attinet: cum eſſet rogata S.M. Regia, ab univerſa congregatione Comitiorum, à Conſiliarijs, & Nuntiis terreſtribus: ut illius Ducatus ſubditos ſuos, eò adduceret: quò & ipſi, ad ſimilem ordinationem & expeditionem generalem tenerentur, unà cum exercitibus Regni: adverſus hunc ſuperius nominatum hoſtem: Quoniam ſcit S. M. Regia eſſe id in poteſtate ſua, ut liceat illi, quandocunq; libet, imperare ſubditis ſuis Magni Ducatus Litvaniæ: ut ad bellum, quocunq; juſſerit, proficiſcantur: pollicita eſt: Quòd cùm Regni homines, ad eam expeditionem, contra talem hoſtem profecti fuerint

erint: fore, ut etiam Ducatus Magni Litvaniæ homines, secundùm facultates suas, ad eandem expeditionem, cum illis se conjungant. Quando tamen Consiliarij Regni sui tam sollicitè ea de re, cùm ea egerunt: ut eò adduceret subditos suos Ducatus sui Litvaniæ: ut in suscipienda propugnatione in utramque partem, uni alteros adjungentes, contra eum hostem, qui ex æquo utrique parti vicinus est, Regno adsint: & Nuntios ad consentiendum, in primum generalem Conventum mittant: cùm intelligat S. M. Regia, se nihil ejusmodi promittere, aut constituere posse, de Magno Ducatu Litvaniæ, re ad Consiliarios ejus non relata: illud in se recipit: quòd omnem curam, & diligentiam adhibeat: ut etiam Ducatus Litvaniæ, ad hanc communem expeditionem, per Legatos suos, ad proxima Comitia mittendos, consentiat: ac est bona spe: quandoquidem ab ordinibus Regni, fraternum illis promittitur subsidium: quòd & ipsi, quod summum poterint auxilium laboranti Regno ferre, non recusabunt.

Prussorum expeditio, Zathorienſium, & Oſvviecinenſium.

TErræ Prussiæ, quoniam ultrò se facturas receperunt, ut contra vim hanc, facultatibus suis, nobis & Regno huic non deessent: mittet S. M. Regia Consiliarios suos, ad Comitia, quæ in Maio mense Mariemburgi habebuntur: ut ordinationem, quæ facta est hîc, illis declarent: & ad eandem illos inducant. Hoc idem de Zathorień. & Oswiecineń. promisit.

In bellum generalis expeditio, quando fieri debeat.

EXpeditio autem hujusmodi generalis, fieri non debet: nisi certum sit & indubitatum (quod Deus omen obruat) hostem rupto fœdere, quod ei cum S. M. Regia intercedit, aut ipsum per se in Regnum hoc impressionem facere: aut ingentem vim suorum populorum, qui ejus imperio subsunt, ad depopulandum Regnum mittere velle: Quibus veteri debita expeditione resisti non possit: quandoquidem ejusmodi expeditio, contra extremam vim & potentiam de consensu omnium ordinum est decreta.

Hæc ordinatio, etsi ita decreta est: quia tamen Nuntiæ Litvaniæ, Prussiæ, Zathorień. & Oswiecineń. Ducatuum desiderabantur: à quibus consensus, ad mutuam & reciprocam hujusmodi inter se bellicæ defensionis conjunctionem, videbatur necessarius: statutum est, & ab omnibus Regni ordinibus receptum: ut hæc omnia ita conscripta, & concluſa, suspensa ad proximum Regni Conventum maneant: Hac adiecta conditione: Vt si istorum supra expressorum Ducatuum Nuntij, ad Conventum Regni futurum, cum pleno mandato missi, ea in suos pro utilitate Regni receperint: quæ regnicolæ sustinere, ad illorum commodum volunt: tum quæ sunt concluſa, Sigillo M. Regiæ communiantur, & confirmentur omnia. Sin minus: abrogata omnia, & nullius roboris

roboris esse censeatur, & sit liberum, aliud in Conventu consilium, de imminentibus periculis capere. Si verò (quod Deus auferat) hoc anno, antequam alia Comitia habeantur, magna vi hostis impetum faceret, modo suprascripto: tam hæc constitutio ad defensionem Regni, & ad resistendum hosti, robur habere debet.

Consiliariorum consensus in expeditionem generalem.

QVibusquidem Constitutionibus, infrascripti Domini Consiliarij, manibus suis proprijs subscripserunt. Petrus Archiepiscopus Gnesnenſis, & Episcopus Cracovienſis: Nicolaus Vladislavienſis: Sebastianus Posnanienſis, Samuel Plocenſis, & Vicecancellarius, Ioannes Chelmenſis, Episcopi, nec non Ioannes Comes in Tarnow, Castellanus Cracovień. Petrus Kmitha, Comes in Visnic, Cracovień. Ianussius, Comes in Labissin, Posnanienſis· Petrus de Sluzewo, Calissienſis: Stanislaus Laski, Siradienſis: Nicolaus Chodzieski de Potulice, Brzestenſis: Ioannes de Koscielec Inowladi, Palatini: Spitek de Tarnow, Thesaurarius: & cæteri Dignitarii, & Officiales.

De Prussis iterum, Zathorien. & Oſvviecinen.

TAmetsi verò incolas Ducatus Prussiæ jam eò adduximus: ut contra violentum hostem, nobis & Regno nostro, omnibus facultatibus, ac etiam jugulis suis, se auxiliaturos receperint: quia tamen subditi Regni nostri Poloniæ, minus quàm oportet, illos se se facturos promisisse affirmant: Quòd scilicet tantum contra violentum & potentem hostem, auxilia ferre: non autem singulis annis, communem & solitam defensionem sustinere deberent, cum ipsi non solùm in una re, sed in omni necessitate illorum, quò minùs eos defendant, nihil devitent: Quodque sciant, ipsos in Chronicis suis habere descriptum: Quia ipsosmet, ut liberarentur ex oneribus, & servitute Ordinis, virtute ac potentia sua adjuverunt: ut omninò libertates eorum, sanguine suo militari redemisse, atq; mercatos esse, sit confessum. Illis ergo promisimus, & promittimus: nos denuo velle Consiliarijs nostris, & subditis terrarum Prussiæ in id Comitia edicere: & Nuntium nostrum ad eos mittere, Consiliis ipsos eò adducendo: ut non solùm contra violentiorem hostem, verùm etiam ut uniformem singulis annis defensionem, contra quosvis Reip. hostes, cum subditis nostri Regni communibus viribus sustinerent. Qua quidem in re, si nostris consiliis & adhortationibus obsequi noluerint: tum in primis Comitiis Regni nostri, Consilia Senatus nostri eo nomine exquiremus: Quid nam ulterius in eo negotio facere debebimus. Quod autem de Ducatu Prussiæ scripsimus: hoc idem etiam de Ducatu Oswiecinenſi, & Zathorienſi, facere nolumus & pollicemur. *Sigism: Cracoviæ 1543.*

In bellum militum expeditio: & quòd intra fines Regni militare cogantur.

Kazim: Magnus Visliciæ 1368.

SEd quia in armata militia, honor Regis, & defensio totius Regni dependet: tenetur igitur quilibet miles, secundùm quantitatem & possessionem bonorum suorum, & redituum, ad Remp. certis armatis hominibus servire, & prodesse, dummodo bona illorum sint libera, & de Iure militia instituta: & absq; omni vexatione conserventur. Decernimus etiam, quòd Barones & Nobiles nostri terrarum Poloniæ, quantò melius & efficaciùs poterint, teneantur militare: & armis se instruere, & servire. Sed extra Regni metas, nobis servire non sunt obligati, nisi ipsis satis competens satisfactio per nos impendatur: vel per nos specialiter fuerint petiti, & ad hoc rogati.

Damna in bello passis Rex persolvat: & captivitate liberet.

Ex Privilegio Lud. Casimiræ, 1378

QVòd si insultus hostium, in dictum Regnum invalesceret: tunc Nobiles ipsius Regni, ad repellendam eorum sævitiam occurrant, cum omnimoda eorum potestate. Demum si nostro, & nostrorum successorum regiminis tempore, pro aliqua expeditione facienda, ultra fines Regni ipsius, procedere nos expediat: vel eosdem nobiscum, cum inimicis quibuscunque, in eadem expeditione, conflictum seu bellum facere & inire contigerit: & aliqui ex ipsis, in eodem conflictu capti & detenti fuerint: damnaque parva, vel magna perceperint: in rebus, & personis, ipsis plenariam satisfactionem impendemus.

Extra fines Regni in bellum proficiscentibus, & pro captivitate, & pro damnis, Rex satisfaciet.

Ex Wladisl. Privileg. Ieslinæ 1433.

ITem promittimus, & spondemus: quòd dum ad requisitionem nostram, Nobiles Nostri Regni, extra metas eiusdem Regni nostri, ad repellendam hostium sævitiam transferre contigerit: ipsis satisfactionem condignam pro captivitate, cæterisq; damnis, Nobilibus faciemus. Metas verò, seu granicies sæpe dicti Regni memorati, Nobiles ab insultu & incursu æmulorum & hostium, propriis sumptibus tueri debent, & omnimodo teneantur. In casu verò, quo aliquis æmulus Regni nostri, quocunque modo Regnum nostrum intraverit: & cum eo conflictum, intra metas ejusdem Regni, terrigenas nostros facere contigerit: eisdem terrigenis pro captivitate duntaxat. si verò extra metas, id ipsum fieri contigerit: tunc & pro damnis, si quæ (quod absit) incurrerint, & pro captivitate, satisfactionem condignam impendere.

Qui

Qui captivum adduxerit, Sexagonam pro præmio tollet. Extra fines Regni proficiscentibus, quinque Marcæ dabuntur.

Wladislaus Iagello.

ET si quis ex nostris Baronibus, Nobilibusq; Proceribus, seu terrigenis, aliquem vel aliquos, captivum vel captivos, cujuscunq; status, conditionis, aut eminentiæ captivaverit: illi, vel illis promittimus, à quolibet hujusmodi captivo, dare & solvere unam Sexagenam, monetæ in Regno currentis: & recipere pro nobis captivum depactandum. exceptis Civibus, & plebeiis: quos ille, vel illi depactent, qui eos adduxerit, seu adduxerint captivandos: pro libito suæ voluntatis. Item quòd quando ipsis præfatis nostris terrigenis extra metas Regni nostri, expeditionaliter exire, seu transferre mandabimus seu mandaremus: quinque Marcas, super quamlibet hastam, dare, solvere, & distribuere promittimus: in civitate nobiliori cujuslibet districtus, seu antequam metas Regni nostri exiverint prædicti. Casu verò, seu successu temporis se offerrente, dum infra spatium duorum annorum post distributionem pecuniarum, sicut præmittitur factam, ad expeditionem non processerimus: extunc ijdem terrigenæ, ab hujusmodi pecuniis & servitijs, ratione prædictarum pecuniarum faciendis, erunt soluti penitus & exempti. Si autem infra decursum eorundem duorum annorum, ad expeditionem, cum ijsdem terrigenis transitum faceremus: & extra metas Regni nostri, cum expeditione processerimus: extunc prædicti terrigenæ, ab eisdem pecunijs & servitiis, prætextu earundem sint absoluti.

§ SIMILIS. Item pollicemur: quòd dum & quando nos, extra fines Regni nostri, expeditionaliter proficisci contigerit, omnibus terrigenis nostris, nobiscum euntibus, exolvemus Iura terrestria: videlicet super quamlibet hastam, quinque Marcas. Pro damnis etiam, & captivitate, ipsis satisfaciemus: juxta quod ipsis à nostris prædecessoribus est concessum.

Kazimirus in Nieszawa 1454.

§ SIMILIS. Nobilitas suis propriis cervicibus, à casibus bellicis, Regnum nostrum defendere consuevit, & astricta.

De quibus bonis expeditio fiat: hoc est, ut è diversis districtibus expeditio certa fiat.

STatuto vetusto innitentes, constituimus: ut terrigenæ, in diversis terris domicilia habentes, omni tamen fraude submota bellico servitio, ex eis bonis, ubi eos Restes prævenerint, propria persona: de aliis autem bonis, expeditione congruenti satisfaciant, ut verò secus facienti, fraus & dolus non patrocinabuntur.

Sigis. Crat. 1510.

Filius non emancipatus: pro patre: & frater indivisus, pro fratre, militare non possunt.

Kazimir: in Nieszowa, 1454.

ITem, statuimus, quòd si quis ex terrigenis nostris habuerit filium, adultum, indivisum: aut frater fratrem, potentem ferre arma: poterit ipsum (etiam sine licentia Regia) ad expeditionem vice sua mittere: qui supplebit locum ejus: tanquam solus personaliter interesset, sic tamen, quòd ipsum eo modo expediat: sicut ipsemet iturus esset.

Armigeri non damna dent, Stationes in campis faciant.

Kazim. Magnus Vislicia Anno Domini, 1368,

EXpedit Reip. ut subditi quietè vivant: & quod nulli noceant: & in virtutibus convalescant, quidam tamen prætereuntes ista, veluti legis transgressores, quòd cum per terras proprias pergunt ad expeditionem bellicam, quasi hostes, infinita damna pauperibus (etiam plura, quàm hostibus) inferre non verentur: per quod terræ nostræ maximè devastantur. Volentes itaque huic periculo, de remedio oportuno, providere, Statuimus: quòd quotiescunque ad bellicam expeditionem fit progressio, nullus in villis Stationem faciat: sed in campo, nec rapinas, inequis, pecudibus pecoribus, vel in aliis rebus committant: sed solummodo pabula recipiant moderatè, pro suis equis, nec stationes faciant de lignis, in Sylvis, Gaijs, aut Rubetis, pro ædificiis valentibus: ut ex hoc ædificia villarum, integra & illæsa permaneant. Et si quis, velut temerarius, hujus Statuti violator, fecerit contrarium: domino illius villæ, aut cui damnum est illatum, damna restituat, juxta Sacramentum cum restitutione ablatorum, super ablatis præstitum: cum pœna Piatnadzieста, ad hoc appósita. Et nihilominus alia similis pœna cedat nobis: occasione violationis Statuti. Per hoc tamen non negamus: quin pabulum moderatum equis, & victus ipsorum, sine quo transitus alias non possit haberi, recipiatur.

Contra raptores, majores etiam pœnæ statuuntur: & taxatio rerum venalium in bello, describitur.

Wladisl: Iagello confirmat Statutum Kazimiri Magni.

QVanquam felicis recordationibus Kazimirus Rex Poloniæ, prædecessor noster, cum nonnullis Principibus terrarum, Regno in Maiestati suæ contrariantibus, per multa tempora, bella & expeditiones habuerit, fecerit, tenuerit, & exercuerit: nunquam tamen, tempore felicis sui regiminis Regni, per bellatores, tot & gravia damna, pericula, sacrilegia, effractiones Ecclesiarum, & devastationes bonorum Ecclesiæ, & monasteriorum, ac aliorum bonorum fuerunt, nec sunt, tot, & tam gravia: uti felicis tempore nostri regiminis Regni (quod condolentes referimus) perpetrata, & commissa. Statuerat enim, ac laudabiliter ordinaverat, præfatus prædecessor noster, cum Prælatis, & Dominis Regni sui: Quòd omnes & singuli ragnicolæ, ad expeditionem euntes, quocunque nomine censerentur, nunquam in Civitatibus, Oppidis, villis, allodiis, & aliis bonis, tam Ecclesiarum, & Monasteriorum, & Se-

& Secularium, quæ ædificia habent: sed in campis, vél rubetis, Srationem facere: nullasq; rapinas bonorum quorumcunque, & violentias cuiquam inferre debuissent. Item statuerat, cum Prælatis & Dominis prædictis, leviori comparatione expensarum, ad expeditionem transeuntium, & utilitate Regni pensatis: Quòd euntes ad expeditionem, pro expensis suis comparandis, Bovem pro media Marca, Vaccam pro octo Scotis, pro Fertone porcum, Mutonem pro duobus grossis, duas Aucas pro grosso uno, sex Pullos pro grosso uno, Capetam tritici pro duobus grossis, Capetam siliginis pro grosso uno, & Capetam avenæ similiter pro grosso uno emere debuissent. Quod statutum, per longam consuetudinem terrigenarum nostrorum, fuit & est tentum: & laudabiliter obsérvatum. Sed tempore felicis nostri regiminis Regni, quorundam incolarum Regni nostri detestanda perversitas, nesciens abstinere à vetitis, nec debito modo gaudere concessis, tam laudabile Statutum in abnsum damnabilem deducendo, non tantùm præmissa, sed multò plura & majora mala, quæ Divinæ Majestatis offensam, Regniq; nostri desolationem inducere videntur, ferociter perpetrando, commisit, prout ex subditorum nostrorum querelis, & querulosis clamoribus percepimus: & nos ipsi certa experientia probavimus. Et quibus in Regnonostro multa scandala, magna pericula, & gravia incommoda, necnon destructiones Ecclesiarum & Monasteriorum, sicut secuta: & ampliora sequi (nisi celeri remedio succurratur) verisimile est, in futurum. Nos igitur præmissis, & aliis malis occurrere, & indemnitatibus Regni nostri, & Ecclesiarum Monasteriorumq;, provida circumspectione providere cupientes: tam laudabile Statutum prædicti prædecessoris nostri, de consilio pariter & consensu, Prælatorum & Dominorum Regni nostri, approbantes, illud auctoritate nostra Regia confirmamus: nostris vobis dantes in mandatis: Quatenus tam laudabile Statutum, in Civitatibus & Oppidis Regni nostri, ac ipsius confirmationem & approbationem, publicare & proclamare faciatis: illudq; ab omnibus regnicolis nostris: sub obtentu gratiæ nostræ, obsérvari præcipiatis. Transgressores verò ipsius nobis, & illis quibus damna intulerint, pœnam *Siedmnadzieста*, aliàs xiiij Marc. uel majorem pœnam illius terræ, per cujus terrigenas prædicto Statuto contraventum fuerit: unâ cum illatis damnis, & injuriis, solvere tenebuntur. Quæ damna, & injuriæ, per illius solius juramentum, cui illata sunt, quicunq; ille sit, coram nobis probare debent: exceptis Pontificibus: qui cùm sæpius, ex diversis causis, in remotis partibus causas agere habent, Procuratores ipsorum, discretos & idoneos, Spirituales vel Nociles Seculares, nobis illud præstent. Vobis nihilominus, hujusmodi transgressores Statuti præsentis, nostra approbatione & confirmatione judicandi, condemnandi, ad satisfactionem compellendi, & puniendi, omnibus dilationibus remotis, omnimodam damus, & committimus facultatem: mandantes vobis, omninoq; habere volen-

tes. Quòd præsentes nostras, approbationis & confirmaaionis hujusmodi literas, in libros terrestres, de verbo ad verbum, ad perpetuam memoriam, scribi & inferri faciatis. Nos igitur Wladislaus, Dei gratia Rex Poloniæ &c. hoc laudabile statutum superiùs notatum, Serenissimi Principis & Domini Kazimiri, Dei gratia Regis Poloniæ, prædecessoris nostri, renovantes confirmamus: & ad librum Iuris terrestris, scribi & notari jussimus, prout antea, in Statutis eisdem Domini Regis Kazimiri continetur: ac in omnibus priùs enarratis, observari & teneri fecimus: de Consilio Prælatorum, & Dominorum nostrorum.

Kazim. tertium Petric: 1457.

§ SIMILIS. Quòd si vos, aut aliquis vestrum, in exhibenda justitia, injurias aut damna passis, postquam per eos requisiti fueritis, negligentes ac remissi fueritis: poterint personæ Ecclesiasticæ, contra vos, & quemlibet vestrum, pro hujusmodi negligentia, uti Iure Spirituali: & per Iudices Ecclesiasticos, censuris Ecclesiasticis compellere: quibus vos, subijmus. Volumus tamen esse in optione, & arbitrio injuriam aut damnum passi: quòd possit & valeat, super damnis & injuriis sibi illatis, ad Ecclesiasticum & Secùlarem Iudicem, pro Iustitia recurrere. Mandamus vobis, & cuilibet vestrum, omnino habere volentes: quòd præsentes nostras hujusmodi, approbationis & confirmationis literas, in libro terrestri, de verbo ad verbum, ad perpetuam rei memoriam, scribi & inseri faciatis, in testimonium futurorum, secus, nostræ gratiæ sub obtentu, non facturi. Actum & datum Petricoviæ in Conventione generali, Sabbatho post festrum S. Andreæ Apostoli. Anno 1457. Nostro Sigillo præsentibus appenso, &c. Præsentibus ibidem Reverendiss. in Christo Patre, D. Domino Ioanne, Sanctæ Ecclesiæ Gnesnen. Archiepiscopo, & primate: Thoma Cracovienſi, Ioanne Wladislavienſi: Cancellario, Andrea Posnanienſi, Episcopis: Venerabili Ioanne Lutkonis de Brzezie utriusque Iuris Doctore, Archidiacono Gnesnenſi, Vicecancellario Regni Poloniæ: necnon Magnificis, Generosis, strenuis, & Nobilibus, Ioanne de Cziszow, Castellano, & Capitaneo Cracovienſi: Stanislao de Ostrorog Calissienſi: Derslao de Rithwiany Siradienſi: Petro de Opporow Lancicienſi: Nicolao de Koscielec Wladislavien: Palatinis: Andrea de Sprowa, Palatino & Capitaneo Leopolienſi: Petro de Szamotuly Posnanienſi: Petro de Gay Calissienſi: Hincza de Rogow, Siradienſi, & Regni Poloniæ Vice Thesaurario: Creslao de Kurozwiaki, Lublinenſi: Ioanne de Porek, Brzestenſi. Petro de Moscina, Dobrinenſi: Petro de Strikow, Wladislavienſi: Stanislao de Szydłowiec, Zarnovienſi, Castellanis: Creslao Woysyk, de Woycza, Cracovienſi: Sandivogio de Lazizanica, Sandomirienſi: & Capitaneo Lublinenſi: Floriano de Pacanow, Cracovienſi: Cristino de Smolsko, Iuniwladislavienſi, Dapiferis Ioanne Kraska, de Lubincza, Calissienſi: Iacobo de Dambno, Cracovienſi. Pincernis: & aliis pluribus, fide dignis, circa præmissa. Datum per manus præfati Reverendi Patris, Domini Ioannis Episcopi Wladi-

Wladislavienſii, Cancellarii: & Venerabilis Ioannis Luthkonis de Brzezie, utriusque Iuris Doctoris, Archidiaconi Gnesnenſi. Regni Poloniæ Vicecancellarii, sincerè nobis dilectorum: sub Sigillo nostro, præsentibus appenso, in fidem præmissorum. Ad relationem eiusdem Rndi. Patris Domini Ioannis Episcopi Wladislavien. R. P. Cancelarii.

In bello damnum passi, quo Iure experiri debent, præsertim Spirituales.

Kazim. Rex in Opatowiec 1474

KAzimirus, Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, &c. Vniversis & singulis Capitaneis, signanter tamen Cracovienſi, Sandomirienſi, Novæ Civitatis, Radomienſi, Lublinenſi, & aliis ubilibet consistentibus, præsentibus requirendis, sincerè & fidelibus dilectis, gratiam nostram cum favore. Magnifici & Generosi, sincerè & fideles nostri dilecti, non sine animi gravi molestia, ac Divinæ ultionis metu, quotidianas Spiritualium Regni nostri querelas, lacrymis etiam permistas audimus: Quomodo ipsi, per terrigenas & belligeros, qui ad expeditionem generalem proximè præteritam procedebant, in bonis Ecclesiasticis, præter morem terrestrem, damnificati sunt. Volentes itaque ultionem Divinam anticipare, nostraque animadversione prævenire, cum omnibus Consiliariis nostris, in Opatowiec exercitualiter congregatis, talem modum invenimus, Statuimusque: per quem ipsi Spirituales damna sua, per viam Iuris repetent breviorem: Quod quilibet pro damnis suis, possit coram Capitaneo loci, cui damnificator ipse subjacet, eum convenire, quem ipse Capitaneus, pro damnis illatis, non secùs quàm pro articulo Castrenſi, uno ex quatuor Iure descripto, judicare decessit: & admittere probationem actori, sicut pro violentia domestica, aut si actor id elegerit: (quod arbitrio ejus deferimus) purgatione juramenti, more Castri, reus judicetur. Si verò Capitaneus in longa distantia fuerit, coram quo reus deberet trahi in causam: poterit actor Spiritualis, opportunitate capta, dum ipsi in partibus Cracovienſibus, & non Majoris Poloniæ essemus constituti, ad nostri præsentiam reum citare, quem nulla districtus evocatione volumus excipi, sed more bellico, actori justitiam ministrare. Quæ omnia descripta, de Spiritualibus bene possessionatis, terrestri dominio, sive hæreditario, intelligere volumus. De aliis verò Spiritualibus inferioris conditionis: qui propter eorum egestatem, in judiciis terrestribus, maximè sic remotis, non sufficient: extunc poterint in Iure eorum Ecclesiastico, damnificatores suos convenire, in quo, quandocunque justè convicti fuerint, & censuras ultra annum sustinuerint, volumus quòd rigidissimè constitutio, de talibus edita observetur: & quòd turri mancipentur. Hanc volumus, à Iudicibus Spiritualibus, & actoribus, severitatem moderari: ut nec illi in petendo, sive existimando damna sua, nec isti in decernendo modum excedant rationabilis æquitatis. In cuius rei testimonium,

Sigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum in Nova Civitate Korczyn, Feria ſexta proxima, ante Dominicam Oculi: Anno Domini 1474. Ad Mandatum Domini Regis.

Omnes Regni ordines militent, tam Seculares, quam Spirituales, ac Civitates: omniſq; bellicus ordo deſcribitur.

IN primis edicimus: ut juxta conſuetudinem, omnes Domini Seculares, juxta facultatem bonorum ſuorum, expeditionem bellicam ſervire teneantur.

Item Spirituales, pro hac expeditione debent ſervire ad bellum, juxta facultatem & exigentiam bonorum ſuorum, ne ſine proviſione bona itidem eorum, prout & Nobilium, annihilentur per belligeros & damnificentur. Sed ſi quæ victualia neceſſaria ab illis recipientur: ſolvi debent, juxta Statutum, ea de re diu factum. Et nihilominus Capitanei locorum, qui debent ſe priùs quàm cæteri movere, vi & potentia in hoc diſſolutos, & rebelles compeſcant: tam ad ſolutionem, quàm ad progreſſum celeriorem eos cogentes, aliàs ij omnes in campo, ſive belli, reſpondeant: vel in domo coram Capitaneo: ubi ex his duobus, damnum paſſi elegerint, & damnificator pœna xiiij Marcarum, ſoluto damno, irremiſſibiliter pro Regia Majeſtate punietur.

Item Eccleſiæ Cathedrales & Collegiatæ, Abbates ſive Præpoſiti Cœnobiorum, debent expedire armigeros in eo nnmero: juxta quod in Synodo, ſuper unumquemq; laudabitur.

Item Epiſcopi debent habere intelligentiam cum Plebanis Parochialibus: ut illi etiam faciant ſubſidium ſuo Epiſcopo, ita tamen, quòd omnes ſuperiùs deſcripti, talibus ſervire non debeant: qui per ſe ad ſervitium bellicum obligarentur, niſi tales eſſent continui commenſales, & ſervitores illorum.

Fratres indiviſi.

SEd fratres indiviſos, qui bello non obligarentur, recipere debebunt, vel ſaltem obligatos ad bellum, adeò egenos, & inſufficientes, qui neque arma decentia, neque equos valentes, ex patrimonio ſuo habere poſſent. Quod quidem arbitrio Capitanei, & Caſtellani, committimus, quibus tres de communitate adjungi debent, valorem eorum, unâ cum Capitaneo viſuri & æſtimaturi.

Item omnes Civitates Regales, & Spirituales Eccleſiarum, debent cum Dominis peditis expedire: in tanto numero, ad quem taxati fuerint, & quòd quilibet peditum habeat baliſtam, vel bombardam, ac gladium: item galeam, chirotecas aliàs *Rekawice*, ſcutum, & pectorale, aliàs *Plachownico*.

Circa currum unus pedes habendus.

ITem quilibet in bello, circa unumquemque ſuorum currum, demptis aurigis, unum peditem habeat: ſimiliter armatum, cum gladio, baliſta, vel pixide manuali. *Capita-*

Capitaneus cum Caſtellano ſingulos, quam decenter ſerviant, conſcribent.

ITem quilibet Capitaneus, cum Caſtellano, adhuc in terra conſpicere terrigenas pauperes, & illis injungere debent: ut quilibet decenter ſerviat: ſinguloſque, quàm decenter ſerviant, conſcribere in Regno tenebuntur. Conſpectio verò dominorum, & inter Nobilitatem majorum, Regiæ Majeſtati reſerventur. Et Capitaneus, cum aliis ad hoc deputatis, arbitrentur: qui non ſufficient ad bellum, ut ſcilicet duo aut tres, unum ſatis idoneum, & ſufficienter ab omnibus rebus & armis inſtructum, expediant.

Nemo commodato accipiat res, neceſſarias in bello.

ITem hoc quoque diligenter provideatur: ut nullus alter alteri arma, aut equos, eo tempore commodet: quando ad ordinem acies debet ſe oſtendere. In fraudem enim ſervitii publici, id ceſſurum exiſtimabimus.

§ Caſtellanus Diſtrictum ſuum ad Palatinum ducat: vide in Dictione CASTELLANUS.

In Caſtris bene poſſeſſionati non relinquendi.

ITem Regia Majeſtas, bonum in hoc reſpectum & moderamen habeat: quòd tales ex Nobilibus in caſtris ſuis, & dominorum, non relinquat: qui multa bona haberent, ne per hoc notabiliter ſervitium periret.

Speciale blanderium eorum, qui propriis perſonis non vadunt, eſſe debet.

ITem Majeſtas Regia hoc etiam in conſideratione habeat: ne homines poſſeſſionati, & obligati, ad ſervitium in ſtipendium reciperentur, niſi fortè ſufficienter ſervitium terreſtre implerent: illudque in alio banderio, quàm ſit ſtipendiariorum, collocarent. Item ſit ſpeciale banderium, & ſpecialis acies eorum: qui in propriis perſonis non vadunt ad bellum, ſicut ſunt, Viduæ, Presbyteri, & infirmi, ne per hoc fraus aliqua committatur.

Filij Nobilium, in ſervitio Dominorum exiſtentes, bellum pro patribus non intercedant.

ITem filij Nobilium, in ſeruitio dominorum exiſtentes, non intercedant bellum pro parentibus, ad hoc idoneis, ſed ſi placet patri in domo manere: recipiat eum: ac pro eo, ac debet merere, ſeu ſervire, de domo expediat. Ipſi verò Domini, ex ijs clientelam ſuam integrent: qui à ſervitio bellico ſint liberi, & exempti.

Die bello præscripto quisque se sistat.

ITem quilibet compareat in loco, die constituto: sub amissione bonorum, & colli: omnemque militarem disciplinam observet:

In bellum, Seculares Domini & Nobiles, expeditionem facere tenentur.

Sigis. Proceres Petricoviæ, 1544.

CVm Sacra Majestas Regia, Dominus noster clementiss. pro ea curâ quam gerit, tuendi Regni sui consideret pericula: Comitia Regni maiora, Petricoviæ, ad diem festum Epiphaniarum edixit, in quibus communi consilio omnium provideri posset: ne quid Regnum detrimenti pateretur: neve nos imparatos hostis offendens, nec opinatos opprimeret. Nos Senatores & Consiliarij Regni Poloniæ, tam Spirituales, quàm Seculares, una cum terrarum Nuntijs, quibus plena & non limitata, de rebus omnibus ad defensionem pertinentibus, potestas fuit data defendendi, rationem ejusmodi invenimus: Principio, pro veteri consuetudine, Domini Seculares, cum omni Equestri Ordine, erunt obstricti expedite sese, atq; ad bellum instruere: pro eo, ut maximè facultas tulerit cujusq; secundùm Statum & Privilegia.

Spirituales, expeditis militibus, ipsi domi maneant.

QVod ipsum ultro se facturos obtulerunt, unâ cum clero suo universo, & Secularium, & Religiosorum Sacerdotum, Domini archiepiscopi, & Episcopi, Archimedritæ, *W*ladicæ: quò & ipsi ad eundem modum, prout facultas ipsorum maximè tulerit, expeditionem facere teneantur. ita tamen, ut contra solius potentioris hostis vim, & non aliter, expeditio hæc per illos fiat: & immunitatem ipsorum personæ habeant, à profectione bellica: sed aliis, loco sui missis, officio suo fungantur, sacrificiis & orationibus Deum placantes.

Omnes ex Civitatibus, & Oppidis, bellicam expeditionem facere tenentur.

IN omnibus Civitaiibus & Oppidis, in quibus exercetur mercatura, & emptoria sunt, ne Factoribus quidem mercatorum exceptis, quos vulgò Legerones vocant, neq; inquilinis, qui modò facultates aliquas habeant: quisquis bona habuerit, quæ mille Floren. æstimari possunt, teneatur unum armatum equitem expedire. Cujus verò bona, sive merces, quingentorum Floren: æstimationem non excedant: is peditem armatum expediet, contra vim hanc majorem. Qui verò ex civibus & mercatoribus minus habebunt: eorum facultates, in Civitatibus & Oppidis, simul taxabuntur, & coniungentur, ita ut ex mille Floren. bonus eques: ex ijs verò quæ fuerint quingentorum, pedestre expediatur. Quod ut ita fiat, providebunt Consules: Consulis superintendent ij, qui erunt à M. Regia constituti, quales sunt, Palatinus, Castellanus, & Regni

gni exercituum Campiductor: quando erit ordinandus exercitus. Porrò ijs, quos Spirituales expedierint, Capitanei Spiritualium superintendent, ita tamen, quod Regni exercituum Campiductoris præceptis, more aliorum Centurionum, pareant.

Quod ita intelligendum est: ut qui habet bona mobilia, sive immobilia, quæ pluris quàm 100 Florenis possent æstimari, neque tamen quingentorum; aut mille Floren: valorem explere queant, ij conjungantur ad expeditionem peditum & equitum, qui verò in Civitatibus & Oppidis, non habent bona mobilia, & immobilia, quæ centum Floren: æstimentur: ij obstricti sunt, è numero suo quindecimum quemq; bene armatum expedire.

Civitates, quæ habent nudum censum redituum prætorij, eæ similiter ex 1000 Florenis reditus, decem equites: ex quingentis, quinque bene armatos expediant.

Kmethones.

KMethones S. M. Regiæ, & Dominorum, tam Spiritualium, quàm Secularium, vigesimum ex numero suo expedire tenebuntur: exceptis Hortulanis.

Judæi certam summam pecuniæ in bellum conferre tenentur.

IVdæi ultra hanc pecuniam, quam quotannis S. M. Regiæ pendunt; certa millia Floren. numeri & monetæ Regni Poloniæ, pro defensione in singulos annos numerare tenebuntur. Ipsi denique Iudæi, si quando hæc valida expeditio fieret, ad eundem modum, ut mercatores Christiani, juxta conorum suorum æstimationem, expedire milites erunt obligati.

Porro S. M. Regia promittere dignata est, alere exploratores diligentes & certos, versus oram hostilem: & quam poterit dilgentissimè, tempori consilia illorum investigare: quando, ad quem locum, vires suas convertere cogitent: atque homines suos, quoad ejus fieri poterit, celerrimè primis Restium literis, quæ & secundarum vim habebunt, ut in procinctu sint, hortari. Ac si certius aliquid, de vi, atque impressione in Regnum, cognoscent· tum per alteras Restium, quæ pro tertiis reputari debebunt, locus erit per eam designandus: ad quem, intrà quatuor hebdomadas, cum S. M. Regia convenire omnes teneantur.

Profectio in Bellum, quo ordine fieri debeat.

PRofectio autem ad Bellum fieri debet, juxta veterem ordinem & consuetudinem, in Statutis descriptum: citra damnum hominum, sive Spiritualium, sive Secularium: ut soluantur omnia: secundum Privilegia, & Constitutiones Regis Iagellonis. Qui ordo ut in profectione, & solutione servetur: Castellanus districtus illius diligenter providebit: juxta Statutum, cuius executio fieri debet, in omnibus

Caſtellani primi in locum congreſſui deſignatum conveniret.

CAſtellani diſtrictuum: primi proficiſcentur ad locum: qui in illo diſtrictu congreſſui erit præſcriptus: ut Nobilitas ad eos conveniat: quæ unà cùm ſuo Caſtellano, ad locum, qui ultimis Reſtium literis fuerit deſignatus, convenire debebit. Ad quem locum ubi convenerint, inſpiciendi ibidem erunt infirmi, & ſenes: juxta Statutum Bidgoſtienſe.

In Arcibus bene poſſeſſionati non relinquendi.

PRovidebit præterea S. M. Regia: ut ſive in illius Majeſtatis, ſive in quorumcunque Spiritualium: aut Secularium arcibus, ne relinquantur ij, qui amplas habent poſſeſſiones, ne numerus eorum, qui expediendi ſint, minuatur. Quòd ſi quis, ità officio ſuo exigente, manſerit: nihilominus ſecundùm facultatem bonorum expedire teneatur. Illud unâ curæ S. M. Regiæ futurum eſt: ut ne ſtipendio conducat eos: qui cùm poſſeſſiones habeant, ad expeditionem ſunt obligati: & ut ſub vexillo ſuo, juſtus habeatur numerus: quos in hujuſmodi expeditione conſcribere tenetur.

Eorum, qui in ſuis perſonis in bellum non proficiſcentur, ſpeciale vexillum erit.

PRoprium præterea vexillum eorum eſſe debebit: qui ipſi perſonaliter ad bellum non proficiſcentur, cujus generis ſunt Sacerdotes, viduæ, minorennes, infirmi, ne fraus in Repub. admittatur.

De filiis Nobilium, Dominis ſervientibus.

FIlij Nobilium, ſervientes Dominis: non debent loco parentum, qui valent ad expeditionem, proficiſci: ſed ſi pater vellet domi manere: filium à Domino recipere, & ex domeſticis eum copijs expedire tenebitur.

Sculteti in bellum proficiſcantur.

SCulteti S. Maieſtatis Regiæ, juxtà Statuta Regni & Privilegia ſuà, ad bellum proficiſcantur. Sculteti verò Spiritualium & Secularium cum Dominis ſuis, qui eorum locum tenuerint, proficiſci tenebuntur.

Vltimis literis Reſtium aviſatos in quatuor hebdomadis ſe ſiſtat.

QVicunq; ad expeditionem tenetur, ſimul atq; alteris Reſtium literis, quæ ultimarum vim habebunt, de loco: deq; die certior erit factus: in ſpatio quatuor hebdomadarum, à publicatione literarum in diſtrictibus, ſiſtere ſe in loco bene armatus ſecundùm Statutum, debebit: ſub amiſſione bonorum ſuorum: hoc eſt, ſi ordinationem exercitus neglexerit.

Factura

Factura eſt etiam S. M. Regia: ut juxta veterem conſuetudinem, locum deſtinatum exercitui provideat, ſut tutum reddat: ad quem tutò proficiſci, cumperſona Majeſtatis ſuæ, terræ, poſſint: non recedendo à veteri Statuto, & Privilegio.

De ijs, qui non ſunt actu Sacerdotes: & de Annatis.

DE Spiritualibus beneficiatis, qui Sacerdotes actu non ſunt, erit Sacræ Maieſtati curæ: ut apud Pontificem Romanum impetret: quò poſſint perſonaliter ad hoc bellum proficiſci, per quem quidem Nuntium, Annatas impetrare conabitur: quas ei noſtri Epiſcopi, contra Concilij Baſilienſis Decretum, pendebant.

In bellum Militum deſcriptio, eorumq; ſtipendium.

ITem eligemus cum Capitaneo generali Præfectos militum, hoc eſt, *Poruczniki*, in quolibet Palatinatu, viros poſſeſſionatos, & rei militaris peritos: ipſi verò Præfecti delectum facient militum, in Palatinatibus ſuis, pro arbitrio ſuo. *Sigiſm. Cracovia 1527.*

Præfectus ducentos milites ducens, habebit ſervitium ſuper decem equos.

QVisque Præfectus militum, qui ducentos equites in ſuo comitatu & Præfectura habuerit, aut paulominus, habebit ſervitium ſuper decem equos: & ad ſingulum equum, ſtipendium decem Floren. per quatuordecem Scotos quemlibet Flor. computando.

Milites.

RElicuis verò militibus ſolvetur ſtipendium, ſuper quemlibet equum, ad quodlibet Quartale anni, per ſex Floren: per mediam Sexagenam computatos.

Præfecti per ſe præſint, & damni prohibeant.

QVilibet autem Præfectus, non per ſubſtitutum, ſed ſolus per ſeipſum, ducere debet comites ſeu commilitiones ſuos: tam eundo ad terras Ruſſiæ, quàm inde redeundo: & proſpicere, ne damna fiant hominibus, Spiritualibus & Secularibus, aut eorum ſubditis: nevé ab illis ſtationes exigantur. Quæ damna ſi facta fuerint: ipſe Præfectus pro illis convenietur: & ad ſolutionem, reſartionemq; illorum, erit obligatus.

Damna quomodo reſarcienda.

VT autem Præfectus poſſit providere indemnitati ſuæ: cùm ob culpam alterius, nemo mulctari debet: reſervabit apud ſe partem aliquam pecuniæ, commilitonibus ſuis ſolvendæ, tum ad terras Pruſſiæ

eum.

cum illis proficiſcetur: & ſimiliter, cùm ad domum cum eis revertetur. ut ſi in itinere, & profectione, aliquis comes ſeu ſocius eius, damnum cui piam homini cuiuſcunque ſtatus fecerit, & reſarcire illud noluerit, ipſe pro illo ei, qui damnum paſſus eſt, ſub teſtimonio ſociorum ſuorum, ſatisfaciat: & poſtea eidem militi, qui damnum fecerit, ex eius ſtipendio id, quod pro eo ſoluerint, detrahat & defalcet.

Tempus exeundi de Caſtris.

IDem Præfectus cuiuslibet Palatinatus, duabus ſeptimanis ante finitum expiratum ſervitium ſuum, & comitivæ ſuæ, de Caſtris & terris Ruſſiæ diſcedet, ut comitivam ſuam, ſub obedientia ſua habeat: & in officio contineat: prohibereque commodius poſſit: ne damna hominibus, & miſeris colonis, ac Spiritualibus inferantur.

Milites, In quot equis ſuſcipiendi.

IIdem Præfecti militum providere debebunt, ut neminem ſuſcipiant ad militiam: niſi ad ſummum, in octo equis: & inferius, in ſeptem, ſex, quinque, quatuor: & ut quiſque militum, ſolus per ſeipſum ſerviat: non per ſubſtitutum, & ſervos ſuos.

Milites ad obedientiam quomodo cogendi.

ITem milites mercenarij, cum eorum Præfectis, cogi non debent ad inſolita Iuramenta, per Capitaneum generalem exercituum Regni, obedire tamen eidem Capitaneo debent, & militari obedientia ſubiecti eſſe.

Literæ indemnitatis abrogantur.

LIteræ indemnitatis, non videntur eſſe dandæ Præfectis, & eorum comitivis: prout anno ab hinc ſecundo non erant datæ: ſed ſtabitur pro damnis, eademque damna ſuſcipientur à Præfectis: & eorum ſociis, per Capitaneum generalem, ſeu imperatorem exercitus, ac per Palatinos, ac exactores, ac illis adjunctos perſolventur.

Salaria militibus quis ſolvet.

TErræ, Cracovienſis, Sandomirienſis, & Lublinenſis, habebunt unum Notarium: hominem induſtrium & fidum, per nos deſignandum: qui conductus publicis pecuniis, militibus mercenarijs ad terras Ruſſiæ pecuniam perferet: ac eam illis numerabit: ſecundùm Regiſtra conſcriptionis, quæ apud ſe habebit.

Terræ verò Majoris Poloniæ, mittent pecuniam contributionum ſuarum in Lanciciam: quam inde Notarius, per nos eligendus, perferet in Ruſſiam: & ſolvet ſtipendia militibus, illic militantibus: ſecundum Regiſtra conſcriptionis, quæ illi ex unoquoque Palatinatu mitti debent.

De

De terris autem Ruſſiæ, Exactores portabunt pecuniam militibus: & eam illis numerabunt.

De Præfecto militum, in locum Palat. ſufficiendo.

AD petitionem, de Præfectis militum, ex Palatinatibus deligendis, ita cum Senatoribus noſtris conſtituimus: ut ſicubi in Palatinatu repertus fuerit, ad Præfecturam obeundam idoneus, & exercitatus: ilam que in ſe aſſumere vellet: non alteri, niſi ei committatur Comitiva Palatinatus illius. Cæterum ſi non fuerit repertus idoneus: vel ſuſcipere Præfecturæ onus noluerit: licebit nobis, cum conſilio Capitanei generalis exercituum Regni noſtri, alium quempiam idoneum Comitivæ illius Palatinatus præficere, pecunia tamen, in illo Palatinatu contributa, militibus etiam illius Palatinatus, qui ſervire voluerint, pro aliis erit eroganda. *Sigiſ. Crac.* 1540.

Stationes mercenariorum militum, in locis oportunis indifferenter fiant: damna verò, ex pecunijs publicis ſolvantur.

TErrarum Podoliæ & Ruſſiæ Nuntijs, à nobis petentibus: ut Stationes exercituum militum mercenariorum, & aliorum, in bonis eorum fieri prohiberemus: Nos cum Conſiliariis noſtris, & terrarum Regni noſtri Nuntii, expendentes nobiſcum, fieri non poſſe: ut locatio exercituum, certis locis coarctari debeat: quodq; bona alia huic moleſtiæ eſſent obnoxia: alia verò ab ea eſſent libera: Proinde ſtatuimus, Conſiliariis noſtris, & terrarum Nuntiis cenſentibus: ut huiuſmodi exercituum locatio, & ſtativa, fiant indifferenter, pro arbitrio Capitanei exercituum Regni noſtri, & neceſſitate occurrente, in locis & bonis quibuſcunque juxta veterem conſuetudinem noſtram, & anteceſſorum noſtrorum, abſque damno tamen illorum bonorum: quæ in vicinia Stationum conſiſtunt. Vbi verò damna aliqua, per exercitus huiuſmodi locatos, & ſtativa habentes, quibnſcunq; noſtris, vél ſubditorum noſtrorum, Spiritualium & Secularium, fuerint illata: illa ex pecuniis publicis, damna paſſis ſarciantur, & ſolvantur: juxta arbitrium Maieſtatis noſtræ. *Sigiſmundus Crac.* 1540

De militum in bello delictis: dum ſcilicet pecunia accepta, ſervitio non ſatisfaciunt: aut diem conſcriptionis negligunt.

QVicunque ad ſervitium militare pecuniam receperint: & pro ea non ſatisfecerint: nulla citatione præmiſſa, per Capitaneos capiantur: & tamdiu in carcere detineantur: donec ibi & tempus ſervitii, quod facere debuerunt, expleant: & pecuniam acceptam reſtituant, ſive illi poſſeſſionati, ſive non poſſeſſionati extiterint. Et qui in præfinitum conſcriptionis diem neglexerint: arbitrio noſtro, aut Campiductorum noſtrorum, punientur. *Sigiſm. Petric.* 1519. Fol. 23.

Spon

Sponſione fidei, quando obſtringendus eſt aliquis.

Sigiſmundus Crac. 1540. ITa poſtulantibus ſubditorum noſtrorum rationibus, decrevimus: Vt nullus Nobilis ſubditus noſter, ſponſione fidei per nos obſtringatur: niſi Iure victus, ſecus erit, in exercitio rei militaris: & ubi nobis, vel alicui ſubditorum noſtrorum, actio intervenerit, cum ſervitore, factore, adminiſtratore, aut ſubdito ſuo: & ubi Reipubl. cauſa aliquid ſit, contra quemvis agendum.

In bello officia Imperatoris, ac militum: & quod negligentibus, per Succamerarium equi accipi debent.

Kazimirus Magnus Vislic. Fol. 8 IVs militare admonet: ut attendamus, & ſuper id conſtituamus: quòd quidam ex noſtris Baronibus, Nobilibus, cæteriſque ſubditis, cùm in caſtris contra hoſtes poſiti fuerint, omni obiecto rubore, cum omni Nobilium ſtrenuitate communicantes, ſub nullius vexillo, neque alicuius ditione noſtri exercitus, ſe locare præſumant aliquando: ad hunc præſertim finem: ut machinarum, & propugnaculorum, cæterarumque rerum bellicarum, aut ipſius exercitus cuſtodiam, vel vigiliam nocturnam evitarent, & defenſionem, quam cæteri commilitones, & fratres ipſorum, ſub certis vexillis locati, ſecundùm modum inter ipſos ordinatum, facere & ſervare conſueverunt, negligerent: Idcirco quoniam turpis eſt pars, quæ ſuo non congruit univerſo, Statuimus: ut quilibet miles, aut ſimplex, ſub certo vexillo erecto, cum ſua ſtatione conquieſcat, ut ingruente neceſſitate belli, & dimicationis cum hoſtibus, ſciat capere locum certum: magiſque animadverteret, pro ſui vexilli defenſione. Alias volumus: quòd tales & huiuſmodi deſertores, ſi amplius in noſtro exercitu fuerint inventi: per Succamerarium terræ, ſeu diſtrictus, in quo degunt & militant, & capti, nobis ad pœnam præſentabuntur. Equi verò eorum eidem Succamerario, pro ipſa culpa & delicto, applicentur.

Pœna abſentium à bello.

Sigiſ. 1520. ABſentiam à præſenti bello inobedientium Nobilium, meritò punire debuimus, ſevera & conſueta punitione, contra tales ſemper obſervata: Petitioni tamen terreſtrium Nuntiorum ſupplici tribuentes, differre eandem decrevimus, ad Conventum generalem proximè celebrandum, & præſentibus differimus.

Cùm potens hoſtis ingruerit, generalis expeditio contra eum fiat

Sigiſ. Aug. 1537. QVoniam verò potenti hoſti, contributione hac, quam conſenſu ordinum conſtituimus, reſiſti non poterit: conſilio habito, atq; petitionibus Nuntiorum terreſtrium moti, conſtituimus generalem Expeditionem. Ad quam quidem, ſi nobis de potentis hoſtis adventu conſtiterit.

erit, nos perſona noſtra Regia accedemus. Sed ſi ex diverſis locis, potens hoſtis fines Regni noſtri adoriretur: ita quòd ex diverſis locis propulſandus eſſet: (quod quidem fieri, cùm omnes circa perſonam noſtram adeſſent, minimè poſſet) cum conſenſu Nuntiorum terreſtrium, pro hoc tantùm anno miſſorum, erit id in libero arbitrio noſtro providere: ut ſingula quæq; ingruens neceſſitas, pro commodo Reip. expediatur. Vbi verò magis prægnans negotium Reip. incumbet: ibi nos, cum perſona noſtra Regia, cum copijs tantis, quantæ contra hoſtem ſuffecturæ videbuntur, conſtituemus. Alij verò Palatinatus, cum generali Regni Campiductore, ubicunq; opus fuerit, opponere ſe debent. Qui quidem conſenſus Nuntiorum terreſtrium, in hunc tantùm annum præſentem conceſſus, in nullo, libertatibus Regni officere debet: neq; unquam in vim ſequelæ accipi: ut aliquando exercitus Nobilitatis poſtea dividi debeat: ſed ſemper libertates Regni, in robore conſervari debent: ſecundum Iura, & libertates eiuſdem Nobilitatis.

§ De militibus ijs, qui ſtipendio merent: ſi alicui, tam ex Secularibus, quàm Spiritualibus damna intulerint: quâ pœnâ puniendi, quôve judiciô reconveniendi ſint: Vide in Titulo, STIPENDIARII MILITES.

§ Caſtellanus providebit exercitui, res ad victum ſpectantes: Vide in Titulo, CASTELLANUS.

BONA REGALIA A REGINALI MAIE-STATE EXEMPTA.

PLurimùm intereſt Regni hujus, ut ne qua fiat bonorum, præſertim immobilium, alienatio. Nos itaq; in poſterum rationibus illius proſpicere cupientes, (quoniam Sereniſſima conjunx noſtra, quædam caſtra, oppida, villas, in Regno noſtro, hypothecæ ſeu cuiuſvis obligationis nomine, obtinet & poſſidet: ne uſu aliquando venire poſſit, ut hæc ipſa à Regni corpore divellantur) Statuimus & decernimus: ut Præfecti caſtrorum ejus Maieſtatis ſint Poloni, indigenæ, Nobiles: atq; hi, in ea provincia, ubi caſtrum eſt, poſſeſſionem habentes, qui ita ſe nobis Iuramento, & ſucceſſori noſtro Regi, pro tempore exiſtenti, poſt mortem (quæ procul abſit) Sereniſſimæ coniugis noſtræ, obſtringant: ut non teneantur, niſi nobis, & ſucceſſori noſtro Regi: caſtris ſolis cedere, neq; prius tamen cedent: quàm ſi (quod abſit) nos, vel filius noſter Sereniſſimus Rex Sigiſmundus Auguſtus, nulla prole maſculina ſucceſſivè relicta, deceſſerit. Ita enim ſolutis realiter & cum effectu ſummis, in prætatis caſtris, ac bonis ad hæc pertinentibus obligatis, (ſive per Regem: ſi eximendo eſſe poſſit: ſive per Nobiles: quibus redimendi & eximendi hac in re, vigore præſentis Statuti ac conſtitutionis noſtræ, damus & facimus poteſtatem) filiabus noſtris, ex Sereniſſima Domina Bona Regina coniuge noſtra chariſſima procreatis: ac earum ſucceſſoribus legitimis:

Sigiſm. Cracov. 1540.

ipsi castrorum Capitanei, Regi tunc temporis existenti, vel Nobilibus, qui pro redemptione bonorum, summas pecuniarum reposuerint, realiterque præfati Capitanei, & Cæteri bonorum suæ Maiestati obligatorum præfecti, in manibus suis, castra, oppida, & villas tenebunt: quamdiu præfatæ summæ filiabus nostris & earum successoribus, seu aliis quibusvis personis, juxta ordinationem & dispositionem Sereniſſimæ coniugis nostræ, (si quam illi facere videbitur) realiter repositæ non fuerint. Interim verò de proventibus bonorum dictorum filiabus nostris, & earum successoribus, aut aliis personis respondebunt. Neq; tamen bona ipsa ab eis redimi poterint prius, quàm in matrimonium locatæ fuerint. Post elocationem verò, tenebitur quælibet earum summam se concernentem, vel juxta ordinationem Maiestatis suæ, si quam (ut præmissum est) fecerit, accipere.

Bonorum fisci redimendorum modus, Terminus verò ad redimendum, sex septimanarum præfigi debet.

Sigismundus Petric: 1538

QVoniam circa redemptionem bonorum nostrorum Regalium, evenire solet: quòd tenutarii, de quorum manibus bona redimuntur, gravamina, & difficultates perferre coguntur: ad quæ amovenda Statuimus: ut in redemptione bonorum nostrorum Regalium, sive ea pro mensa nostra, sive per quempiam alium, de consensu nostro redimantur, non servetur deinceps arrestatio pecuniarum, homini possessionato, similiter & impossessionato, fideiussores pro se statuenti, sed si quispiam subditorum nostrorum, ex illis bonis redemptis, se iniuriam aut damnum ab eo, qui exemptus est, accepisse prætendat: pro tali iniuria seu damno, jure terrestri cum eo experiatur. Deinde ut ad migrandum, quòd *Rumowanie* vocant, quilibet, de cuius manibus, sive per nos, aut alium quempiam bona nostra redimuntnr, tempus sex septimanarum liberum habeat. Quo tempore licere debet exempto, omnes & singulas res, & bona quæcunq; mobilia propria, evehere, expellere, & exportare. Præterea hui' smodi bonorum redemptio fieri debet, in districtu proprio: quando per alium, quàm per nos, redimuntur. Et terminus citationis, pro redimendis bonis, sive per nos, sive per quempiam alium, de consensu nostro redimuntur, debet esse sex septimanarum: à tempore positionis ipsius citationis.

Nemo evocare quempiam post curiam, nisi pro re fisci Regij, debet.

Sigism: August: 1557

IN primis occurrendo incommodo huic, ne subditi nostri post curiam nostram levi de causa citentur, Statuimus: quod instigator noster, neminem ad instantiam nostram, seu ad delationem partis: tantum pro bonis, merè ad nos pertinentibus: ut puta personæ: bonis, & super eminentiæ nostræ attributis. Qui verò contra hoc Statutum aliquem, pro aliis rebus, quàm ijs, quæ ad judicium nostrum pertinent, citare præ-

præsumpserit, vel post curiam, vel ad Comitia: talis centum Marcarum pœnæ, parti succumbet.

In redemptione bonorum fisci, qualiter literæ & inscriptiones revidendæ.

Sigismundus Cuc. 1507

AD tollenda dubia, & controversias superfluas amovendas, quæ oriri possunt ex diversitate Inscriptionum bonorum nostrorum, Statuimus, ut cum eadem bona redimere voluerimus, revidere debent literæ Inscriptionum: & quæ licitè, justè, & legitimè inscripta sunt, aut contra cognoscatur & decernatur per Nos, & Consiliarios nostros. Quòd si quis hujusmodi cognitione, & decreto gravatum se senserit: liberum sit ei cognitionem gravaminis, per Appellationem deferre, ad Conventum generalem.

§ Idem repetitur, in Titulo, LITERÆ.

An verò generaliter, vel specificè, literæ & Inscriptiones in bonis Regijs, sint interpretandæ

§ Idem repetitur, in Titulo, LITERÆ.

Sigism: Cracoviæ 1510.

AMbiguitates abolere volentes, quæ plerumque (dum Inscriptiones super bonis Regalibus, seu privilegia, coram nobis reproducuntur) emergebant, Determinamus, innitendo veteri consuetudini, dudum practicatæ: quòd quæcunque specificata, in Privilegio, vel Inscriptione, nominatim fuerint, illa eadem tenenda sunt, eandem specificationem si quæ generalitas sequitur: ad præfatam specificationem duntaxat referenda est: & non ad alia. Sed ubi specialis mentio, in Privilegio vel Inscriptione, de teloneo, de curru bellico. de exactione duorum grossorum, de Statione, & Iurepatronatûs facta non est: Iuri Regio reservatum esse cognoscitur Inscriptiones autem, quæ generaliter fiunt, nihil specificando, sed omne dominium in personam transferendo, omnia in se complectuntur: & possessori attribuuntur.

Privilegia publica, & privata, simplici interpretatione intelligenda.

PRivilegia publica & privata, non debent interpretatione aliqua, in alium quàm sonant sensum, verti: sed ita, ut in suis tenoribus scripta sunt, & non aliter, intelligi debent.

Bona Regalia non dislimitata, quomodo defendi debent: & Capitanei, pro injuriis, quomodo Iure conveniendi

Kazimir: in Nieszowa, & Opoki:

ITem statuimus: ut tenutarii bonorum mensæ nostræ Regiæ, si vicinis aut alijs hominibus injuriati fuerint, teneantur stare iudicio terrestri: postquam fuerint per iniuriam passos evocati. Et si pellant pecora, aut pecudes, ad domos aut curias Regales: occasione differentiæ graniciérũ

aut ratione deſtructionis ſeminatorum: tenebuntur dare ad cautionem fideiuſſoriam, ſuper decretum dominorum, juxta conſuetudinem terræ, diutiùs obſervatam. Quòd ſi ſecus fecerint: luent pœnas, ſicut alii Nobiles, quæ pœnæ poterunt peti, & exigi ab eis, etiàm in pecuniis: ſi quas habuerint, in bonis Regalibus inſcriptas.

Sed Capitaneus pro injuriis nomine Limitum illatis, coram Rege reſpondebit. Poſt factos limites, Rex neq; Commiſſarios, neq; Reviſores dabit.

Sigiſm: Petric: 1523. QVoniam impediri plerumq; ſolent, & differri limites, inter bona noſtra Regalia, & bona incolarum Regni noſtri, tam Spiritualium quàm Secularium, Statuimus: ut Capitanei, & tenutarij, nullis injuriis afficiant ſubditos noſtros ratione limitum, & ſi quis illorum hoc fecerit: ex officio Capitaneali coram nobis reſpondebit. Nos verò deputabimus Commiſſarios noſtros, qui facient limites: ac illorum judicium, inhibitionibus noſtris non impediemus. Aſſeſſores ſeu Commiſſarios, nec etiam Reviſores, poſt factos limites deſignabimus.

Capitanei itaque, quando ex officio ſuo aliquid committunt, aut quando modum in defenſione bonorum Regalium excedunt, coram Regia Majeſtate, vel in loco competenti reſpondeant: poſt limitationem q; factam, ſi in fundo Nobilis, injuriam intulerint, eidem damna rependent.

Sigiſm: Petric: 1532. CApitanei locorum, de injuriis, vicinis ſuis, vel Capitaneatus ſui ſubditis illatis, reſpondere tum demum coram nobis debebunt: quando debebunt: quando ex officio ſuo aliquid admiſerint: vel intuendis bonis noſtris modum exceſſerint. Si quid verò ut privati commiſerint: in foro competenti cuilibet reſpondere, de ſe quærenti, tenentur. Præterea ſi etiam Capitanei noſtri, ſub prætextu defenſionis bonorum noſtrorum, gravem alicui ſubdito noſtro, in eius bonis, iniuriam intulerint: & poſt hac, cùm bona noſtra à bonis ſubditorum noſtrorum limitabuntur, deprehenſum fuerit: Capitaneum noſtrum, in his bonis, quæ non erant noſtra, ſed ejuſdem ſubditi noſtri, iniuriam aut damnum à ſe, Nobili & ſubdito noſtro in ejus bonis factum, reſarcire teneatur.

Capitanei bona Regalia defendant, uſq; ad dislimitationes.

Sigiſ. Crac: 1539. COnſtituimus: ne deinceps Præfecti arcium, & Civitatum noſtrarum, ſed ſoli Nobiles Commiſſiones obtineant, ad fines terminandos, ita tamen, ut nihilominus Præfectis, ſeu Capitaneis noſtris (ſicut veteri more receptum eſt: & Statutò cavetur) liceat bona noſtra defendere, ad declarationem uſque finium.

In

In primiſq; bona, ad procurationem generalem Cracovienſem ſpectantia, ne obligentur.

WLadislaus Iagello, Dei gratiâ Rex Poloniæ, Litvaniæq; Princeps ſupremus Dominus, & hæres Ruſſiæ, &c, ac electus Regni Vngariæ, Significamus tenore præſentium, quibus expedit, univerſis: quomodô debitâ animadverſione, hujus Regni noſtri dicti Poloniæ beneficia (in quo & educati, & Regij honoris culmine inſigniti ſumus) in animo revolventes: volenteſq; ipſa beneficia, de ipſo Regno ſuſcepta, omni cura, ipſi Regno, & Coronæ Poloniæ, ſtatutum & ſtabilimentum procurantes refundere: quòd maximè tunc videmur agere: cùm ipſius Regni bona, & poſſeſſiones, in libero, & inobligato ordine & ſtatu, ut poſſumus, præſervamus. Igitur promiſimus, ſpopondimus: ac in uerbo noſtro Regio promittimus, ſpondemus, & præſentis noſtri patrociniô ſcripti, nos obligamus: omnia bona, poſſeſſiones, civitates, caſtra, oppida, villas, molendina, piſcinas, lacus, & alia bona, quibuſcunque ſpecialibus vocitentur nominibus, ſeu vocabulis, quæ ad præſens, & hactenus ad procurationem Cracovienem generalem ſpectant, & pertinent, propter Regni noſtri ſæpefati Poloniæ neceſſitatem, & firmum ipſius ſtabilimentum in libera conſervantia & inobligata, ſervare, ſtare, tenere, & habere volumus, ita, quòd nulli hominum, cuiuſcunq; ſtatûs aut conditionis, & præeminentiæ fuerint, dicta bona vel eorum aliquid, quæ ad procurationem Cracovienſem generalem ad hactenus, pertinent, ita ut præfertur, inobligata conſervabimus: & libera, pro huius Reip. & Regni Poloniæ ſtatu profectu conſervando, ſtare promittimus: harum, quibus Sigillum noſtrum eſt ſubappenſum, teſtimoniô literarum. Datum Cracoviæ, Sabbatho proximo ante Dominicam Iudica: Anno Domini 1440.

Wladiſl. Iagello. 1440

Terra etiam Sandomirien. amplius ne obligetur.

KAzimirus, Dei gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Litwaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæq; Dominus & Hæres, &c. Significamus tenore præſentium, quibus expedit, univerſis, tam præſentibus, quàm futuris: Quomodo attendentes fidei conſtantiam, & eximiæ affectionis, in nos, & Remp. Regni noſtri devotionem, per Magnificum Ioannem de Rythwiany, Palatinum Cracovienſem, militem, & Conſiliarium noſtrum, ſincerè dilectum, rarâ & ſingulari liberalitate monſtratam, per quam Ioannes ipſe Palatinus, & voluntatem germani ſui olim Derslai, Caſtellani Cracovienſis, & Capitanei Sandomirienſis, impleturus: & benevolentiam propriam, erga noſtram perſonam primùm, deinde erga Rempub. Regni noſtri, & zelum ſingularem oſtenſurus: Terram Sandomirienſem, cum caſtro, civitate, cæteriſq; oppidis, & villis, teloniis, pontalibus, & univerſis cenſibus, proventibus, & introitibus, ad illam quoquomodo pertinen-

Kazim. vers.

tibus,

tibus: relaxando & dimittendo, ſimpliciter & nudè, notabiles pecuniarum ſummas: quas à nobis, & germano noſtro, Domino Wladislao Vngariæ & Poloniæ Rege, in dicta terra Sandomirienſi, caſtro, civitate, oppidis, & villis, uterq́; eorum habebat obligatas, & inſcriptas. Literas quoq́; diverſas noſtras, & præfati germani noſtri Domini Wladislai Regis (in quibus Inſcriptio & obligatio præfatarum ſummarum, cum cauſis & reſpectibus, denotata & expreſſa ad liquidum continebatur) in poteſtatem noſtram, per manus Venerabilis Domini Stanislai de Kurzozwiaki, Regni noſtri Vicecancellarii, reſtituit: de terra quoq́; prædicta Sandomirień, caſtro, civitate, oppidis & villis, effectualiter & ad integrum, nihil ſibi aut ſucceſſoribus ſuis Iuris, proprietatis, & dominii, in eiſdem relinquendo, exceſſerit: ſpontaneâ, ultroneâ, & merâ ſuâ voluntate: pro Regni ſui augmento, & profectu. Ne itaque caſu aliquo ſiniſtro (quod Deus auferat) vel eventu, voluntatem ſuam optimam, in augmentum Regni noſtri & Reip. ordinatam, contingat quoquomodo infringi, vel deformari: tenore præſentium, in verbo noſtro Regio promittimus, pollicemur: & nos fide bonâ aſtringimus, inſcribimus & obligamus: Quòd præfatam terram Sandomirień, caſtrum, civitatem, oppida, & villas, in toto, vel in parte, per ipſum Ioannem Palatinum nobis reſignatam & donatam, nulli hominum cuiuſcunq́; conditionis, ſtatûs, vel eminentiæ, in quacunq́; noſtra & Regni noſtri neceſſitate, eventu, vel ſucceſſu, caſu, infeudabimus, inſcribemus, vendemus, donabimus, obligabimus, locabimus ad tempus, & ad vitam in perpetuum: vel aliàs quoquomodo, nec aliquam ſummam pecuniarum, parvam aut magnam, etiam ad extenuationem, arrendationem, vel locationem, aut ſub nomine extenuationis, arrendæ, vel locationis, in eadem terra, & caſtro, civitate, oppidis, & villis, aut aliquô præmiſſorum, in parte vel in toto inſcribemus, vel inſcribi conſentiemus: ſcienter vel ignoranter, directè vel indirectè, vel quavis exquiſitâ cauſâ, occaſione, vel colore. Omnes tamen occaſiones, colores, artes, cauſas, calliditates, fraudes, ingenia, quacunque ſubtilitate excogitatas, ſcriptas, vel interpoſitas, nulli hominum, cujuſcunque conditionis, ſtatûs, ſexûs, vel præeminentiæ, exiſtat, qui contra noſtram ordinationem in toto vel in parte exceſſerit, aut illi contravenerit, aut illam violaverit, volumus in aliquo ſuffragari aut excuſationem, vel purgationem ſui ſceleris, ſuæque prævaricationis, pœnæ, & reatûs, trahi. Si autem præſenti noſtræ promiſſioni, pollicitationi, aſtrictioni, inſcriptioni, vel obligationi contravenerimus, & eam violaverimus, in toto, vel in parte: & aliquam infeudationem, inſcriptionem, donationem, venditionem, & obligationem, de dicta terra Sandomirienſi, eiuſq́; caſtro, civitate, oppidis, & villis, cenſibus, teloniis, & quibuſcunque eius redditibus, fecerimus: extunc talem infeudationem volumus, & decernimus eſſe caſſam, & irritam: nec ullum unquam poſſe obtinere robur: velut eam, quæ in damnum Reipubl. Regni noſtri procederet, læſionem, & offenſam. Sed & perſonam, cujuſcuq́; ſtatus, & conditionis exiſteret, quæ inſcriptionem & infeudationem, ſuper dicta terra Sandomirienſi, caſtro, civitate, oppidis, & villis, à nobis vel ſucceſſoribus noſtris ſuſciperet, læſæ Maieſtatis, læſæq́; Reipubl. ream eſſe decernimus: noſtrumq́;, ac Regni Poloniæ publicum hoſtem, & fraudatorem declaramus, habebimuſq́; facultatem nos, & ſucceſſores noſtri, quin & Conſiliarii Regni noſtri habebunt: hominem tam impium & ambitioſum, à præfata terra Sandomirień, caſtro, civitate, & oppidis & villis, aut parte earum, quamcunq́; occupaverit, abſque omni Iure, & ſtrepitu judicii, amovendi, & expellendi: tanquam communis boni hoſtem, & perturbatorem. In cujus rei teſtimonium, Sigillum noſtrum præſentibus eſt ſubappenſum. Actum in Conventione generali Petricovienſi, Feria quinta ante Dominicam, Eſto mihi: Anno Domini 1478 præſentibus Reverendiſſimo, & Reverendis in Chriſto Patribus, Dominis, Iacobo Sanctæ Gneſneń. Eccleſiæ Archiepiſcopo, & Primate: Sbigneo Wladislavienſi, & Andrea Warmień Epiſcopis: Necnon Magnificis & Generoſis, Matthia de Bnin Poſnań, Iacobo de Dambno Sandomirień, Nicolao de Kutno Lancicienſi, Palatinis: Ioanne de Oſtrorog Poſnanień, Bartholomæo de Iwanowice Caliſſień, Petro Dunin de Prawkowice Siradień, Caſtellanis: cæteriſq́; Dignitariis, & Officialibus Regni noſtri, & Curienſibus quàm pluribus. Datum per manus Venerabilis Stanislai de Kurzozwiaki, Regni Poloniæ Vicecancellarii.

Imò amittat pecuniam: qui eam dederit, ſuper terras Principales: in quibus ſunt Capitaneatus.

ITem, cùm bona & poſſeſſiones menſæ noſtræ Regalis, nedum pro perſona noſtra, ſed & pro tuitione & conſervatione Regni totius, ſunt à principio ordinata, Pollicemur: quòd non ponemus in obligationem, pro pecuniis, caſtra & terras principales, ſeu capitales: in quibus Capitaneatus conſiſtunt. Et ſi quis, à nobis, huiuſmodi terras, aut caſtra, ſic in obligationem receperit: pecunias per eum datas, eô ipſo amittat. *Kazimi territus in Nieſzowa 1454.*

Itaque bona Regalia, ſi neceſſitas Reip. urgeat, non alibi quàm in Conventione generali, cum aſſenſu Conſiliariorum, ſunt inſcribenda: idq; ſemper cum extenuatione, alioquin, honoris & pecuniæ amiſſionis pœnam, ſecus faciens feret.

QVoniam de bonis menſæ Regalis, ſtatus Regius etiam conſuevit ſpecialem habere proviſionem: & illis non habitis, neceſſariò ſtatûs Majeſtatis Regiæ publicis auxiliis deberet ſuſtentari: tot verò onera, in Regno contingunt ferenda, ut etiam publicis auxiliis, impoſſibile eſſet ſatisfacere: & providendo ſtatui Regio, & neceſſitatibus occurrentibus: Vt igitur ſucceſſivè evinci omnia valeant bona menſæ Regiæ, ſtatutum eſt: & per Majeſtatem Regiam approbatum eſſe debet: Quòd bona Re- *Alexander Rex Petric: 1504.*

na Regalia, dum eximentur, vel si quopiam modo devolventur ad Regiam Majestatem, ampliùs non impignorabuntur: neque donabuntur per Majestatem Regiam: nisi in generali Conventione, pro Reip. necessitate, Consiliarii consentirent, obliganda, donanda, vel inscribenda. Propterea quòd Regia Majestas nemini ampliùs, ad summas priores, in bonis Regalibus adscribet quicquam. Et si inscriptionem fieri contingat, etiam in generali Conventione Dominis Consiliariis consentientibus: nihilominus perpetuò observandum decretum sit: Quòd nemini aliqua bona mensæ Regalis deberet inscribere: absque conditione extenuationis. Qui verò contra præsens Statutum, pecuniam super bona Regalia dederit: ille perdet & honorem, & pecuniam, quam habet inscriptam.

BOVES.

Ne quis, vi, boves alienos recipiat.

Kazim: Magnus Visliciæ 1368.

Cùm alicui quatuor boves sint recepti violenter: & de hujusmodi violentia, fecerit protestationem: volumus quòd pro hujusmodi negligentia boum, & laborum, pro qualibet septimana, quatuor Scotos, damnum & injuriam passo, cum pœna *Piatnadziesta*, & Iudicio aliam similem pœnam, solvere illator injuriæ teneatur.

§. In pignoratione Boum, quomodò sit procedendum: vide in Titulo PIGNORATIO.

BVRGRABII.

Burgrabij & Iudices Capitaneorum: sint possessionati.

Sigism: Cracoviæ 1507

Cùm novæ & antiquæ Constitutiones decernant, Dignitarios & Officiales terrarum, illis possessionatos esse debere: ut Dignitates & Officia obtineant: de Iudicibus tamen, & Burgrabiis Capitaneorum, non videtur quicquam hactenus esse constitutum: Quapropter decernimus, quòd Iudices, & Burgrabii sint possessionati, in illis terris: in quibus, à suis Capitaneis constituti, officia exercent.

Burgrabij & Iudices, itinerantes defendant.

Sigis. Crac. 1507.

DEcernimus: quòd Iudices & Burgrabij, ipsos terrigenas & subditos nostros, itinerumque, ac itinerantium securitatem, juxta Iuris formam, à violentiis injuriantium defendant, ad solutionem verò poenarum quæ ex Iudicio debentur, eosdem compellant.

Burgrabij, seu tenutarij Castrorum, coram Officialibus Regni respondeant.

Ex Privileg. Lubovii, Cassoviæ 1374.

DEcernimus, quòd ipsi Burgrabij, seu Rectores Castrorum, & homines ipsorum, coram Capitaneis, Iudicibus, Subjudicibus Regni prædicti, qui pro tempore fuerint, citati, compareant: & respondeant, de se

de se querulantibus: prout cæteri Nobiles, & homines quicunq; Regni prædicti, dummodo causa, ultionis sanguinem non requirat, cujus cognitionem, pro Nobis, & nostris successoribus, reservamus specialiter.

CALVMNIA, ET CALVMNIATOR.

Kazimirus in Nieszowa 1454.

ITem cum omnis regula Iuris viam præcludat calumniis, Statuendum censuimus: quòd si contigerit, ut cuipiam objiceretur calumnia: calumniatorq; ab antiquo nuncupetur: quia scilicet procuravit, aut procurat causam calumniosam: ipse calumniator luet calumniato, cùm se purgaverit, pœnam trium Marcarum: & Iudicio, trium. Talis autem purgatio ipsis calumniatoribus, duntaxat tribus vicibus est indicenda. Cùm verò quartâ vice quis culpatus fuerit, de opere calumniæ: ampliùs ad expurgationem admitti non debet, sed si convictus fuerit: pro suo scelere, nares sibi præcidi debent, adinstar equi castrati, & eô ipso, honore sit privatus: nec Iure Nobilium peramplius, aut eodem aliquatenus tueri potest.

Calumniatoriæ Citationes.

Kazimirus in Korczyn 1451.

ITem volumus & decernimus: quòd calumniatrices & falsæ citationes, ac inordinatæ, locum in Iudiciis non habeant, pro quibus, juxta qualitatem accessus, Dignitarii Iudicio Præsidentes, habebunt facultatem eosdem calumniatores, & falsas & inordinatas citationes, puniendi, corrigendi, & mutilandi.

Calumniatoria Citatio.

Sigism. Augusti: 1550

TAmetsi contra Citationes calumniatorias, quæ vehementer increbuerunt, sint leges editæ: quia tamen in hoc dubitatum fuit, ubinam tales Citationes deberent cognosci, quam quidem dubitationem nos præcidere volentes, ita constituimus: Quia pro talibus Citationibus non alibi cognoscendum est: nisi apud illud Iudicium, vel Officium, apud quod producentur. Nihilominus duntaxat eo tempore, cùm par hæc injuriâ gravata, eo nomine actionem instituere volet, Appellatio seu Motio ad nos procedere debet.

Si quis calumniosè citaverit aliquem, pro invasione domestica.

Ioan. Alber.

Cùm quispiam personam justam & innocentem, pro invasione domûs calumniosè culpaverit: exindeq; cùm inculpatus deputaretur, turri recludendus: in tali casu, Nos & Successores nostri, priusquam ad deputandum in turri festinaverimus, scrutabimur, & scrutabuntur: scireq; debebimus, & debebunt, veram positionem rei, culpæ, & calumni-

atoris, quo in calumnia[m] comperto, Nos talem, ex debito auctoritatis noſtræ, infamem pronuntiabimus: & inſuper in facie cauteriſari demandabimus.

§ Calumnians mulier quempiam, de vi ſibi illata? Vide in Titulo, VIRGO.

CAMERARII.

Camerarij, Palatini, & Succamerarij, Iudiciis olim præſidebant, in terminis particularibus, qui alienas cauſas ne procurent.

Wladisl: Iagello Cracoviæ & Vartæ 1463

IN Terminis particularibus, Camerarii Iudicum & Subjudicum, item alii duo Camerarij, videlicet Palatini & Succamerarii, ſunt eligendi, ac per eoſdem ad illos adjungendi: ſine quibus Iudex & Subjudex & Camerarij eorum, non habeant judicandi facultatem. Prædicti etiam Camerarij, ſeu Officiales Iudicij ſic locandi, non debebunt alias cauſas niſi proprias, procurare: vel ad procurandum ſe de Iudicio levare.

Judices non per Camerarios, ſed per ſe Iudiciis præſideant.

Kazimirus tertius in Lovczin 1451.

ITem decernimus: quòd Iudices & Subjudices propriis in perſonis, & non per Camerarios, Iudicijs tenebuntur præſidere.

§ De Camerariorum Sententia redarguta: Vide in Titulo CASTELLANUS.

§ Camerarij Iudicium ſuum exercere poſſunt, etiam in abſentia eorum, qui intereſſe debeant: Vide in Titulo, IUDICIUM.

§ Camerariorum, vices Succamerariorum in limitibus obeuntium, quod ſalarium ſit? Vide in Titulo SUCCAMERARIUS.

CANCELLARIA.

A Citatione Regali, in Cancellaria nihil detur, nihil etiam accipiatur.

Sigiſmundus Petric: 1511

ITem ne prædicti noſtri ſubditi, in Cancellaria noſtra, à Notarijs plus juſtô graventur, Decernimus: quòd deinceps à Citationibus nihil accipiatur.

Prælati, ex Cancellarijs & Vicecancellarijs ſint.

Alexander Petricoviæ 1504.

CAncellarii & Vicecancellarij expectantes erunt primi, Archiepiſcopatuum, Epiſcopatuum, Prælaturarum, & aliarum Dignitatum, & Beneficiorum, proximè ac primò vacaturorum.

Officia Cancellariæ. Rex, in Conventione generali conferre debet.

Alexander, in Radom.

OFficia Cancellariæ, Rex de cætero conferre debeat, cum conſilio Conſiliariorum, in Conventione generali. *Atta-*

Attamen Sigiſmundus promotionem Cancellarii, & Vicecancellarij, & Secretarii Majoris, in ſua reliquit poteſtate.

ITem in Statuto Alexandri Regis, quod eſt de Cancellario & de Vicecancellario Regni, de Prælaturis, & Dignitatibus vacantibus, providendo Volumus & decernimus: ut habeatur per Nos, & Succeſſores noſtros, debita ratio laborum, & ſervitutis eorum, in noſtro tamen arbitrio & Succeſſorum noſtrorum reponimus: pro meritis, & virtute uniuſcujuſque, liberum ſit nobis, offerente ſe nobis opportunitate, prout videbitur Reip. expedire, unumquemque ad ſtatum & conditionem altiorem promovere. Quam moderationem, etiam ad Statutum de Secretario primo, ſeu Majore, referimus. *Sigiſmundus Crac. 1507.*

Cancellarius & Vicecancellarius, pari authoritate ſint.

CAncellarii autem & Vicecancellarii officia, amodo, officii authoritate, executione, expeditione, & conſuetudine ſic ordinabuntur: quòd cenſeantur invicem copulata eſſe. *Alexander Rex Petric: 1504.*

Cancellarius & Vicecancellarius, literas contrarias Iuri ne dent.

CAncellarius & Vicecancellarius, literas ſuper donationibus, & Inſcriptionibus bonorum nemini dent aliter: quàm Conſtitutiones Regni continent. Literæ autem, Iuri contrariæ intelligantur, Inhibitiones ad Iudicia: quæ emanant abſque neceſſitate Reipub. Item Commiſſiones inter perſonas: niſi granicierum diviſionis, vel de conſenſu partium eſſent. Item liberationes ab expeditione bellica. *Alexander Petr: 1504*

Cauſas Teutonicas Cancellarij & Referendarij quoque audient, quas ſimul etiam Regi referant.

QVia in Iudiciis Teutonicalibus, multas cauſas Nobilitas habere ſolet: Cùm ergo tales cauſæ obvenient: tum eas cum Conſiliariis, qui circa nos tunc præſentes fuerint, judicabimus atq; abſolvemus. Cancellariæ verò Officiales, cum Referendariis, audient eaſdem: & partibus, præſentibus nobis, referent. *Sigiſ. Petri 1550.*

Libri ſeu Regiſtra Cancellariæ, ad probationem ſuper bona, nihil valeant.

QVoniam magnô detrimentô afficerentur permulti Regni noſtri ſubditi: ubi libri, ſeu Regiſtra Cancellariæ, q ibus magni momenti Privilegia, & alia hominum Iura, & munimenta fideliter inſcripta ſunt, ſuſpecta aut fide carentia cenſeri debeant: ſicuti hactenus, pro varietate opinionum, putatum eſt: & ab aliquibus deſideratum, ut abolerentur, & caſſarentur: Nos itaque volentes quoſdam metu, non admodum neceſſariô, liberare, in præſenti Conventu decrevimus: Neminem ex ſub- *Sigiſm. Petrici 1538.*

ditis noſtris debere, aut poſſe inquietari, moleſtari, aut etiam periclitari, ſuper bonis quibuſcunque: quæ per literas, ex libris Cancellariæ noſtræ ſumptas, quòd fuerint Regalia, probari poſſent. Tales enim literas, quo ad eum effectum, moleſtandi aliquem ex ſubditis noſtris, nullius roboris & momenti eſſe volumus, & decernimus.

Libris verò Cancellariæ quid eſt inſcribendum, & ſi quis literas è Regiſtris Cancellariæ extractas, ijſdem Regiſtris comprobare non poterit, propter vetuſtatem eaſdam Iuramentò comprobabit.

Sigiſ: Petr: 1538. CÆterùm ut deinceps futuris temporibus libri ipſi Cancellariæ noſtræ, tantò diligentiùs & ſcribantur, & ſerventur, Volumus & firmiter decernimus: Vt Cancellarius & Vicecancellarius Regni noſtri, ipſi ſoli libros eoſdem in ſua cuſtodia diligenter adſervent: habeantque ſemper unum, vel duos Notarios, vel ſcribas juratos: qui omnia Privilegia, decreta, recognitiones, & alia quæ ad neceſſitates & ſecuritates hominum coram nobis fiunt, & ſub Sigillis noſtris conceduntur, ſincerè & fideliter, in libros hujuſmodi ſeu Regiſtra, deinceps inſcribant. Quòd ſi aliquis ſubditorum noſtrorum, caſu aliquo adverſo aut fortuito, literas à nobis emanatas, & libris Cancellariæ noſtræ inſcriptas, perdiderit, amiſerit, aut alioquin vitiatas habuerit: Officiales Cancellariæ noſtræ tenebuntur & debebunt, omnibus talibus, cum petierint, ſine ulla difficultate & renitentia, alias literas ex libris noſtris, non mutato priori tenore deſcriptas, ſub Sigillo dare, & extradere. Verum ubi literæ, ex libris Cancellariæ extractæ, allegarentur ſuſpectæ: Regiſtriſq: ſeu libris Cancellariæ comprobari, propter antiquitatem, non poſſent: tum Iuramentô producentis, ut moris eſt, comprobari debent.

Taxa literarum Cancellariæ.

Sigiſ. Petr: 1511. ITem ne prædicti noſtri ſubditi, in Cancellaria noſtra: à Notariis plus juſtô graventur, Decernimus: Quòd deinceps, à Citationibus nihil accipiatur: à Procuratorio, tres Groſſi: à literis commiſſionis, cum Mandato, decem groſſi: à literis conſenſûs, ſuper bona noſtra Regia, duo floreni: ab aliis verò Inſcriptionibus communibus, duæ ſexagenæ. Item à quibuslibet literis clauſis, ſex groſſi: à literis perpetuis, in pargameno, cum ſerico, Sexagenæ quinque ſolvantur. Prædictam autem taxam literarum noſtrarum obſervandam decrevimus, favore Nobilitatis Regni Noſtri: quam in hoc, ſpeciali prærogativâ condonare volumus. Cives verò, Iudæi, & homines externi ſolvent literas: juxta arbitrium & voluntatem Cancellariæ noſtræ.

Vt in Cancellariatu, & Vicecancellariatu Regni, alter ſit Spiritualis, alter Secularis.

PEtitionibus Baronum & Nobilium Regni noſtri annuentes perpetuo Decre-

Decrevimus Statuto: ut in futurum, in Cancellariatûs & Vicecancellariatûs officiis, cum aliquod eorum vacare contigerit, Nos & ſucceſſores noſtri, ad unum ex illis, Spiritualem perſonam, & ad aliud, Secularem præficere debeamus, propter actiones, quæ interdum tales eveniunt: quòd Spirituali perſonæ, earum executionem committi non convenit.

Cancellaria taxam literarum ne excedat.

Sigiſ. Aug: Petrii 1550 CAvendo, ne Nobilitas gravaretur, circa receptionem & ſcriptionem quarumcunque literarum, Renovamus Statutum: ut Cancellaria conſervet ſe, juxta hoc ipſum Statutum Sereniſſimi olim parentis noſtri, de eo conditum.

Cancellariatus, Vicecancellariatus, Mareſchalcatus, de quibuſcunque terris.

Kazim: tertius 1499. CAncellariatum, Vicecancellariatum, Mareſchalcatum, & alia Officia curiæ, diſtribuemus viris idoneis: ſive fuerint de terris Majoris Poloniæ: ſive Cracoviæ, aliàs Minoris Poloniæ.

Cancellarij & Vicecancellarij, tam Spirituales, quàm Seculares, dignitates cum Sigillo tenere non poſſunt.

Alexan: Rex ITem Cancellarius & Vicecancellarius, poſt pacificam aſſecutionem cujuſcunque, Gneſnenſis, Cracovienſis, Wladislavienſis, Poſnanienſis, Varmienſis, aut Plocenſis, Eccleſiarum Epiſcopatum, tenebitur Officium reſignare, & pari modo de Secularibus, iſti d, Officialibus intelligatur: ut & ipſi, Palatinatu aut Caſtellanatu aſſecuto, Officio cedant: illudque Rex de cætero conferre debeat, cum conſilio Conſiliariorum, in Conventione generali.

CAPITANEI.

Capitanei ſint poſſeſſionati.

Sigiſmundus Petrit: 1519 CApitanei, & eorum Officiales, ſint in terris, ubi ipſa Officia gerunt, poſſeſſionati: juxta antiquum Statutum, alioquin, ſuis Officiis per Nos privari debebunt.

Capitanei, & Vicecapitanei, & Iudices, ſint poſſeſſionati.

Sigiſm: Cracovie 1543. CApitanei, & Vicecapitanei, & Iudices Caſtrenſes, ſint poſſeſſionati: ſub pœna amiſſionis Officiorum Capitanealium, contra quos Capitaneos, & Vicecapitaneos, & Iudices, ſimiliter etiam Nuntij illius terræ inſtigare debent, ac tenebuntur.

Pœna Capitaneorum negligentium.

Sigiſ. Crac 1507. VT Officiales & Dignitarij diligentiùs intendant exequutioni, & Iudicio-

diciorum, & administrationum eis incumbentium, innitendo prioribus Constitutionibus, Decrevimus: ut quoties Capitanei, in exequendis ijs, quæ ad ipsorum officium pertinent, negligentes reperti fuerint, si in obligatione, bona Capitaneatuum suorum teneant, puniantur pœna centum Marcarum, de eorum summa eis defalcandarum. Si autem in liberis bonis Capitanei extiterint: privatione officij Capitaneatûs volumus esse puniendos.

Quatuor articulos Capitaneus, seu ejus Iudex judicabit.

Wladisl: Iagello Cracoviæ 1423 RElatum est nobis: quòd Capitanei nostrarum terrarum, communiter causas quascunque, quæ minimè ad eos dignoscuntur pertinere, judicant, sententiant, & discernant. Volentes igitur imponere eis modum judicandi, Decernimus: Quòd Capitanei terrarum nostrarum debeant alias causas, præter infrascriptos articulos, judicare: scilicet pro violentia fœminarum: pro deprædatione stratæ publicæ: pro incendio, & immissione ignis: pro violenta invasione domicilij alicujus, aliarum autem causarum minimè judicandi habeant facultatem.

De eodem, quòd quatuor articulos Capitaneus judicat.

Kazim: tertius in Nieszowa 1454. ITem Statuimus: quòd Capitanei nostri non judicent indistrictè, præterquam quatuor articulos. pro concussione viæ Regiæ, ubi mercatoribus violentia infertur: pro incendio: pro invasione domûs, violenta manu: & oppressione fœminarum.

De eisdem quatuor articulis, juxta Statutum Niessoviense judicandis.

Albertus Petricoviæ, 1496 ITem ad tollendum nonnullorum Capitaneorum abusus, Decrevimus: ut ipsi Capitanei judicent duntaxat articulos quatuor, in Privilegio præinserto descriptos.

Alioquin, nullitas sit Iudicij Capitanei: si quid ultra quatuor articulos judicaverit.

Idem Rex. ET nihilominus, si quid ultra articulos quatuor judicarent, id irritum & inane esse volumus, & decernimus.

In causis, à Iudicio Capitaneorum alienis, impunè non paretur, vel terminus prorogatur.

Sigism: Cracoviæ 1532 VOlumus & statuimus: ut Capitanei, præter articulos in Statuto expressos, nullas alias causas judicent, etiam si quis, vel non comparuerit: vel ex ignorantia, jurisdictionem Capitanei prorogaverit. Et si quid in contrarium fecerint: eorum Iudicium nullitatis vitiô cassetur.

Capitaneus ergo, de violationibus virginum, & oppressione viduarum, & maritarum judicet.

Quicun-

QVicunque itaque virgini, seu viduæ, vel coniugatæ, in campo, sylva, domo, aut ubicunq; opprimendo violentiam fecerit: & Virgo, seu mulier, evadens violentiam oppressoris, si intra triduum, ad villam viciniorem veniens, seu in villa existens, ad vicinos clamaverit plorando, vel lacrymando, narrandoq; sibi violentiam esse illatam: & signa oppressionis in ea apparuerint manifesta: & subsequenter iuraverit: in gratia Nostra, amicorumque eius, idem oppressor existat, & hoc, si de eius clamore, dicti villani fuerint protestati. Si verò virgo, de oppressione aliquem accusaverit calumniosè: & in ea signa non apparuerint oppressionis: extunc is quem accusavit, cum sex conditionis suæ hominibus, se expurgabit: ipsa calumniatrix, cuiuscunque status, & conditionis existat, pœna debita castigetur. *Kazimirus Vislic: 1368*

Capitanei itaq; judicent terminos in sex hebdomadis, ante unam hebdomadam publicè prædicentes.

ITem statuimus: quòd Capitanei nostri iudicia sua non iudicent, in arctiori tempore, nisi in sex hebdomadis: quodq; antehac ipsorum Iudicia huiusmodi ante unam septimanam præconisentur, & proclamentur: locusq; tali Iudicio publicè designetur. *Kazimir. in Nieszowa, 1454.*

Capitanei & tenutarii, Nobilitati in limitibus vim non inferant.

CApitanei & tenutarii bonorum nostrorum, violentias in Nobilitati limitibus non inferant: nec eosdem limites, per Commissarios nostros factos, vi destruant. *Sigis. 1519*

De eodem: quòd Capitanei in sex hebdomadis judicent Iudicia, & si illos abesse, ex justa causa contigerit: possessionatos Iudices substituant pro se: sub privatione Officij.

HÆc autem Iudicia celebrabunt (Capitanei) in sex septimanis: quibus personaliter interfint, & quoties non interessent: constituent Nobilem Iudicem possessionatum, in eodem Capitaneatu domicilium habentem, causasq; & judicia discernere scientem. Quod faciant, sub privatione Capitaneatus, cui pœnæ subijcientur, quotiescunq; causa quacunque privata impediti, Iudiciis non interessent, exceptô, quòd propter necessitates, aut actiones Reipub. vel nostras, interesse non valerent. *Albertus Petric: 1496.*

Capitanei, non privatis, sed in consuetis ac publicis locis, judicabunt: sub pœna nullitatis.

ITem ad tollendum nonnullorum Capitaneorum abusus, dum videlicet relictis Capitaneatuum locis consuetis, in quibus Iudicia exercere consueverunt, nonnunquam tribunalia Iudiciorum suorum, in locis ab *Albertus Petric: 1497.*

officio ipsorum alienis constituunt, Decrevimus & statuimus: Vt ipsi Capitanei terrarum, ac districtuum: non in alijs judicent locis, quàm Capitaneatuum propriis: aliàs in quibus Iudicia esse consueverunt, articulos tamen duntaxat, in Privilegio Iuris communis descriptos.

Alioquin, nullitas est Iudicij Capitanealis: si quid vel non in tempore, vel non in loco judicaverit.

Alber: 1496 ET nihilominus, si quid ultra articulos quatuor, aut in aliis temporibus, & locis inconsuetis judicarent: id irritum, & inane esse volumus, & decernimus.

Cùm autem criminales ferè causas Capitaneus judicet: quisq; pro recenti crimine, infra annum & sex hebdomadas actionem intentet.

Alexander in Radom. 1505 QVerebantur subditi nostri Majoris Poloniæ præsertim de Capitaneatu Posnanienſi: Citationibus Capitanei se vehementer gravari. Quamobrem decrevimus: Quòd ad Capitaneum citari nemo debet, nisi pro recenti crimine. Tempus autem recentis criminis sit, annus, & sex hebdomadæ.

Vt Rex, ita Capitaneus potest Ministerialem dare ad citandum.

Kazimirus Vislic: 1368 DEcernimus etiam declarando: quòd Nos, vel Capitaneus noster, vel Palatinus, vel Iudex, vel Subjudex, vel Officialis, qui dicitur *Woznу*, habeant facultatem dandi Ministerialem ad citandum.

Capitaneus tantùm Iure victos, ad solutionem pœnarum compellat.

Sigismundus Crac. 1507 CApitanei, ipsorumq; Iudices, & Burgrabij, ad solutionem pœnarum, quæ ex judicato debentur, terrigenas & subditos nostros compellant.

§. Quâ pœnâ puniuntur Capitanei negligentes in exequenda re judicata: Vide in Titulo, PROCESSUS IURIS.

§. Olim Capitaneus Commissarios, sumptibus & expensis Regiis sustentabat: Vide in Titulo, COMMISSARII.

§. Capitanei, non exequentes, Constitutiones Palatini, in pretio rerum venalium, si liberos Capitaneatus habent: illis priventur, si illiberos centum Marcis puniantur: Vide in Titulo PALATINUS.

Capitanei, ad limites faciendos venire negligentes, viginti octo Marcis puniantur.

Sigism. Petric. 1511. ITem, quia ex querelis Nobilitatis accepimus, multos damnis affici negligentia Capitaneorum, & tenutariorum bonorum nostrorum: qui per Iudices Commissarios accersiti, ad limitanda bona nostra, cum bonis prædictæ Nobilitatis, venire recusant. Huic igitur incommodo occurrere volentes, Statuimus: ut si deinceps Capitanei, vel tenutarij nostri accersiti venire neglexerint, ad eosdem limites faciendos: pœnâ viginti octo Marcarum, per Nos puniantur, quarum medietas, parti: reliqua nobis, & successoribus nostris, cedere debet.

§. De defensione limitum per Capitaneos, & injuriis, ratione eorundem illatis: Vide in Titulo, BONA REGALIA.

§. Capitanei, excommunicatos non punientes, censuris Ecclesiasticis puniantur: Vide in Titulo, PRIVILEGIUM.

§. Iuramentum Capitaneorum: Vide in Titulo IURAMENTUM.

§. Impossessionatos, Capitaneus judicabit: Vide in Titulo, IMPOSSESSIONATI.

§. Capitaneus stipendiatos milites, damna inferentes, ad satisfactionem compellat: Vide in Titulo, STIPENDIATI.

§. Coram Capitaneo non est terminus peremptorius: vide in Titulo TERMINUS.

§. Palatinus & Castellanus, in Capitaneatu præfici non potest: præter Palatinum Cracovienſem: Vide in Titulo, PALATINUS.

CARDINALATVS.

Ecclesia Gnesnensis præponitur Cracovienſi. Cardinalatus, & Legationes, non ambiantur: quodq; alternatim Archiepiscopus & Cardinalis, ad consilium accedebant.

Alexander Rex 1451 ALexander Significamus: quia Reverendiſſimus in Christo Pater, Dominus Andreas Roza, Archiepiſcopus Gnesnen, & Regni nostri Primas, in præsentia Consiliariorum, & Prælatorum Spiritualium, & Secularium, suas nobis porrexit petitiones: ut ex Registris Cancellariæ, Sereniſſimi olim Kazimiri Regis Poloniæ, Patris Prædeceſſoriſq; nostri, Privilegium ad Ecclesiam Gnesnenſem pertinens, per ipsam olim paternam Majestatem Regiam donatum atq; conceſſum, transcribere, illudque innovare & confirmare dignaremur, cujus sequitur tenor.

Kazimirus. Significamus tenore præsentium, quibus expedit universis, præsentibus & futuris: Quòd cum inter terras nostras Regni Poloniæ, & subditos earum, non modica orta esset differentia, disceptatioque non mediocris fieret: & super Cardinalatu Reverendiſſimi in Christo Patris, Domini Sbignei Episcopi Cracovienſis: propter quam etiam Resp. Regni ipsius dissolvebatur, & complurima incommoda capiebat: Nos tandem talem differentiam disceptioneſque, prout ex debito regimine nostri tenemur, semovere, sedare, complanare, & ipsas terras nostras ad statum reducere debitum unionis volentes: indictô per nos, super ea re potiſſimè, perlamento Prælatorum, & Baronorum Regni nostri præfati, in hoc loco, Oppidi Petricovien. pro Festo Pentecostes servato:

vato: de consilio eorundem Prælatorum, & Baronorum nostrorum, per nos ita ut sequitur concluſum, determinatum, definitum, & decretum existit. In primis autem, quòd sedes Metropolitana Gnesnensis, Domini quoq; Archiepiscopi, & Primatis sedis ejusdem, pro tempore existentis, in omni Iure, autoritate, & potestate, prærogativa, Iurisdictione, & consuetudine, quas aliâs Ecclesia Gnesnensis ab antiquo, supra Eccle siam Cracovien sem habuit & habet, debeat in ævum conservare.

Item Statuimus & ordinavimus: quòd præfatum Sbigneum, Cardinalem, & Episcopum Cracovien sem, omnes & singuli regnicolæ, cujuscunque dignitatis, statûs, & conditionis existant, pro vero & indubitato Cardinali tenebunt, & reputabunt: eumq; ipsius Cardinalatus titulo scribent, intitulabunt, & nominabunt: scribereq;, & intitulare, ac nominare tenebuntur, & sint astricti. Item à modo & de cætero, neq; Dominus Archiepiscopus Gnesnensis, neq; Episcopus Cracovien sis, & cæteri Episcopi postulabunt, aut petent: sed neq; petere debent, aut quovis modo impetrare, dignitatem Cardinalatus, aut Legationes Sedis Apostolicæ: absq; consensu nostro, & omnium Consiliariorum Regni. Cæterum ut quævis impedimenta in consiliis, pro bono publico fiendis, cessent: & difficultates amputentur: firmaq; stabilitas consiliorum, in Regno ipso nostro permaneat: uterq; Prælatorum prædictorum, vadant cum cæteris Prælatis, & Baronibus, ad Conventiones pro tempore statuendas, daturi ad Rempubl. consilia opportuna: Sed alter eorum una die, & alius altera die, ad consilium veniat, & ingrediatur: quem tum nos vocandum duxerimus. Non vocatus verò in hospitio debet remanere, & stare: daturus nihilominus ab inde consilia opportuna, super quibus fuerit requisitus. Præterea hoc præsens decretum, in præmissis factum, habitum, & concluſum, inviolabiliter per partes teneri debet, & irrefragabiliter observari. Qui verò illud servare, tenere, & ad illud attendere nollet, sperneret, aut minimà curaret: Nos contra talem partem, præmissa non servantem, & omnes Consiliarii nostri, atq; regnicolæ, omnino esse debemus: & non permittere eum uti propria voluntate. In quorum omnium fidem, & testimonium præmissorum, Sigillum nostrum præsentibus est subappensum. Actum in Piotrkow, in Conventione generali, Feria quinta infra Octavas Pentecostes: Anno Dñi. 1451.

CASTELLANI.

Castellanorum ad Iudicia celebranda, designata loca.

Kazimirus Vislicie

QVia plerumque habentes Iurisdictionem, à casu, & pro libitu suæ voluntatis, consueverunt ad Iudicium acceptare, vel eligere sibi loca quælibet indeterminatè: & ideo, ut quisq; suis terminis sit conventus, Statuimus: quòd Cracovien sis Castellanus, in tribus duntaxat locis, videlicet in Cracovia, in Andrzeiow, & in Wieliczka, sua debet & tenetur

tur Iudicia pertractare, aliâs tanquam non à suo Iudice, quicquid factum fuerit, vel judicatum, nullam habeat facultatem. Idem de Castellano Sandomirien si, & aliis Statuimus.

Castellani ne dent Citationes, sine certo Actore. sic Iudices, Subjudices.

Kazimirus Vislicie

PRohibentes nihilominus Castellanis, & quibuslibet Iudicibus, & Subjudicibus: quòd deinceps, sine certo Actore & causa expressa, non debent decernere, nec dare aliquas citationes. § Idem in Titulo CITATIO. Vide.

Qui arguit sententiam Castellanorum, aut eorum Camerariorum, & c quid unicuiq; solvet.

Kazimirus Magnus Vislicie 1368.

CVm aliquis arguit, aliàs *Nágáni*, sententiam Castellani Cracovien sis: tunc pelliceam hermelinam, aliàs *Gronostáiowy*: Castellanis autem Sandomirien, & Lublinen, pelliceas mustellinas, aliàs *Popielice*, cuilibet etiam Palatino, pelliceas mustellinas: Iudicibus autem, Cracovien si, & Sandomirien si, pelliceas mardurinas: Subjudicibus, vulpinas: Succamerariis, per sex Marcas: Camerariis autem istorum, & aliorum omnium nostrorum Dignitariorum, per sex Scotos: Iudicibus Castellanorum, per mediam Marcam: cuilibet Notario terrestri, pelliceas vulpinas: aliis verò Castellanis, & Iudicibus, (Cracovien, Sandomirien, & Lublinen, exceptis) per sex Scotos Marcas: absq; omni contradictione, & antequam ad aliquam audientiam admittatur: dare, & satisfacere teneatur.

Castellanorum Iudices.

Kazimirus Vislicie

SI Iudicibus Castellorum, objiciet aliquis falsitatem sententiæ: audiri minomè teneatur, donec eis pelles agnellinæ fuerint fore justum. Et id, quod de Iudice præmisimus, & Castellano etiam censuimus sentiendum.

Castellanorum Iudices, pro capite judicabunt.

Kazimirus Magnus Vislic. 1368.

STatuimus: quòd pro capite quolibet, Castellanorum Iudices, quilibet in sua Castellania, judicandi & cognoscendi habeant facultatem.

Castellania, de homicidio incerto non agat.

Kazimirus Vislic: 1358

SI ignoratur homicida: Officium pro capite neminem culpabit: sed consanguinei inquirent, & culpent. Sed dum ignoratur, quis commisit homicidii immanitatem, Decernimus: quòd Castelania, de hoc aliquam non moveat quæstionem: sed consangvinei & proximiores culpabilem inquirentes, causam, dum poterint, prosequantur: juxta Iuris formam:

Caſtellanorum officia in bello.

Sigiſm: Bydgoſt: 1510. QVodam abuſu frequentatum eſt: quòd Nobilitas ſine ordine ad bellum, dum generalis expeditio moveretur, tranſibat, Conſtitutionem vetuſtam non obſervando. Decernimus itaque, Statuto veteri innitentes: Vt Caſtellani diſtrictus ſuos, ad locum in Reſtibus per Nos deſignatum, ſine hominum injuria & incommodo, ducant, quibus quidam auctoritatem damus: eos puniendi: qui temerariè exceſſus facerent, & damna hominibus inferrent, ordinationes in victu comparando non obſervantes. Quòdſi Caſtellani officium ſuum in hoc neglexerint exequi; & in profectione, damna non prohibuerint: tunc tenebuntur damna paſſis ſolvere: ſi reos nobis non detulerint: & Nobis, pro pœna negligentiæ, quatuordecim Marcas ſolvent Palatini verò, cum Caſtellanis ordinabunt diſtrictus: & Caſtellanis eos ducendos divident, & deputabunt: præſertim in Majori Polonia, ubi nihil hoc modo ante ordinatum fuiſſe reperitur. Dum verò Caſtellanus, cum diſtrictu ſuo movere ſe voluerit, ad bellum: ut unà omnes pergant, debet Caſtellanus ſuo exercitui locum deputare: & in loco competenti, tentorium ſuum extendere: & quatuor diebus, & in eodem loco demorari: & tandem progredi: ſine hominum injuria, victualia quævis, ut Statuto cautum eſt, ſolvendo. Et cùm ad locum, in reſtibus deſignatum venerit: Palatino ſuo eum diſtrictum, quem duxit, conſignabit.

Sigiſm: Bydgoſt: 1520. §. SIMILIS. Itaque Nobiles diſtrictuum, cum ſuis Caſtellanis, ad locum generalis belli deſignatum procedant: & Caſtellanus, in profectione de Nobilitate conquerentibus, ſuper damnis, & injuriis, juſtitiam faciat: inobedientes autem, Nobis & ſucceſſoribus noſtris deferat. Quòd ſi deferre neglexerit: extunc damna paſſis perſolvet. Si verò idem Caſtellanus, ægritudine, vel aliqua alia cauſa abſens fuerit: vel tranſire non poterit: extunc in locum ſuum, alium idoneum Nobilem deputabit, ad præmiſſa.

Pretia rerum, ad victum ſpectantium.

Sigiſm, Petric: 1523. ITem ut expeditio bellica ordinato modo fiat, ad tuitionemq; Regni, & non ejuſdem deſtructionem cedat, veteri ordinationi & Statuto innitentes, Statuimus & ordinamus ut Caſtellanus, ad bellicam expeditionem, cum Nobilibus ſui diſtrictus profecturus, quatuor vel ad minus tres dies, in loco ad conveniendum deſignato, in diſtrictu ſuo expectet. Et qui Nobiles ad diem illam non convenerint: ſoli verò abſque Caſtellano ſuo proficiſcentes, ſi damnum cuipiam fecerint: duplum ejuſdem damni ſolvere damnum paſſis teneantur, & debebunt. Idem autem Caſtellanus, cum ſuo diſtrictu proficiſcens, ſtativa faciet cum Nobilibus, non in villis, nec oppidis: ſed propè illa, juxta Statuta Regni. Et ſi ruſtici, ſeu coloni, commeatum & alia neceſſaria, ad exercitum eius conducere nolue-

noluerint: ipſe Caſtellanus ad vicinas villas, familiares ſuos, vel aliquos probos Nobiles mittat, qui neceſſaria ipſa, omnibus, qui pro illis ſe contulerint, diſtribuent: & curabunt, ut paratâ pecuniâ exolvantur: modo & ordine infra ſcripto: Videlicet fœnum, quantùm unus equus portare, ſeu trahere poteſt, ſolvatur unô groſsô: quod duobus equis afferetur, ſeu adducetur, duobus groſſis: quod quatuor equis, quatuor groſſis. Caſſula ſiliginis una, tribus groſſis ſolvetur: Avenæ unus chorus, unô groſſo: Caſſula verò avenæ, duobus groſſis ſolvetur. Bos mediâ Marcâ, Iuvenca, aliàs *Iałowicá:* ſedecim groſſis: porcus, duodecim groſſis: Aries, ſeu muto, tribus groſſis: Anſeres, gallinæ, pulli, prout in antiquo Statuto deſcriptum eſt, ſolvantur.

Sigiſm: Cracovia 1532. B 2 §. SIMILIS. De militibus mercenariis, & nobilitate ad ſervitium bellicum proficiſcentibus, vel inde redeuntibus, Capitaneus exercituum Regni, & Palatini, ſeu Caſtellani locorum, providere debent: ne ſubditis Spiritualium vel Secularium, aliqua damna vel violentiæ, contra Regni Conſtitutiones, & Privilegia, inferantur. & ſi illatæ fuerint: ut ad ſolutionem, & ſatisfactionem damnorum, & injuriarum, illas inferentes compellantur. Cum verò milites mercenarii ex ſervitio, vel Nobiles Regni noſtri ab expeditione bellica, domum reverentes, aut reverſi, aut in propriis agentes, alicui damna intulerint: Nos juſtitiam cuilibet de illis facere, & miniſtrare pollicemur: vel Officiales noſtri miniſtrabunt, juxta Statuta Regni noſtri.

Caſtellani, ſeu dignitarij, in Capitaneos non conſtituantur.

Kazimirus Viſlic: Fol: 92. ITem cum ſingula officia ſuis ſint actibus deputata, Pollicemur: quòd in nullis terris Regni noſtri Palatinum, aut Caſtellanum, in Capitaneum præficiemus præter Capitaneum Cracovien.

§, Caſtellani ægrotos in conventibus qui bellum præcedent revideant: Vide in Titulo, BELLUM.

CASTRA PER QVEM ÆDIFICARI DEBEANT.

§ Vide in Titulo, PRIVILEGIUM, Regis Ludovici Privilegium.

§ Legem, quæ vetat caſtra alienigenis committi, vide in Privilegio Wladislai Iagellonis: quod continetur ſub Titulo, PRIVILEGIUM.

CAVSA QVIS CADIT?

Cauſâ cadit, qui non probat id: quod ſe probaturum recepit.

Conſuetudo SI quis in Citatione, vel in controverſia ſua, recepit ſe probaturum aliquid: eaq; de cauſa retulit ſe ad librum Actorum, Ius aliquod, Miniſterialis recognitionem, teſtes, ad aliudve aliquod ſummum cauſæ ſuæ fulcimentum: neq; eo probat: quo cauſam ſuam lucrari voluit, perdet.

CAVSÆ AD CONVENTIONEM DEVOLVTÆ, STATUTIS DIEBUS IUDICENTUR: ET CONCLUSIONE CONVENTUS FACTA, A NEMINE IUDICENTUR.

Sigismundus 1538. B 4.

COnsentimus: ut causæ, ad Conventionem Regni generalem devolutæ, duobus in septimana diebus, quartâ scilicet & sextâ Feriâ, per Nos deinceps recognoscantur, & judicentur. Et conclusione facta Conventûs, nemo postea in causis, ad Conventionem devolutis, judicari debebit aut poterit.

CANIS.

De morsu canis, ex incitatione alicujus.

Kazimirus Vislic: 1368 Fol: 24.

EGidius conquestus est: quòd canis Falconis, ex incitatione seu impulsione ipsius Falconis, taliter illum læsit, & momordit: quòd ex illo morsu, asserebat & ostendebat se claudicare: Falco verò eandem canis incitationem & impulsionem negabat. Et quia Egidius actor, hoc non poterat comprobare, Nos in tali casu Decernimus: quòd Falco, per Iuramentum proprium, debet se expurgare.

Fera acta, & canes, ne vi capiantur.

Wladisl. Iagello Cracoviæ & Vartæ 1423. Fol: 47.

NOnnullæ displicentiæ seu controversiæ, inter nostros subditos, & Nobiles, in venationibus oriuntur, ex eo: quòd aliqui feras agitatas, aut canes alterius recipere non formidant, nec verentur. Vnde Statuimus: ut si quis in posterùm, cervum, aprum, aut onagrum alterius agitatum, aut captum, vi, aut occultè, aut canes alterius ceperit, aut rapuerit, & pro se usurpaverit: talis usurpans, pro ferinis, sive canibus tres Marcas pro pœna: & alias tres Marcas illi, cujus fera fuit, solvere sit astrictus.

CELERITAS.

Celeritas inimica Iudicio.

Kazim: Magnus Vislic: Fol: 16.

LIcet in pluribus casibus celeritas commẽdetur: tamen eadem celeritas, in Iudiciis & causis expediendis, rationabiliter quandoq; non est observanda: sed potiùs amplianda, & dilatanda ex eo, quòd judicantem cuncta oportet rimari.

CENSVS PERPETVI, SOLO ANNEXI, RATIFICANTUR.

Sigism: Cracoviæ 1532 B 2.

PLuries per subditos nostros solicitati sumus: ut literas reponi mandaremus, super census perpetuos domorum: & in defectu literarum, liberam cuique potestatem faceremus, eosdem census perpetuos domorum, seu quorumvis locorum, solo annexos, uni ab altero redimendi: & perpetuitate oneris, pro certa summa pecuniaria, inter se, instar redemptionum censunm, commutandi. Nos etsi nunquam assentiri eiusmodi pe-

di petitioni voluimus: quia tamen hucusq; ab ea ipsa petitione, quæ multam in se continere videtur iniquitatem, illos cum sua non vulgari molestia, & fastidio nostro, non cessare experimur: providere volentes, ne in posterum, uni ab altero quod non esset æquum repetendi, vel literarum super census perpetuos diuturnitate temporis abolitarum productionem exposulandi, occasio (dissidiorum inter subditos nostros subadministratrix) præbeatur, Statuimus & decernimus, cum assensu & consilio totius Senatûs nostri, ut nemini subditorum nostrorum, cujuscunq; status & conditionis exstiterint, licèt quomodocunq; directè vel indirectè, reemptionem perpetuorum & solo annexorum censuum, deinceps verbô vel factô, contra veterem illorum possessionem, attentare, quos perpetuos esse, sola veteri & diuturna possessione, & circa venditiones vel inscriptiones bonorum, ad census perpetuos solvendos obligatorum, mentione, probari decernimus.

CEREVISIA.

Spirituales & Seculares, liberè ubique locorum Cerevisias coquant.

Albertus Petric: 1436. Fol: 104.

ABusum illum, quo ad recipiendas in villas, de civitatibus & oppidis nostris, cerevisias, Spirituales & Seculares subditi nostri, (specialiter in Brzestensi, Iuniwladislaviensi, Radzieioviensi, & in aliis quòque terris, & districtibus) compellantur, tollimus & abolemus: perpetuò Decernentes statuentesque, illos, & alios ubicunq; locorum in Regno nostro constitutos, subditos nostros, villarum Dominos, eorumq; subditos, in hac libertate conservandos: ut liceat cuiq; cerevisias, & liquores alios, undecunq; recipere, sumere: in villisque, & locis aliis ditionis eorum, braxare, & braxari facere: ac undecunq; maluerint, aut voluerint, sumere, habere, propinare, & uti, frui liberè: absq; omni nostri, & Capitaneorum nostrorum, prohibitionis, arresti, ac pœnæ formidine.

Cerevisiam in Civitatibus Nobiles si coquent: Ducilia non solvent: præsertim in suos usus.

Sigis. Petr: 1511. Fol: 17

QVia Nobiles Regni nostri multa onera Reip. & præsertim defensionis contra hostem sustinent, Statuimus: ut quicunq; in Civitatibus, & Oppidis, ad usum suum privatum domesticum, cerevisiam braxaverit: dummodo id non in fraudem fiat, ad solvendam contributionem, dictam Czopowe, minimè teneatur.

CITATIO.

In Citatione, verba criminalia non ponantur.

Sigism: decret: inter Strzatkowski & Kotaczłowski

MAjestas Regia decretô suô, in vim Statuti perpetuis temporibus duraturi, omnibus passim, tam Procuratoribus quàm etiam aliis personis, cujuscunq; status & conditionis existentibus, mandare & inhibere

bere dignata est: ne quispiam citationem inordinatam, & verba in eadem, quæ alicujus honorem & bonam famam tangeret, descripta: & ad præsentiam M. Regiæ, & judicium suæ Majestatis, & ad quodlibet Iudicium, Terrestre sive Castrense, deferre, & de eadem proponere audeat: sub pœna sessionis unius septimanæ, in turri, per omnes, in contrarium decreti suæ Majestatis præsentis facientes sustinendæ.

Ad Iudicium Terrestre citare licet, pro quacunq; summa.

Kazimirus Magnus VOlumus autem: ut liceat unicuique, pro quacunq; summa pecuniæ, vel injuria hæreditaria, & personali, aut bonis quibuscunque, totiens, quoties, citare ad Iudicium Terrestre. Vbi citatus parere, respondereq; tenebitur, & debebit: non excipiendo se ad Terminos generales, ob summæ magnitudinem, vel potiùs licebit Iudicibus Terrestribus, etiam pro magna summa judicare: cùm liceat unicuiq; partium appellare.

In Citatione verò ad Conventum scripta, terminus sexta die, post ingressum Regis, præfigatur.

Ioan: Alber: 1496 Fol: 106. ITêm quoniam nonnunquam terminis Citationum confusè scribebatur, ad conventionem generalem: aut certa diei specificatione non limitatus: aut prolixiùs assignatus; unde contingebat pauperes nonnullos, non expectatô terminô, defectu expensarum, de Conventione rerecedere: sicq; in justitia negligi: Hac igitur ratione moti, Statuimus: quòd citatio, ex parte actoris super reum, quæ debet esse ad Conventionem generalem, contineat semper terminum, seu diem sextam post ingressum nostrum ad locum conventionis: sub pœna trium Marcarum. & hoc propterea: ut lapsa unâ septimanâ, post ingressum nostrum ad locum Conventionis, condemnationes, & judicia exerceantur, ne expensis, & impensis magnis homines graventur

Sed omnes Citationes Regiæ, quatuor vel duabus hebdomadis ante terminum, in bona citati inferantur: juxta mansionem Regiam: & juxta citatorum, ex Majori in Minorem Poloniam, vel contra evocationem.

Sigismundus Crac. 1540. CUm visum esset nobis, & Consiliariis nostris. onerosum esse regnicolis nostris: ut nobis in terris Minoris Poloniæ agentibus, citatis ex terris Majoris Poloniæ terminus brevis, videlicet duarum hebdomadarum coram nobis comparendi, in Citationibus nostris scriberetur: Nos petitionem Nuntiorum Regni nostri Constituimus: ut nobis in terris Minoris Poloniæ agentibus, Regnicolis Majoris Poloniæ terminus quatuor hebdomadarum, coram nobis comparendi assignetur. Similiter verò, nobis in terris Maioris Poloniæ Regnicolis ex terris Minoris Poloniæ, etiam quatuor hebdomadarum terminus comparendi præfigatur. Earum

Earum verò terrarum Regnicolis, in quibus nos agere contigerit, terminus duarum hebdomadarum in Citationibus scribatur: juxta veterem consuetudinem.

Rex autem, Capitaneus, Palatinus, Iudex, Subjudex, & Officialis, Ministerialem ad citandum dare possunt.

DEcernimus etiam declarando: quòd nos, vel Capitaneus noster, vel Palatinus, vel Iudex, vel Subjudex, vel Officialis, qui dicitur *Wozny*, habeant facultatem dandi Ministerialem, ad citandum: ita quòd hi, qui habent jus, non citentur nisi per literas nostras, vel nostri Capitanei, illique per literas duntaxat citentur. Sed curiâ nostrâ præsente, vel in Iudicio nostro generali existente, poterit Officialis ad mandatum nostrum, vel nostri Capitanei, seu Iudicis, sine litera citare, in hospitio aut in foro. Extra curiam nostram, vel Iudicium nostrum, si quis citari debuerit: non in domo militis, sed apud Wladarium, sive Scultetum, edictum citatorium proponatur, Actore præsente, vel ejus nuntio: ei, contra quem actio fuerit dirigenda, causa citationis per quem citatur exposita: & assignatô sibi certô terminô comparendi. Et si citatus comparere non curaverit, vel contempserit: pro quolibet termino, videlicet primo & secundo, octo Scotos, pro pœna solvere teneatur: & in tertio termino si non comparuerit, causam perdat: & ab actione cadat, cum pœna. Si verò Actor in primo termino, nec per se, nec per alium suum nuntium paruerit: ab actione sua cadat, cum pœna septem Marcarum. *Kazimirus Vislic: 1368 Fol: 37.*

Procurator potest citare verbali citatione.

STatuimus: ut Procurator, sive possessionatus, sive non possessionatus, habens sufficiens procuratorium, possit in Iudiciis comparere: omniaque agere & exercere, quæ ipsius principalis causam vel causas attinent, seu tangunt: etiam partem citatione verbali, aliàs *Nadwornym*, citare: Iudicem mouere: alia omnia facere, quæ ad defensionem causæ pertinent. §. Idem in Titulo PROCURATOR. *Sigif. 1511 Fol: 18.*

Sed Citatio Curialis, solum Rege in aliqua terra existente, fit.

QVia terminus (ut vocant) Curialis, aliàs *Nadworny rok*, multis hominibus difficultates adferre solet: propterea quòd interdum hi, qui negotia publica apud nos obeunt, passim & temerè ab unoquoq; citari solent, & in actionibus publicis impediri: Statuimus, quòd deinceps, nobis in terris Minoris Poloniæ existentibus, nemo nisi in eisdem terris domicilium habens, citari ad nos terminô Curiali poterit: pro summa, in Statuto descripta. & similiter, nobis in terris Majoris Poloniæ agentibus, nonnisi ex eisdem terris Nobiles citari, ad Iudicium curiæ nostræ debebunt. *Sigismundus Petric: 1519 Fol: 21.*

Qui verò inopinatè, ac ex improviſo, in curia, ad Regis vel Iudicis audientiam citatur: debitè cauſa per Iudicem, ſeu per Actorem exponatur: & deinceps non ſolis verbis, ſed in ſcripto detur.

Kazimirus Visliciæ Fol: 12.

PRæterea, cùm in deliberatione conſiſtat mater virtutum ipſa diſcretio, contingit plerumq́; quòd aliqui noſtri familiares, vel alii quomodolibet in curia noſtra conſtituti, vel in Iudicio areſtari, inopinatè ad Noſtram vel Iudicis audientiam evocantur: & quæſtiones, de quibus minimè cogitaverunt, eiſdem moventur: Ideo parti utrique providere cupientes: & ut dictô modô citati cum bona deliberatione & diſcretione, ſuper propoſitis reſpondeant: neve actores ſuis quæſtionibus, ſive cauſis fruſtrentur, Statuimus: quòd cùm aliquis in noſtra curia, vel in Iudicio inventus, vel ad noſtram vel noſtri Iudicis præſentiam fuerit modô præmiſſô evocatus, actor ſeu ipſe Iudex, quæſtionem ſive cauſam, debitè citato exponere, & in ſcriptis tradere teneatur: ut reſpondeatur eidem quæſtioni.

Citatio curialis pro hæreditate.

Kazim: Magnus Visliciæ Fol: 12.

SI quæſtio fuerit hæreditaria, & pro magnâ pecuniæ ſumma, ſcilicet pro quadraginta Marcarum: terminus videlicet trium ſeptimanarum, per Iudicem eidem aſſignetur. aliàs, ſi pro minori debito, vel pro injuria verbali: in craſtinum terminus prorogetur.

Abrogatur hæc lex, de Citatione curiali.

Ex conſuetud: Cracov: Fol: 122.

ITem, pro Graniciebus, atque pro hæreditare, nemo poteſt citare alium, Citatione verbali, aliàs *Nadwornym rokiem.*

Deinceps tantùm pro ſumma, Citationes Curiales ſint.

STatuimus, quòd nemo citari ad nos termino Curiali poterit: niſi pro ſumma, in Statuto deſcripta.

De citandis verbaliter in Iudicio, aliàs, de tactis.

Conſuetudo Terræ Crac: Fol: 121

ITem dum aliquis tactus recedet à Iure: debet condemnari in perlucro, pro quo tactus eſt. Sed ſi pro pœna tactus fuerit: & recedet, non ſatisfaciendo pro pœna: extunc aliam pœnam ſuccumbet: videlicet Marcas tres Iudicio, & parti: pro qua ſtatim debet condemnari in perlucro.

De illis, qui ſunt in remotis partibus, qualiter ſunt citandi.

Kazimirus Visliciæ Fol: 14.

DVm aliquis pro hæreditate citatur: & comparens in Iudicio, malitiosè opponit: Quòd Petrus vel Ioannes, in remotis partibus eſt conſtitutus, cohæres ejuſdem hæreditatis: cùm tamen forſan idem Petrus

trus vel Ioannes, cohæredes ſui, agerent in remotioribus: Quapropter Statuimus, quòd taliter Petrus vel Ioannes, in Iudicio nominatus, de mandato Iudicis, in aliquo eminenti loco, vel circa parochiam, de qua parochia eſt hæreditas, pro qua eadem quæſtio movetur, per Miniſterialem tribus vicibus publicè proclamando, ad proſecutionem ſeu defenſionem cauſæ, ad certum locum & terminum, debebit citari, quo non comparente, ipſius contumacia ſeu abſentia non obſtante, ad deciſionem ſeu definitionem cauſæ, licitè per ſententiam definitivam procedatur.

Forma Citationis Caſtren. ad querelam talis eſt.

Sigiſ: 1523. Fol. 53.

NDe N. Capitaneus P. tibi Nobili N. de N. innoteſcimus, Nobilem N. A. de B. contra te, coram nobis, in querela depoſuiſſe: Quomodo tu ipſum, de pacifica poſſeſſione bonorum, hôc vel illô Iuris titulô habitorum & poſſeſſorum, expuliſti: & violenter ejeciſti. Quare vigore Regio, & noſtri officij Capitaneatûs, Mandamus: quatenus coram nobis, aut officio noſtro Caſtren. Feriâ ſecundâ poſt Feſtum N in Caſtro N. ad inſtantiam & inſtigationem ejuſdem N. compareas: querelis præfati N. & ad alia protunc tibi objicienda & declaranda, reſponſurus. Quòd ſive comparueris, ſive non: nos ad ea, quæ officium noſtrum ſpectant, procedemus. Pro damnis verò exinde ſecutis, nec non pro vulneribus, ſibi per te nunc temporis illatis, (ſi illata ſunt) ſpeciales ſibi contra te reſervat actiones, in foro competenti. Datum in Caſtro P.

Forma Citationis, pro capite.

Sigiſm. Petric: 1523. Fol. 50.

PRo eo: quia tu occidiſti patrem ipſius Nobilem N. de N. quam occiſionem Miniſteriali terreſtri N. de N. & Nobilibus obduxit· & ſuper te proteſtatus eſt. Quod caput Patris ſui præfati, penſat ſibi, ad centum viginti Marcas: & ad pœnam carceris: aut prout Iudicium decernet: & vult te pro eodem convincere, judicialiter reſponſurus. Datum, &c·

Forma Citationis, pro Kmethone profugo.

Sigiſ: Petr: 1532. Fol. 51

PRo eo: quia tu non vis ſibi extradere laborioſum N. Kmethonem ipſius de villa N. ad villam tuam N· profugum, quem apud te in villa tua præfata N. arreſtavit, per Miniſterialem terreſtrem N. de N. Quem ſibi penſat ad decem Marcas, & totidem damni, judicialiter reſponſurus.

Ne quis citetur contra ſuum Privilegium.

Kazim: Magnus 1368. Fol. 24.

STatuimus: quòd cùm aliquis contra ſuum Privilegium, in qualicunq́; cauſa citatur: & exhibet ſuum Privilegium in Iudicio: amittit Sexagenam, quam Iudex ab exhibente pro ſe tollit. Et ſi actor jurare renuerit: quia neſciebat reum, quem citaverat, fuiſſe Privilegiatum: ſolvet reo di-

reo dictam Sexagenam, sicuti præmittitur, amissam. Sed idem actor si velit jurare, se nesciviſſe reum fuiſſe Privilegiatum, & proviſum tali Privilegio: præſtitô hujuſmodi Iuramentô, Sexagenam illam non ſolvet reo, quem citaverat.

§ Vide in Titulo, PRIVILEGIUM.

Ob diſcordiam verò citationum, amittitur cauſa.

Conſuetudo terræ Cracij Fol. 123. ITem cùm aliquis fuerit citatus, ad quodcunq; Ius: & pars vult videre, ſi concordant interciſæ: tunc Citationes componendæ erunt, & ſi ſunt conformes earum interciſæ: valet citatio. Nam ſi interciſæ ſunt, non uniformes, aliàs, ſi non concordant: tunc actor amittit cauſam ſuam, ex eo, quia præſumitur falſificatio commiſſa,

Sed jam iſtarum pœnarum captiones ſunt abrogatæ, de defectu Citationis.

Sigiſ. Petri 1511. Fol. 20 ITem ad abolendam iniquam conſuetudinem, in terra Sochaczovienſi, & aliis terris Regni noſtri: in quibus Citationes, ob immutatam literam, vel dictionem, vel mutam ſeu mancam in ea ſcriptam Propoſitionem, vel propter interciſam, caſſari ſolent, cum amiſſione cauſæ: Statuimus, ut ejuſmodi conſuetudo, utpote pernicioſa, non teneatur: nec deinceps alicui ullum afferat nocumentum. Propter indecentias verò, & defectus Citationis, correctus actor pœnâ conſuetâ, poteſt meliori Citatione cauſam relevare denuo, & incipere.

Sigiſ. 1523. Fol. 32. § Si quis in Citatione omiſerit titulum, vel nomen actoris, aut rei: vel ſi Citatio ipſa ſigillo adulterino fuerit obſignata: talis actor, luendo ſolvendoq; ibidem mox, pro hujuſmodi inſufficientia ſuæ Citationis, ſex Scotos parti, & totidem Iudicio, in inſtanti ibidem proponere poterit: ex eadem ſua Citatione, inſufficientia illa non obſtante: & citatus tenebitur, ſibi ad objecta reſpondere.

Similis de defectu citationis.

Sigiſ. Petri 1522. Fol. 32 OMnes autem alias pœnas acceſſorias, videlicet propter defectum literæ unius, aut totius dictionis, vel alterius cujuſcunq; defectus in Citatione, ſive ex quacunque alia cauſa, quam citatus actori objiceret: volens dilationibus & diffugiis laborare, etiam à coadjutoribus antea ſolvi ſolitas, penitus annullamus: exceptis pœnis, poſt decretum negotii principalis, fieri ſolitis.

Forma Citationum ex officio.

SIgiſmundus Auguſtus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, &c. Dominus & Hæres, tibi A. B. C. noſtro D, ex officio tuo C. D, deq; omnibus bonis tuis, mobilibus

bilibus & immobilibus, ubilibet in Regno noſtro habitis & poſſeſſis, junibus aliarum perſonarum in eiſdem nihil nocendo, Mandamus: ut Cracoviæ, vel ubi nunc cum curia noſtra feliciter conſtituti fuerimus, coram Nobis, Conſiliariiſq; noſtris, nobis protunc lateri noſtro aſſeſſuris, tertiâ Feriâ proximâ, ad inſtantiam G. H. legitimè ac perſonaliter compareas. Citat te pro eo: quia Præſidens in loco Officij tui G D. à nobis tibi credito & commiſſo, in cauſa judiciali, inter eundem G. H actorem ex una, & inter I. K. citatum ex altera partibus, occaſione L. M. motâ, latiùs in ſe canente, eundem G. H. actorem, circa horam N. O. contrà Iuris & Iudiciorum formulam, non expectatô ſcilicet tempore debito, quo juxta Statuti diſpoſitionem, actores evadi debent, neq; etiam præmiſſa ſolenni vocatione ſui per Miniſterialem, locô etiam ac formâ Iuris incompetenti, in evaſione ipſi I. K. condemnare: ſed neque arreſtare eidem ipſam condemnationem, motionemq; ab ea interponere, & in Acta ſcribere permiſiſti: in magnum gravamen, & præjudicium ipſius, prout de eo Acta tua G. D. vel alioqui proteſtatio ipſius G. H, coram Miniſteriali terreſtri P. Q. & Nobilibus multis facta, & in recenti coram Actis R. S. latiùs verèq; recognita, canunt & teſtificantur. Quam injuriam penſat ſibi contra te, ad T. V. Marcas pecuniarum, numeri & monetæ Polonicæ, & totidem damni, prout hæc omnia tibi latiùs, in termino declarabuntur. Iudicialiter ſis reſponſurus. Datum X Feriâ V. proximâ, Anno Domini.

Cùm verò Magiſtratus citatur.

SImiliſq; Citatio ipſius Magiſtratûs fieri ſolet ab reo: ſi è contrario Iudex, præter tempus, locum, ac ſolennitates Iuris, illum condemnari in lucro permitteret: vel alioqui ſi cauſam ſuam, ad forum de Iure communi non pertinentem, exceptione ipſius rei non obſtante, judicaret: aliquidve aliud in officio ſedens, contra juris præſcriptum, & bonos mores, contra alterutram partem faceret: Exceptiones videlicet, allegationes, motiones, proteſtationeſve facere, aut ſcribere, prohiberet: ſecuſve, quàm factæ auditæq; fuerant, ſcriberet: & alia hujuſmodi, abuſus ſui officij authoritate, præter Iuris præſcriptum & æquitatem, deſignaret.

Farrago Citationum Regiarum, ad inſtantiam Iuſtigatoris Regij, ſeu fiſci Procuratorum.

CItat te: quia tu poſtpoſitô boni Civis, & fidelis ſubditi officiô, hoc vel illud, in & contra perſonam noſtram Regiam dixiſti: vel (quod abſit) machinatus es: per quod, hanc vel illam pœnam Statuti commeruiſti, prout tibi in termino latiùs declarabitur, vel pro hoc aut illo Nobili occiſo, pœnam carceris, Nobis & Reip. debitam, non ſuſtinuiſti: Iudicia, Commiſſarios, Conventus, vel Legatos noſtros violâſti: bonis fi-

sci, his vel his, hoc vel illud damnum intulisti: ex illisvè pecunias à nobis tolli solitas, exactiones censuum de bonis nostris, vel pensionem retinuisti: Sal, præter prohibitionem nostram publicam, huc vel illuc intulisti: mare nostrum piratis armâsti· res ad littus ejectas occupâsti: flumina navigabilia impediisti: vias nostras insedisti, coarctâsti, interclusisti, inundâsti, deteriorâsti, avertisti: equireas, vel boves, extra Regnũ, præter publicum decretum, egisti: vectigalia, & telonia nova instituisti: ex commissoq; ad nos devoluta, vi accepisti: monetam falsam cudisti, vel intulisti: has vel illas pœnas, ex judicato Nobis & nostro fisco provenientes, non solvisti: vel ob crimen peculatûs, famosorum libellorum, vel ob aliud facinus incurristi: virginem, viduam, vel uxorem hujus vel illius, rapuisti & violâsti: literas publicæ fidei, huic vel illi per Nos datas missas, Conventûs bellive denuntiativas, retinuisti & accepisti: fidem sponsione obligatam fregisti: collecto exercitu, castrum hujus vel illius, hostiliter, turbandoq; pacem Regni publicam expugnâsti: vel illum ad hostem Regni, præterve decretum Comitiorum, extra Regnum eduxisti: statione profugisti: consilia tibi credita, tormenta, arma, pixidarium pulverem, exercitum, castrave, aut oppida nostra, hostibus prodidisti: in publica expeditione, vel accepto stipendio non meruisti: & id genus alia.

Citatio â Kmethone, sive quovis alio subdito, pro injuria.

Sigis: 1523. Fol. 52. SIgismundus, Dei gratiâ, Rex Poloniæ, &c. Tibi Nobili A, hæredi de B, aliisq; omnibus bonis tuis, mobilibus & immobilibus, per te quocunq; Iure possessis, juribus aliarum personarum in eisdem nihil nocendo, Mandamus: ut terminis C. in D. proximè celebrandis, ad instantiam laborioſi E. de F. Kmethonis & subditi Nobilis N. de eadem N. hæredis, qui te citat pro eo, quia tu recepisti sibi violenter bovem, valoris trium Marcarum pecuniæ: & ipsum in totidem damnificâsti. Iudicialiter responsurus, & Dominus ipsius præfatus C. stat pro pœna sua trium Marcarum, juxta præfatum A. subditum suum. Datum, &c.

A Kmethone, sine quovis alio subdito, pro non administrata justitia.

Ibidem: PRo eo: quia tu non vis sibi justitiam ministrare, cum laborioso A, Kmethone & subdito tuo, de villâ tuâ B: qui sibi excidit robora diversi generis in Gaijo ipsius, in hæreditate villæ G, quam non administrationem justitiæ pensat sibi, ad decem Marcas pecuniæ: & totidem damni.

Citatio à minorennibus adultis, contra Tutorem.

CItat te, seu citant: quia tu existens jure naturali, seu inscriptionis paternæ, aut dativo, tutor, non fecisti sibi hactenus rationem, de bonis mobilibus & immobilibus, vestibus videlicet, aurô, argentô, pecudibus

cudibus, supellectili domestica, equis, bobus, vaccis, ovibus, capris, prædijs, &c post olim A. B. patrem ipsius legitimum, in tuam tutelam & administrationem assumptis, quarum etiam rerum omnium, publicum & autenticum Inventarium non fecisti: in damnum ipsius actoris, seu quondam pupilli tui· Quæ omnia pensat tibi contrà te, ad C. Marc. pecuniæ: & totidem damni· vel prout Ius decernet, quæ tibi latiùs omnia in termino declarabuntur. Iudicialiter responsurus.

Similis etiam Citatio fit à pupillo, contra eundem Tutorem: pro non reddita ratione, de censibus cujuslibet anni, & jumentis indomitis.

Citatio pro divisione bonorum communium.

PRo eo: quia tu non vis dividere cum ipso, bona hæreditaria A. B. quorum medietas ipsum C. concernit: & ipse tecum vult, quod sibi pensat ad 100 Marcas pecuniæ: & totidem damni. Iudicialiter responsurus. *Sigismundus Fol. 50.*

Citatio pro bonis, propinquitate devolutis.

CItat te pro eo: quia tu possedisti, & tenes propinquitatem ipsius, videlicet villam A. & ejus hæreditatem: ad quam ipse est propinquior, quàm tu: post Nobilem olim B. patruum suum germanum, quæ bona prætata, æstimat sibi ad 200 Marcas pecuniæ: & in totidem ipsum damnificâsti, Iudicialiter responsurus. *Ibidem.*

Pro redimendis verò bonis, á propinquo venditis.

CItat te pro eo: quia tu tenes & possides bona A. B, à Nobili C. D. fratre vel patruo, aliovè propinquo ipsius, tibi vendita, ad quæ tenenda ille est Iure naturali propinquior, quàm tu. Ideo ut stares, Inscriptiones tuas legitimas ostenderes, pecuniam ab eo reciperes, & de bonis eisdem Ipsi conscenderes, Iudicialiter sis responsurus. Datum.

Citatio pro redimendis bonis obligatis.

CItat te, ad recipiendum pecunias: quas te in bonis ipsius hæreditariis, videlicet villâ N. prætendis habere inscriptas. Et ideo ut stares, & inscriptiones tuas coram Iudicio ostenderes, & pecunias reciperes, sibique tanquam hæredi, de bonis ipsius præfatis Iudicialiter conscenderes. Datum. *Sigis: Petr: 1523. Fol. 51*

§. Citatio suprascripta potest fieri etiam ad Actorum positionem· non expectata celebratione Terminorum; & hoc fiet in arbitrio actoris. In Majori tamen Polonia tenutarius, etiam coram Iudicio, vel officio Castrensi, convenitur.

Citatio pro debito verbali.

PRo eo: quia tu non vis sibi solvere C. Marc. pecuniæ, monetæ & numeri Polonicalis, certi debiti quas sibi, debuisti solvere ad tempus

jam præteritum: & non solvisti: & in totidem eum damnificâsti. Iudicialiter responsurus.

Citatio pro debito inscripto, sive vadio

PRo eo: quia tu non vis sibi solvere C. Marc. pecuniarum, certi debiti: quas juxta obligationem B. C. debuisti sibi solvere, ad tempus jam præteritum: & non solvisti, prout de hoc Inscriptio, in actis B. C. latiùs canit: & in totidem ipsum damnificâsti. Iudicialiter responsurus.

Citatio pro debito: si vadium obligationi sit appositum.

QVi te citat pro eo: quia tu non attenta tua inscriptione A. B, qua te ipsi C. D. inscripsisti, & obligâsti, cum tuis posteris soluturum, vel ad acta E. F. repositurum, G H Marcas pecuniarum, ad tempus I. K. proximè præteritum: idque sub vadio totidem summæ facere debuisti: & non solvisti, neque reposuisti. prout de eo, tam tua Inscriptio, quàm protestatio ipsius E. D. eo nomine, in Actis præfatis facta, latiùs in se testificantur. Propter quod vadium præfatum L. M. in inscriptione contentum, eidem succubuisti ad solvendum, pro quo te citat: & prout tibi latiùs, in termino hæc omnia declarabuntur. Iudicialiter sis respon surus.

Citatio, pro cautione fidejussoria.

Sigism, Petric: 1523. Fol. 51. PRo eo: quia tu sibi fidejussisti, pro Nobili N. de N. solvere viginti Marcas nec ipse N. principalis, nec tu, tanquam pro eo fidejussor solvisti. Pro quibus te citat, & in totidem illum damnificâsti. Iudicialiter responsurus.

Citatio, pro receptione fœni.

Sigismundus Fol. 51. PRo eo: quia tu recepisti sibi violenter decem cassulas fœni in prato ipsius hæreditario, villæ A, laboris ipsius, quod fœnum pensat sibi ad viginti gross. & totidem damni. Iudicialiter responsurus.

Citatio, pro conculcatione & depastione frumentorum.

Ibidem PRo eo: quia tu immisisti de industria, & violenter, familiam tuam, cum equis & pecoribus, in & super hæreditatem ipsius A: & conculcasti sibi frumenta diversi generis, laboris ipsius. quæ sibi pensat ad 30. Marcas pecuniarum: & totidem damni. Iudicialiter responsurus.

Citatio, pro excisione Sylvæ, aut Mericæ.

Ibid. Fol. 50 PRo eo: quia tu violenter excidisti sibi robora, in Gajo sive sylva ipsius, in hæreditate A, valoris 10. Marcarum & in totidem ipsum damnificâsti. Iudicialiter responsurus.

Citatio

Citatio, pro arboribus fructiferis.

PRo eo: quia tu sibi excidisti violenter 10 arbores fructiferas, videli- *Ibidem* eet B. & C. in hæreditate ipsius villæ D. valoris 5 Marcarum, aut prout Iudicium decernet: & in totidem ipsum damnificâsti. Iudicialiter responsurus.

Adcitatio, ad Citationem translapsam.

QVi te concitat, aliâs *przypozywa*, ad paratam Citationem translapsam: quæ sibi est translapsa in terminis Terrestribus in P, jam præteritis, quia te citaverat, pro eo &c. Et eo inseratur Citatio: & concludatur, Iudicialiter responsurus. *Ibid. Fol. 52*

Adcitatio, ad paratam Citationem patris, fratris, vel cujuscunq; antecessoris mortui: cujus Citationi terminus nondum venerat.

QVi te concitat, aliàs *przypozywa*, ad paratam Citationem Nobilis olim A, patris prædicti Nobilis B. legitimi: quia te præfatus olim A. pater ipsius citaverat: videlicet pro eo. Et inseratur Citatio patris: & taliter concludatur: Et præfata actio concernit prædictum B. tanquam filium legitimum prædicti A: ideo ad præmissa, prædicto B, tanquam successori, Iudicialiter responsurus. *Idem Fol. 52*

Qui duabus Citationibus citatur.

QVandocunque aliquis citaverit alium, pro aliqua re, aut bonis aliquibus, aut debito: & alia pars eundem similiter citaverit, pro eadem re: citatus non tenetur, nec debet cogi, ad respondendum utriq; Citationi, & partibus diversis: donec partes actoreæ, de Iure suo priùs inter se experiantur: quæ illarum sit propinquior, & majus interesse habeat ad hujusmodi debitum, aut bona, & res alias: pro quibus dictæ Citationes vertuntur. Et interea citatus pacem habere debet à prædictis citationibus, aut utraq; pars actorea, ad unam Citationem se inscribat: & unum actorem se, contra prædictum citatum faciat, nec aliô modô citatus, ad responsionem dictis partibus, & Citationibus earum, debet compelli. *Consvetudo.*

Qui errat in persona possessoris, & alium pro hærede citat.

QVicunq;, & in tempore à Iure, concesso, ponit Citationem, in aliquibus bonis, contra possessorem: pro aliquo debito, aut onere, in illis bonis inscripto: & revocando aliqua bona prædicta propinquitate, credens illum possessorem esse, & hæredem prædictorum bonorum: si per hæredem verum, aut per citatum, talis Citatio impugnaretur, eò quòd actor erravit, in proprio nomine veri hæredis: non nocet Iuri suo error *Consvetudo*

hujusmodi: etiamsi talis Citatio fuerit secunda, quinfluendo pœnam solitam, propter Citationis importationem illicitam, poterit causam inceptam Citatione alia meliori, contra verum hæredem illorum bonorum, prosequi & continuare: juxta juris formam.

Citatio super Citationem non ponatur: & quando potest poni.

Consuetudo Terræ Cracæ Fol: 122

ITem si quis importaverit Citationem super Citationem pro una re: tunc luens pœnam trium Marcarum Iudicio, & totidem parti, Citationem unam destruat: seu una Citatio ejusdem sit nulla.

Consvetudo.

Si verò aliquis, existens cum alio in Citatione, pro aliqua causa aut violentia, & non terminatâ eâ judicialiter, facit parti aliam nouam violentiam, aut injectionem in eadem bona: pro quibus prima Citatio penderet indecisa: extunc potest talis citari alia nova Citatione, pro secunda violentia, & injectione; faciendo mentionem in ista Citatione secunda, de prima, hoc videlicet modo: stando mecum in citatione priori, pro eisdem bonis, sive pro eadem violentia: & non finito Iure, pro eadem Citatione priori. Et hoc facere potest licitè: quoties in eisdem bonis violentiam novam fecerit, Citationibus prioribus non determinatis: neque Iure finito, pro eisdem: absq; jactura causæ & Citationum priorum.

Formula Citationis secundæ.

CItat te secundò: prout te condemnavit in termino primo; in terminis terrestribus in P, iam præteritis, in pœna contumaciæ: juxta suam primam Citationem, qua te citavit pro eo &c. Et inferatur Citatio originalis: & concludatur, Iudicialiter responsurus. Datum.

De his, qui pro hæreditate aut debitis citantur.

LIcet in pluribus casibus celeritas commendetur: tamen eadem celeritas in judiciis & causis expediendis rationabiliter quandoq; non est observanda: sed potiùs amplianda, & dilatanda: ex eo, quòd iudicantem cuncta oportet rimari. Ideoque Statuimus: Quòd si aliquis super capitali, hæreditaria quæstione, primò, secundò, & tertiò citatus non comparuerit: à iudicioque se contumaciter in termino sibi assignato absentaverit: tunc ob contumaciam ejusdem citati, actor in termino tertio & & peremptorio, per Iudicem admittatur, sententia definitiva mediante: in veram eiusdem hæreditatis possessionem, & ab omni Iure ejusdem hæreditatis, & ipsius qualibet venditione, per Iudicis sententiam reus decernatur, & pronuntietur cecidisse. Si autem quæstio erit personalis, puta pro pecunia debita, aut quibuscunque rebus obligatis, & primô, secundô, & tertiô terminô citatus contempserit, vel in termino parere neglexerit sibi assignato, Decernimus: Quòd tunc creditor quarumlibet rerum obligatarum, sibi post certum terminum per sententi

am Iu-

am Iudicis præfixum, distrahendi & alienandi, auctoritate Iudicis, plenam habeat facultatem, ita tamen, quòd si auctoritate præmissa res obligatæ, distractæ, & alienatæ, minoris valoris inveniantur & existant tempore alienationis, quàm fuerit pecunia obligata seu credita: & ipse creditor, pro summa pecuniæ, per ipsum simpliciter & sine aliqua cautione credita, vadium receperit, sufficiat creditori vadium, qui nulli alteri, quàm sibi ipsi, quòd simpliciter vadium acceperit, imputabit. Sed si conditionem creditor apposuerit circa res obligatas, majoris vel minoris quantitatis, si pro minori pecunia res obligatas alienaverit debitor, per Iudicem decernatur, creditæ pecuniæ summam adimplere. Si verò pro majori summa res alienaverit obligatas, residuum quidquid fuerit, ultra summam creditam, debitori creditor restituere teneatur.

Qui errat citatione, in Data, Titulo, Nomine.

ITem pro Data, Titulo, pro proprio Nomine, nemo debet causam amittere. Etsi aliquis defectus esset in Citatione, aut in Concitatione: succum bens pœnam trium Marcarum, solvet: & denuo debet citare. Quòd si in verbo litera deesset: aut si litera Abecedarii malè scriberetur: isto nihil amittet aliqua partium. Consvetudo terræ Cracæ Fol. 121.

§ Qui mos citandi olim fuit: Vide in Titulo, MINISTERIALIS.

§ Citationem ad faciendos limites, & collateralium: vide in Titulo, SUCCAMERARIUS.

§ De citato, qui reus vocatur, seu victus Iure: Vide in Titulo, REUS

§ De citationib. calumniatoriis: Vide in Titulo, CALUMNIA.

§ Citatus non tenetur respondere, nisi viso Ministeriali: Vide in Titulo, MINISTERIALIS.

§ De Dominabus, aut Virginibus, quæ citant, aut citantur: Vide in Titulo, PROCURATOR.

§ De ijs, qui pro hæreditate aut debitis citantur: Vide in Titulo, DEBITOR.

CIVIS.

Civium ad militarem ordinem inautoratio, quomodo rata esse debet.

CIves, qui terrestria bona habent, cùm pro illis citabuntur ab aliquo: conservabimus nos juxta Ius. Quorum alii, etiam nobilitate se defendere non possunt: qui literas super Nobilitatem sui obtinentes, suscipiunt in se negotia, quæ ad statum militarem non pertinent, quæ quidem sunt Statutô descripta, quorum nullus se talibus literis, in Iudicio defendere poterit. Sigis. Aug. Petri: 1550

Cives bona Iuris terrestris vendant, nec ea acquirant.

ITem statuimus: quòd civibus, & plebeiis, undecunque existentibus, oppida, villas, prædia, & bona alia, Iuri Terrestri supposita, emere, Ioan. Alber: 1496 Fol: 105.

tenere, possidereq;, perpetuô vel obligatoriô modô, liceat minimè ex eo, quòd in profectionibus bellicis, & aciebus ordinatis, locum inter Nobiles competentem non haberent: quodq; illi bonis talibus habitis, occasiones quærere consueverunt, se à bellicis expeditionibus liberandi. Et insuper, cum ipsi domos, & bona in Iure Civili sita Nobilibus non admittant resignari: eadem vicissitudine & illis, bonorum in Iure Terrestri sitorum, exemptio videtur non absre esse prohibenda. Quòdq; Iudices Terrestres & Castrenses, Inscriptiones ejusmodi, in favorem & personas civium fiendas, non admittant: admittereq; non præsumant, & si secus fecerint: extunc quidquid inscriptum fuerit contra Constitutionem ejusmodi, id irritum, nullum & inane decernatur esse, Statuto præsenti mediante. Et quòd illi, qui jam in effectu bona Terrestria usurpârunt, illa hinc ad decursum temporis, quò commodè istud facere possint, vendere teneantur: sub pœnis, quas ex illis secus facientibus, juxta arbitrium Nostrum, & Palatini terræ, in quo illa consistunt, exacturi sumus irremissibiliter.

Cives, bona terrestria possidentes militent.

Alexander in Radom. 1505 Fol. 108.

Cùm mercatores, negotiatores, & Civitatum incolæ, fortunatiores sunt communiter, ad opes per industriam assequendas: quibus aucta bonis civilibus, bona etiam Terrestria accumulantes, consueverunt à bello absolutiones obtinere: ut quemadmodum per industriam bona assequuntur: sic etiam libertate majore in eis, quàm Nobilitas, potirentur: quod etsi privata suæ rei domesticæ cura, faciant commendabiliter: tamen quia istud in Repub. abusuum & dissensionum parens esset: quandoquidem Nobilitate, sanguinis profusione Reipub: & terrestrem tranquillitatem tutante, fortunati Cives fortunas terrestres occuparent: & Nobilium victum usurparent: & nihilominus ab oneribus publicis, per industriam (ut fit) se eximerent: Non indignum ergo, cum Prælatis, Consiliarijs, Baronibus, & terrarum Nuntijs censuimus: quòd cives, habentes bona hæreditaria, terrestria, ad expeditionem bellicam obligata, non sint exempti & liberi, ab eadem bellica expeditione: quoties fuerit instituta, literæq; Majestatis Regiæ, absolutoriæ ab hujusmodi expeditionem datæ, vel dandæ, locum non habeant. aliàs, prout in Privilegio Alberti Regis, fratris nostri, supra scripsimus latiùs esse constitutum.

Modus eximendorum Civium, de bonis terrestribus.

Sigismundus Petricoviæ 1538. B1.

ANtiquis Constitutionibus prædecessorum nostrorum innitentes, & subditorum nostrorum petitionibus permoti, Decernimus: ut cives & plebeij, secundùm Statutorum prohibitionem, bona hæreditaria terrestria deinceps non emant: & Inscriptiones, quæ in Iudicijs Terrestribus, illis super hæc factæ fuerint, sint ipso factô nullæ. Iudex verò Inscriptionem admittens, pœnam centum Marcarum incurrat, ab eo ex officio

officio exigendam. Bona autem, quæ hactenus cives ipsi possederunt, & possident, tenebuntur infra tempus quatuor annorum, illa, cuicunque voluerint Nobili, & indigenæ Regni vendere: sub amissione eorundem bonorum, quæ modô præmissô per nos vendi, & pecuniæ pro defensione Regni converti debebunt. ita tamen, quòd ea bona, ad hunc modum vendita, poterint proximiores reorum Nobilium, qui ea vendiderant & alienaverant, pro eadem summa, pro qua vendita erant, infra annum à tempore venditionis factæ, redimere. Hoc tamen extendi non debet, ad civitates & communitates earundem: quæ bona hæreditaria terrestria, vigore Privilegiorum antiquorum, in commune obtinent, secus de Privilegiis, quæ ante Statutum Ioannis Alberti Regis concessa sunt.

§. SIMILIS. De civibus & plebeijs, bona terrestria non possessuris, executionem facere volumus: in primisq; Statuti, annô adhinc quartô facti, & jam nonnullas personas, eo nomine ad nos citavimus literis nostris. *Sigismundus Cracc. 1543.*

§ Cives non exequentes Statuta Palatini, in venditione rerum venalium: Vide in Titulo, PALATINUS.

Civis in Civitate residens, Porádlne non solvat.

Wladislaus Iagello in Iedlina Fol. 51.

DE Civitatibus autem antiquis & novis, tempore regiminis nostri locatis, sic statuimus: Quòd ille civis, seu oppidanus, qui civitatem, cum uxore, filiis, & familia inhabitat, & agrum solus, vel per suum hortulanum, aut agricolam colit, non tenetur ad prædictam *Porádlne* pensionem. Sed si ante civitatem, vel oppidum residet: solvat præfatam *Poradlne* pensionem: ac si in villa resideret. non obstante, quòd ad Ius & Iurisdictionem ejusdem oppidi, seu civitatis pertineret: vel cum eis onera sufferre prohibeatur.

§ Civis Nobilem debiti quomodo convincet? Vide in Titulo, MUTUUM.

§ Nobiles, in Civitatibus domos habere possunt: modò onera Civilia ne vitent: Vide in Titulo, NOBILIS.

COADIVTOR.

Pœnæ à Coadjutoribus olim solvebantur.

Consuetudo terræ Cracc. Fol. 122.

ITem si aliquem citabunt cum coadjutoribus: & ipse citatus non intercedit, alias non recusabit coadjutores: videlicet non dicet, Coadjutores non intercedo mihi similes, & indissimiles: & alia pars interponet, aliàs *zatozy go* ex eo, quia ipsos adjutores non recusavit: luet pœnam, à quolibet coadjutore sibi simili, tres Marcas: & à dissimili, sex Scotos: idq; tam in Iure Terrestri, quàm Castrensi.

COLVMBATIO.

Eodz anta Episcopus Cracovien: Fol, 56.

INsuper volumus: quòd columbatio illibere, per Rectores Ecclesiarum, à suis parochianis non exigatur de cætero: sed quod quisq; sponte petenti dare voluerit, cum gratiarum actionibus tolli debet.

COLLOQVIA.

Iudicia & Colloquia, sic sunt dispositа.

Sigism. Cracoviæ 1543 VIsum est nobis, & Consiliariis nostris, satis esse, ut tantùm ter in anno, Terrestres Termini celebrarentur: idq;, si non aliqua causa legitima impediat: quarta pars verò anni, ut ad judicanda Colloquia convertatur. & hoc propterea: ut Colloquia in terra Sandomirienſi, quolibet anno semel fierent: idq; in tribus locis, juxta veterem consuetudinem, incipiendo Feriâ secundâ in Autumnô, post Festum S. Francisci: primò Sandomiriæ, postea Radomii, ultimò Visliciæ. Similiterq; in Cracovienſi, Lublinenſi, & aliis Palatinatibus, ac terris, ipſi Termini Terrestres, & Colloquia, eôdem modô celebrari debent: hoc est, ter Termini Terrestres, quartò autem Colloquia. Perindeq; & in Palatinatu Russiæ, ter Termini Terrestres, quartò autem Colloquia celebrari debent: hoc est, incipiendo Terminos Terrestres Leopolienſes, Feriâ quartâ post festum Sanctorum trium Regum, postea verò in aliis districtibus, ordine juxta veterem consuetudinem. Alii verò Termini Terrestres, Feriâ quartâ post festum S. Adalberti. Porrò tertii Terrestres Termini, post festum S. Margarethæ, atq; ad eundem modum, in aliis itidem districtibus. Ipsa verò Colloquia Leopolienſia, Feriâ quartâ post Festum Exaltationis Sanctæ Crucis incipientur, postea simili ordine, in aliis districtibus: ut Præmisliæ, & Haliciæ. Porro in districtu Chelmenſi Termini Terrestres, juxta consuetudinem celebrari debent: Colloquia autem, post Colloquia Halicienſia, ut scilicet Palatinus obire illa poterit. In Lublinenſi autem terra, in tribus locis consuetis, in quartô verò locô, in Busko, Termini seu Iudicia Terrestria peragi debent. ipsa verò Colloquia tantùm Belzæ, post festum Exaltationis Sanctæ Crucis, peragantur. Ipsis autem Colloquiis literæ nostræ, quibus Comitia edicemus, impedimentô esse non debent.

Iudices absentes, in sequentibus terminis jurent.

Sigis: 1543. QVòd si Iudices, Subjudices, & Notarii Terrestres, propter veram infirmitatem, à Terminis Terrestribus abfuerint: propterque illorum absentiam, Termini, quominùs procederent, impedirentur: tum in futuris proximè Terminis, antequam in suis locis consident, tenebuntur præstare Iusjurandum corporale. Quòd verâ, & non fictâ infirmitate, ab his Terminis abfuerint. Similiter etiam Palatini, Castellani, Dignitarij

gnitarii, & alii Officiales Regni, quicunque in colloquiis interesse tenentur, si aliquando propter infirmitatem in Colloquiis non adfuerint: priusquam in suis locis consident, Iuramentum præstabunt: Quòd in proximè præteritis Colloquiis, propter veram infirmitatem, adesse non potuerint: nisi fortè servitiis Reipubl. vel Legationibus occupati fuerint: propter quæ, ipsis Iudiciis interesse non potuissent. Hæc enim illorum absentiam excusarent. Tamen in absentia illorum, Castellanus illius terræ, primus, locum Palatini occupare teneatur, similiter in loco Castellani, aliquis Nobilis idoneus, qui quidem Colloquia celebrare debent: ne justitia hominum prorogetur.

Colloquia necessaria sunt.

ITem, quia multæ negligentiæ, multaq; errata & damna fiunt, inter subditos nostros, per omissam generalium Iudiciorum, quæ Colloquia vulgò nuncupantur, observationem: Statuimus, ut Palatini illa judicent, præmissa in binis Terminis præcedentibus proclamatione ita, ut in tertiis Terminis deinceps judicentur. *Sigis. Petr: 1511. Fol.18*

Quid in Colloquijs fiat, ac judicetur.

COram Baronibus etiam in Iudicijs Colloquiorum generalium, Resignationes bonorum magnorum peraguntur. *Wladisl. Iagello Cracov: 1420 Fol 45*

§ Item obligator bonorum, etiam in Colloquio generali, faciat fieri publicè, semel ad minus in anno unam protestationem: si sua bona, pro hac vel illa summa, huic vel illi dedit in obligationem, seu pignorationem: idq; Præscriptionis interrumpendæ causa. *Kazimirus Magnus Vislic. 1368, Fol. 18*

Qui à Iudiciis, ad Colloquia appellat: & pœna appellantis

QVi ad Colloquia à Iudiciis appellat, Volumus, ut teneatur ibidem pro re principali Iure experiri, quod quidem etiam volumus, de appellationibus ad Conventum, intelligi. Et ne Nobilitas per Iudicia gravaretur: volumus ne ampliùs Iudex pœnam Kocz accipiat, nisi unam, ab una causa. Nihilominus tenebitur Iudex sententiam suam personaliter expurgare, in Colloquiis. *Sigism: August: 1550*

Qui Dignitarij Colloquiis præsint, & libros servent.

ET quia Barones terrarum nostrarum, in Iudiciis Colloquiorum generalium, personam nostram repræsentant: coram quibus causæ hæreditariæ, & aliæ majores agitantur & tractantur: & sententiæ per eosdem latæ, robur accipiunt firmitatis: ac si in præsentia nostra agerentur: coram quibus etiam resignationes bonorum magnorum peraguntur: & aliæ causæ, per eosdem definitæ, in speciali libro conscribuntur: unde cum majori alicujus pondere, debeant diligentiùs & cautiùs observari *Wladisl. Iagello Cracoviæ & Vartæ 1423. Fol: 44.*

ſervari: Volumus, quòd libet prænotatus, ſeu Acta Colloquij generalis, ſub clauſura trium clavium amodo conſerventur, quarum unam Iudex, aliam Subjudex, tertiam verò Notarius Terreſtris, habeant & conſervent. Nec liceat uni, ſine aliis, clauſuram prædictam aperire.

§ Idem vide in Titulo, ACTORUM LIBRI. Fol. 11.

Abſentia unius aut duorum Dignitariorum, Colloquia non impediet.

Kazim. ter. in Korczyn 1451. Fol. 88.

ITaque Colloquia aſſignata ubilibet celebrabuntur, & mors, infirmitas, aut abſentia unius, aut duorum Dignitariorum, ad ſed m Colloquialem ſpectantium, celebrationem Colloquij non debebunt impedire. Defectu verò aliquo ex iſs imminente, habebunt plenam facultatem & poteſtatem, alij Dignitarij Colloquio præſidentes, in loco abſentium & deficientium, alios terrigenas, viros idoneos, legales & poſſeſſionatos, cum plena poteſtate ſurrogandi, qui habebunt plenam poteſtatem judicandi tamdiu: quouſque de defectibus, & de abſentia Dignitariorum proviſum fuerit.

Colloquia non negligantur.

Kazimirus Iagellonis Petr: 1447 Fol. 90.

ASſidua Colloquiorum ſive Terminorum generalium celebratio, pacis communis conſervatio, & cujuslibet diſſidij infectivi excluſio eſt, ad cujus, Palatini, Caſtellani, Capitanei, Iudices, cæteriq; Dignitarij & Officiales Regni noſtri, tenentur tantò diligentiùs intendere, practicam: quantò ad id ſunt, ex onere Dignitatum & Officiorum ſuorum, ſtrictiùs obligati. Quocirca præſenti edicto, & authoritate Regia, omnibus Palatinis, Caſtellanis, Capitaneis, Iudicibus, Subjudicibus, diſtrictè præcipimus, & Mandamus: ut Colloquia & Terminos, juxta vires ſuas & tempora, in omnibus terris & diſtrictibus Regni noſtri Poloniæ, ſine aliqua interruptione celebrent: & illis perſonaliter (niſi fortè aliquem gravis languor corporalis, aut in rebus publicis, Regni ardua Legatio excuſaverit) interſint: nec aliquem, niſi in duobus caſibus prædictis, de abſentia, volumus excuſari.

Abſens propter legitimam cauſam, in locum ſuum alium ſurroget.

Idem Rex. Fol. eodem

IN quibus nihilominus caſibus præcipimus, omnibus ægritudine gravatis aut Legatione Regni oneratis: ut locum ſuum poſſint, teneantur & debeant, per idoneam perſonam aliam ſupplere: & illi vices ſuas, per literas committere. Colloquium integrum eſſe cenſemus: perinde ac ſi principalis intereſſet. Si quis autem Colloquio & Terminis generalibus intereſſe, aut in locum ſuum ſurrogare perſonam idoneam neglexerit: conveniri eum, per illum, vel illos, quibus propter abſentiam ſuam adminiſtratio juſtitiæ dilata eſt, coram nobis jubemus, ut noſtrâ ſententiâ & decretô, ad ſolvendum omnia damna, quæ actores ex defectu Collo-

Colloquii aut Terminorum generalium contraxerint, condemnetur.

Officiales Colloquiis perſonaliter interſint.

ITem Statuimus: quòd Iudicia peremptoria, ſeu Termini generales, fiant tribus vicibus in anno, in terris ſingulis: omneſq; Officiales, qui Iudiciis præſidere conſueverunt, perſonaliter eis intereſſe tenebuntur: & ſint aſtricti, exceptis Palatino, & Capitaneo: qui, dum conventionibus aut negotiis Regiis fuerint impediti, poterint vice ſua ſurrogare terrigenas poſſeſſionatos, & prudentes, ſeu Iuriſperitos. Cæteri verò præſidentes in Iudiciis, ut Iudex, Subjudex, Vexillifer, ſemper perſonaliter intereſſe debebunt, præterquam, ſi eorum aliquis infirmus eſſet: aut Legatione Regia, ſeu Regni fungens, alicubi mitteretur. Nam tunc pro uno ſemel poterit alium in Iudicio ponere, vice ſua, aliàs ſemper extra caſus iſtos, intereſſe perſonaliter ſint aſtricti.

Kazimir. in Nieſzowa 1454. Fol. 93.

In Terminis generalibus, Barones Regni, videlicet Palatinus, Caſtellanus, & cæteri Dignitarii ac Officiales terræ illius, intereſſe tenebuntur: ſub pœnis, in Statuto contentis.

Sigiſm. Petr. 1543.

Dignitarii & Officiales, niſi in Colloquiis interſint: (excepta Reipubl: & Regis causâ) ab Nuntiis Terreſtribus, in Comitiis deferantur.

Sigiſmundus Crac. 1543.

Quoties, & quando Colloquia fiunt.

STatuimus: quòd Termini generales fiant tribus vicibus, in anno quolibet, idq; in terris ſingulis.

Kazimirus in Nieſzowa 1454.

Statuimus: ut Palatini generalia Iudicia, quæ Colloquia vulgò appellantur, judicent, præmiſsâ in binis Terminis præcedentibus proclamatione: ita, ut in tertiis Terminis, deinceps judicentur.

Sigiſm, Petric: 1511. Fol. 18.

Ipſi verò Termini generales, tempore Quadrageſimæ, annis ſingulis, toties quoties, in locis ad id deputatis celebrentur.

Abſentes in Iudiciis, jurent ſe propter infirmitatem abfuiſſe.

PAlatini, Caſtellani, Dignitarij, & alii Officiales Tereſtres, qui Colloquiis intereſſe tenentur, ſi fortè in aliquibus Colloquiis præſentes non fuerint, in aliis proximè ſequentibus Colloquiis, priuſquam in loco ſuo reſidebunt, jurare debent: Quia in præteritis Colloquiis, propter hanc vel illam infirmitatem, non fuerint, nihilominus, abſentibus illis, in loco Palatini, primus illius Palatinatûs Caſtellanus: in Caſtellani verò loco, idoneus aliquis homo, Statutô deſcriptus, per alios hujus Iudicij collegas, collocentur. Quocirca, abſentiâ nonnullorum non obſtante, per alios Dignitarios & Officiales terreſtres, Colloquia celebrentur, ne juſtitia hominum negligatur. Attamen priores Iusjurandi conditiones intelligi debent: præter eum, qui Reip. quocunq; ſervitio, vel Legatione occupatus fuerit: propter quæ Colloquiis intereſſe nequeat, & abſentia illius excuſetur.

Sigiſmundus.

Colloquia singulis annis celebrentur.

Sigism: August: 1550

QVia Colloquia generalia videmus esse necessaria, Volumus: ut quolibet anno celebrentur, in locis solitis: neq; à Palatinis ad alia tempora transferantur. Quòd si ea non celebrarent: pœnis Statutô descriptis percellantur. Et qui à Iudiciis, ad Colloquia appellat, tenebitur pro re principali ibidem experiri. & idem intelligendum est de Appellationibus, ad Comitia generalia. Ne verò Nobilitas per Iudicia gravetur, Volumus: ut Iudex, *Kocz* ampliùs non accipiat, nisi unum ab una causa.

De terminis Colloquiorum, & transpositionibus

Wlád. Iagell. Cracov. & Varsa 1423. Fol. 42.

PErversa consuetudo, in terminorum transpositione, Colloquij generalis à nostris subditis hactenus obsérvata extitit: unde diversa iuramenta, & perjuria oriebantur: ac infirmitates fictivæ allegabantur. Vnde talibus obviare volentes, & iniquitati viam præcludere, de unanimi consensu Prælatorum, & Baronum, ac Nobilium nostrorum, talem ordinem in prædictorum transpositione terminorum, volumus à nostris subditis fore obsérvandum, ut prædictis perjuriis obvietur: illicitæq; dilationes amputentur. Decernimus igitur: quòd termini Colloquii generalis, taliter in Iudiciis terrarum nostrarum in posterum transponi, & obsérvari debeant: videlicet quòd primum terminum, per simplicem infirmitatem prorogent: secundum verò, per veram infirmitatem, absque confessione & allegatione Capellani, transponant. Pro qua infirmitate, in tertio termino, si supervenerit, Iuramentum corporaliter præstare teneatur: Quòd tunc vera infirmitate fuerat innodatus. Si autem in eadem infirmitate casualiter perduret: tunc tertiò poterit iterum facere, prorogare eundem terminum, quia scilicet, prout jacebat in ipsa infirmitate, hucusque non convaluit. Et nihilominus in Colloquio quarto generali parere studeat: aut Procuratorem certum transmittere non postponat, alioquin causam amittat. Sed actor terminum Colloquij generalis aliter transponere nequeat: nisi primum per veram infirmitatẽ.

Kazimirus tertius in Korczin 1451. Fol. 87.

Item Volumus: quòd reclamatio terminorum non debet esse deinceps, nec sit necessaria; sed Termini & Colloquia partibus assignatis judicabuntur, quia Termini & Colloquia erunt peremptoria, pro partibus constitutis celebranda.

Kazimirus in Nieszowa 1454. Fol. 93.

Statuimus: quòd Iudicia peremptoria, seu termini generales, fiant in anno, in terris singulis.

Sigism. Cracoviæ 1543

Quocirca Repositio seu Suspensio Colloquiorum, fieri non debet: ita quòd Citationes, & causæ hominum, nullo modo, neq; generaliter, per ipsos Iudices, ad alia Colloquia suspendantur. Quicunq; autem Iudices Colloquiorum, tales suspensiones causarum sua sponte fecerint: juxta Statutum debent puniri, vel alioqui, pars non consentiens, ad Comitia

mitia appellet, acceptô, si tales Repositiones, ex consensu partium factæ fuerint.

Iudex quando non est redarguendus.

Kazim: Magnus Vislic; 1368. Fol. 32.

INsuper Statuimus: quòd in nostra præsentia, vel coram nostro Capitaneo, vel quando generales Termini tenentur, Palatinis vel Baronibus præsentibus, Iudex judicans non possit de malo Iudicio redargui: cùm non ipse solus, sed cæteri & plures judicant supradicta.

Ex Colloquiis, ad Regiam Majestatem appellatio fiat.

Sigis. Aug: Petr. 1550

NIhilominus poterit quilibet appellare, de Terminis prædictis generalibus, ad Regiam Majestatem, tanquam Iurium omnium Regni Dominum superiorem: pro justitia consequenda.

Quocirca ex Colloquiis, appellatio ad Comitia Regni fieri debet.

Sigis. Crac; 1540.

DE Terminis seu Iudiciis generalibus, quæ vulgò Colloquia nuncupantur celebrandis, Statuta omnia desuper edita in robore conservamus: ac illa in singulis terris, juxta eorum Statutorum ordinationem, & veterem consuetudinem, celebrari mandamus, semel ad minus annis singulis. Quia verò propter nostrum in Magnum Ducatum Litvaniæ égressum, negotiaq; Ducatus illius, quæ fortè nos in illo diutius quàm vellemus distinebunt, Appellationes seu Motiones à Iudiciis Terrestribus & Castrensibus, seu etiam officio Castrensi, ad Nos factæ, remanerent longo tempore indecisæ: pér hocq; multorum subditorum nostrorum justitia negligeretur: Statuimus, ut interim, donec nos ex Magno Ducatu Litvaniæ redierimus, ejusmodi Iudicia generalia bis in anno celebrentur, quibus & Domini Episcopi, singuli in districtu sedis Episcopatûs sui, Palatini, Castellani, cæteriq; Dignitarij & Officiales, Iudices, & Subjudices Terrestres, intersse teneantur: sub pœnis, in illos statutis, nisi vera infirmitas, Legatio, vel Reipubl. servitium, illos excusarent. In tali enim casu, licebit impedito sic, in locum suum, alium idoneum surrogare. In quibus quidem Iudiciis generalibus, omnes Motiones, Appellationes, & alia id genus, tam à Terrestribus, quàm à Castrensibus Iudiciis, ac etiam ab officio Castrensi, quæ ad Nos, seu ad Conventum generalem sunt factæ, & jam ante nostrum in Litvaniam egressum non fuerint decisæ, ac item interim, donec in Magno Ducatu illo Nos agere contigerit, cadentia judicari & terminari debebunt. Et quicquid, per Iudicio illi Præsidentes, judicatum & decretum fuerit: id totum per eosdem Iudicio Præsidentes, ac locorum Capitaneos, in executionem deduci debet. Licebit nihilominus unicuiq;, à decreto & sententia Iudiciorum generalium, ad Conventum generalem Regni primum, post nostrum in Regnum reditum celebrandum, appellare. Sed hujusmodi appellatione non obstante, executio decretorum fieri debet: ut supra: il-

leque, pro quo judicatum fuerit, in poſſeſſione bonorum illi adjudicatorum inducendus, & in ea tuendus erit. Vbi tandem in Conventione generali, Nos cum Conſiliariis noſtris, ſententiam & decretum, à quo appellatum fuit, juſtum eſſe cognoverimus: illud approbabimus. E diverſo verò, ubi per nos & Conſiliarios noſtros, fuerit retractatum & infirmatum: bona omnia, & res illæ, quæ per hujuſmodi ſententiam fuerint adjudicatæ alicui parti, rurſus reſtituentur illi: pro quo, in Conventu generali tulerimus ſententiam: ſimul cum fructibus, intermedio tempore perceptis, & damnis inde ſecutis, Iuramentô damna paſſi æſtimandis. Tempora verò celebrandorum hujuſmodi generalium Iudiciorum volumus juxta Statutorum diſpoſitionem obſervari.

Statuta de Colloquiis, in executionem ponantur.

Sigiſmundus Petricoviæ 1538. HÆc itaq; Statuta, de Colloquiis generalibus celebrandis, imò verò de omnibus perſonis, rebus, ac Iudiciis Regni edita, & quæ non ſint poſterioribus expreſsè abrogata, in executionem ponere, & illa exequi, per edicta noſtra mandabimus.

COMITIA SEV CONVENTVS.

Comitia Petricoviæ ſint: niſi quid vetet.

Sigiſm: Cracoviæ 1540. Cùm graviùs ferrent nonnulli Conſiliarii, & Nuntii terrarum Regni noſtri, ad Conventum generalem Regni, Cracoviam ſeſe vocari: præter veterem conſuetudinem, à loco Petricovienſi illos evocando: Decrevimus, Conſiliariis noſtris, & terrarum Nuntiis petentibus: ut non alibi, præter Petricoviam, Conventus generalis celebretur, niſi cauſa legitima, per Nos cum Conſiliariis noſtris expendenda, aliud ſuaſerit faciendum.

Sigiſ: Crac, 1543. § SIMILIS. Aſſentimur Dominorum Conſiliariorum, & terrarum Nuntiorum ſententiæ: & ita relinquimus duraturum: Quia Regni Comitia generalia, non alibi, niſi Petricoviæ, indici & agi debent, peſtilentiæ, & ægritudinis Regiæ, caſibus exceptis.

Sed in Lublin, aut Parczow, Poloni cum Litvanis Comitia celebrent.

Iagello Rex Fol. 127. HOc etiam addito ſpecialiter, & expreſſo: quòd præfati Barones, & Nobiles Regni Poloniæ, & terrarum Litvaniæ, Conventiones & Parlamenta, quando neceſſe fuerit, in Lublin, vel in Parczow, & aliàs in locis aptis, de conſenſu & voluntate noſtra, celebrabunt: pro commodo & utilitate Regni Poloniæ.

Sigiſm. Auguſtus 1550 § SIMILIS. Vt tempore felicis noſtri principatûs, negotia publica procedant: Comitia generalia, particularia, juxta tempus & loca, Statutô deſcripta, edicemus. *Cancel-*

Cancellaria informabitur, de præſtituendis Conventionum temporibus, & de Conventu Srzedenſi, Colenſi, & Petricovienſi.

PRovidentes, ut Conventus particulares debitô modô celebrari, dum opus eſt, valeant: Promittimus dare Cancellariæ informationem: ut eos oportunis locis, & debitis temporibus, literis præſcribant: & præſertim, ut Conventum Srzedenſem, duabus ſeptimanis ante Colenſem, & ſubinde Petricovienſem, octo diebus conſtituere meminerint. *Sigiſm. Cracoviæ 1510 Fol. 8.*

Conventus in Radziejow, Brzeſtenſi, & Iunowladislávienſi terris deinceps eſt indicendus.

PEtitioni terrarum Brzeſtenſis & Iunowladislavienſis, conſentientes Conſtituimus: ut utriq; terræ unum Conventum terreſtrem in Radziejow celebrandum, deinceps inſtituamus. *Sigiſmundus Crac. 1510. Fol. 9.*

Pœna turbantium Conventus.

STatutô hôc præſenti etiam ſancimus: quòd quicunq; in Conventibus rixas facientes gladios evaginaverint, pœnâ Marcarum viginti Polonicalium, puniantur. Si verò aliquem vulneraverint: extunc pœnâ Statuti, antea promulgati puniantur: Sed ſi aliquem occiderint: pœnâ capitis puniantur. Et contra tales, Capitanei locorum, inquiſitionem & exequutionem facere debent: ſub pœnâ centum Marcarum Polonicalium. Hi verò qui crimine patrato aufugerint, ex Regno ſunt bannienti, & infames pronuntiandi, prout & infames eos declaramus. *Sigiſmundus 1520. Fol. 16*

Vnus particularis Conventus, in terra Sandomirienſi eſt celebrandus.

UNus duntaxat particularis Conventus, in terra Sandomirienſi, juxta antiquam conſuetudinem celebretur: Conventu Skrzynen: qui ex ſpeciali conceſſione noſtra, annis ſuperioribus agebatur, abolitô penitus & ſublatô. *Sigiſ. Petri 1519. Fol. 23*

Pœna ſtatuitur contra Epiſcopos, & Palatinos, atq; Caſtellanos, ad Conventus Terreſtres non venientes.

DEcrevimus etiam: quòd Epiſcopi, Palatini, Caſtellani, & cæteri Officiales, teneantur intereſſe Conventibus Terreſtribus, & in Majori Polonia Colenſi, & in Terris Cracovien. Novæ Civitatis Korczyn: ſub pœnis. Epiſcopi namq; ſoluturi ſunt pro pœna, Marcas quadraginta; ſi ſe legitima excuſatione, in eodem Conventu non excuſaverint. Palatini verò, & primarii Caſtellani, ſolvere tenebuntur (ſi ſe temerariè abſentaverint: & legitima excuſatione, ſe ibidem, in Conventu non excuſaverint) Marcas viginti. Similiter Caſtellani minores, ſolvent pro abſentia *Sigiſmundus Crac. 1510. Fol. 8.*

sentia decem Marcas, fisco Regio applicandas, si se non excusaverit non vagâ, sed legitimi impedimenti excusatione. Et pœnæ præfatæ, fisco nostro Regio irremissibiliter applicabuntur.

§ Terminus ad Comitia generalia, die sexta post ingressum Regis, assignari debet. Vide in Titulo CITATIO Fol. 70.

COMMISSARII, SEV COMMISSIONES.

Commissarii circa exemptionem, quomodo se conservare debeant.

Sigis: Crat. 1543. STatutum & sancitum est; quia Commissarij, in causis Iudicij sui, non debent recedere à Statuto communi, & facultate illis circumscripta: videlicet circa limites faciendos, exemptionem bonorum, vel divisionem (bonorum, inter personas etiam remotas: par tamen Ius succedendi habentes) faciendam; & ne morem gerant ullis informationibus, huic Statuto contrariis. Quòd si quid contra Statutum facerent: id nihili esse debet: nullaq; informatio illos excusare poterit. Præterea nulla bona, circa talem exemptionem accipere debent: tantùm ea, quæ in literis obligatoriis essent descripta.

Qui citat Commissarios vel Iudicium temerè, qua pœna plectitur.

Sigism: August: 1557 QVi citaret Commissarios, aut Iudicium, vel Officium: & talis temerariè citasse convinceretur: tenebitur talis, ibidem in instanti, singulis seorsum, solvere bis quatuordecim Marcas: pro pœna, similiter & parti: si citabitur.

Commissiones dentur potentibus.

Iagello in Iedlna 1433. Fol. 52. ITem promittimus: quòd omnibus terrigenis, cum bonis & hæreditatibus nostris granicies postulantibus & petentibus, non denegabimus.

Commissiones in quibus casibus dantur.

Alexander in Radom. 1505 Fol. 117. AVtoritatem judiciariam ubiq; illibatam conservare cupientes, Statuimus: quia Nos successoresq; nostri, nullas dare debemus Commissiones, non dabuntq; successores: nisi super limitibus bonorum nostrorum, & divisione bonorum hæreditariorum, inter fratres, & proximiores: aut quæ essent de consensu partium, aliàs datæ, nullius sint roboris, vel momenti.

Commissiones Regiæ etiam inter remotos, par Ius succedendi habentes, dabuntur.

Sigis. Crat. 1532. B 2. COmmissiones in aliis casibus, quàm qui in dispositione Statuti continentur, dari prohibemus: & datas nullas esse volumus, & decernimus.

mus. Commissiones tamen, ad dividenda bona, tam inter fratres germanos, quàm inter alios quosvis consanguineos, qui ad aliqua bona par Ius succedendi habent, quantumcunq; remotos, locum habere debere declaramus, & decernimus. Quòd si quis repellere volens eum, qui divisionem bonorum petit, negat eum esse consanguineum, vel Ius succedendi ad bona hujusmodi habere: in tali causa Commissarij, à divisis bonis supersedere, & decisionem controversiæ super propinquitate & successione, ad Iudicium Terrestre remittere debebunt.

Olim solùm duo Dignitarij, & Succamerarius, ad Limites dabantur.

Kazimirus in Niessowa 1454. Fol. 93. PRæterea pollicemur: quod omnibus petentibus à Nobis limitationem, seu distinctionem limitum, inter bona mensæ nostræ Regalia, & bona petentium, consentiemus: & dabimus duos Dignitarios, seu Officiales, & Succamerarium, qui Nomine nostro, potestatem habebunt limites faciendi.

Sed deinceps quinq; sint Commissarij.

Albertus Petric: 1494. Fol: 107 ITem cùm inter bona nostra, inscripta vel non inscripta, & subditorum nostrorum nostris covicinantium, nonnunquam injuriæ & oppressiones, nonnunquam etiam cædes committerentur: & fierent difficultates plurimæ, pro limitatione granicierum: nostris aut Capitaneis, aut Tenutariis, sub umbra Regii Nominis nostri bonorumq; nostrorum, subditosque nostros, vicinos, aut opprimentibus, aut limitationem granicierum difficultantibus: idcirco ex innata Nobis virtute, & benignitate Regia, propter omnem subditorum nostrorum justitiam & pacem, ex hac parte habendam, promittimus: Quia quibuslibet subditis nostris, cujuslibet statûs & conditionis existentibus, granicies ex parte bonorum nostrorum petentibus, Nos & successores nostri, secundùm Statuta antiqua, ad discernendam æquitatem, Commissarios illius terræ & districtûs, in quibus bona limitanda consistunt, videlicet duos Dignitarios & duos Officiales, cum suo Camerario deputabimus, & deputare debeant.

Commissarii, acceptò ex utraq; parte à senibus Iuramentò, Limitationem faciant.

Ibidem. QVi quidem Commissarii postquàm exiverint, debent ex utraq; parte senes advocare: à quibus receptô Iuramentô, Iuxta eorum recognitionem & testimonium, ad Limitationem procedent. Si verò ipsi senes discordes fuerint: extunc Commissarii, juxta suas conscientias, concordando discordias senum, secundùm eorum privatum judicium, Limitationem ipsam prosequentur, & terminabunt. Vbi autem & ipsi Commissarii discordarent, Volumus: quòd ex ipsorum sententia, qui plures in voce concordes fuerint, authoritas atque potestas dependeat definita terminandi: nostrorum Officialium, videlicet Capitanei, aut Tenutarii, contradictione non obstante.

Si Commissarii desint in proprio districtu.

Sigism. Petric: 1523. Fol. 30. SI autem Dignitarii, ad Limites ipsos designandi, essent pauci, in illa terra seu Palatinatu: in quo Limites fieri debent: aut fortè essent absentes: eo casu, ex vicino Palatinatu, vel etiam ex remotiore, Commissarios designabimus, ad ipsos Limites faciendos. Non alios tamen, nisi tales: qui in illis terris, ubi limites essent faciendi, possessionati fuerint.

Sigismundus Petricoviæ 1511. § Decem Grossi, pro literis Commissionis, in Cancellaria accipiantur.

§ A literis Commissionis, cum Mandato, decem Grossi accipiantur.

Capitaneus, seu Tenutarius bonorum Regalium, ad limitationem bonorum exeat: & Commissarios provideat, si libera bona possidet.

Ioan: Alber: 1496 Fol. 107 & Fol. 108, CApitaneo, seu Tenutario bonorum nostrorum mandabimus: ut pariter cum Commissariis eisdem, ad limitanda bona eadem exeat, descendat: & Commissarios expensis provideat: in his præsertim bonis, quæ habemus libera & sine obligatione.

Commissionis terminus ad limitanda bona, duæ septimanæ.

Sigis: Petr: 1528. INnotescentia Commissarialis, una cum Mandato ad Capitaneum, per Ministerialem, & duos Nobiles, inferenda sunt duabus hebdomadis ante limitationem, ita, ut tam de tempore, quàm de loco, certum Capitaneum faciant.

Idem Rex 1523. Fol. 30 Præterea Commissarii nostri prædicti, duabus septimanis antè, quàm simul convenient ad faciendos Limites, Capitaneum seu Tenutarium nostrum, de tempore & loco sui conventûs, certiorem facient: per Ministerialem, & duos Nobiles, ac etiam per literas suas proprias, & Mandatum nostrum.

De honore ac securitate Commissariorum.

Sigism: Cracoviæ 1543. QVòd si quis plebeius, in negotio & Iudicio Limitum, vel alio quocunq;, contra Commissarios inveheretur verbis, illosq; inhonorarét: talis, turri, vel alioqui sessione dimidij anni, puniri debet. Cujus pœnæ executionem, Capitaneus illius loci faciet: sub pœna, in Statuto descripta, contra illos: qui executionem facere negligerent. Quòd si quis, etiam plebeius, arma corriperet, & vibraret: licet etiam neminem vulneraret; collo luat pœnas, quòd etiam Capitaneus exequatur. Nobilitas autem pro talibus excessibus, juxta Statutum puniatur.

Quod à Commissariis, in Limitatione bonorum semel decretum est: id non innovetur.

Sigism. Augustus 1550 UT, quod per Commissarios nostros (quos ad Limitationem bonorum nostrorum

nostrorum Regalium, & Nobilium, concedimus) semel decretum fuerit, ampliùs non innovetur, Statuimus: ut post Limitationem bonorum nostrorum Regalium, ac Nobilium, Capitanei nostri in fundis Nobilium, injurias non inferant: subditi verò nostri, in fundis dislimitatis, nullum usum, fructum habeant, atq; alvearia, neq; alias utilitates.

Inter Regnum Poloniæ & Ducatum Litvaniæ Commissarij dabuntur.

PRopter injurias sopiendas, quæ inter subditos nostros, tam Regni quàm Magni Ducatûs Litvaniæ, mutuò inferuntur, dabimus duos Commissarios ex Regno, & duos ex Magno Ducatu Litvaniæ: quando, scilicet aliquis, de injuria aliqua conquestus fuerit. Coram quibus Commissariis, post innotescentiam Commissariorum, & Mandatum nostrum, quilibet comparere tenebitur: ibidemq; sine ullis dilationibus, culpatus, cum parte actorea experiri tenebitur. Sigis. Augusti 1557.

Quicquid Commissarii fecerint, ratum sit: nec Revisores dabuntur.

NOs verò deputabimus Commissarios nostros, qui faciant limites: ac illorum Iudicium, inhibitionibus nostris non impediemus: Assessores, seu Concommissarios, nec etiam Revisores, post factos limites, designabimus. sed quicquid Commissarii decreverint, illud ratum & firmum esse debebit. Præterea cùm Commissarii nostri convenient, ad locum Limitum: sive Capitaneus, seu Tenutarius noster exiverit, sive non: eduxerit senes, aut non: ipsi Commissarii nihilominus Limites ipsos prosequi, & finire debebunt: Capitanei nostri, ac etiam illius, qui queritur de injuriis Limitum, contradictione, seu Motione & Appellatione, ac etiam absentia, minimè obstante. Sigismundus Petric: 1523 Fol. 30.

De Commissariis, iniquè citatis: & de aliis judiciis.

QVicunq; citaret Commissarios, aut aliquod Iudicium, vel Officium, pro aliquo processu: & talis decernetur, iniquè illos citasse. is tenebitur, singulis separatim dare bis quatuordecim Marcas, pro pœna, similiter & parti: si eadem citaretur. Sigis. Augu. 1557.

COMPLICES.

Complices victo patrocinantes, proscribuntur.

SImiliter & omnes complices, eidem victo palam patrocinantes, citari debebunt, ad bannien dum & de Regno, unâ cum ipsorum præfato principali, Iure convicto, proscribendum se decerni; contra quos, prout eorum principalem, Officium Capitaneale procedere debet. Sigis. 1523 Fol: 36.

Si complices impossessionati fuerint.

Sigism. Rex

QVi verò essent impossessionati: per Officium illud Castrense comprehendantur, & in turrim conjiciantur, quorum punitio, in arbitrio & gratia nostra consistat.

§ Complices perpetrati homicidii: Vide in Titulo, HOMICIDIUM.

§ Complices in invasione domûs: Vide in Titulo, INVASIO DOMUS.

CONDEMNATIO.

Qui in termino peremptorio condemnantur.

Kazimirus Wislic: 1454 Fol: 37.

SI citatus comparere non curaverit, vel contempserit: in termino peremptorio, causam perdat: & ab actione cadat, cum pœna.

Kazimirus in Nieszowa Fol. 94.

In secundo autem termino, in terminis, quilibet citatus comparere, & respondere debebit.

Sigis. Petr: 1523 Fol. 33.

Quocirca si citatus in secundo termino, utpote peremptorio, temere sineq; repositione termini non paruerit: Actor eum condemnabit in lucro: juxta continentiam suæ Citationis, attamen in talem condemnationem Citatio debet inseri, sive actacari.

Condemnatio legitima qualis esse debeat.

Kazimirus Wislic: 1368 Fol: 11.

AT ipsa pars, quæ fuerit absens, nonnisi extremam horam meridiei, Iudice quasi surgere volente, primò, secundò, & tertiò, hoc est, tribus vicibus evocata, (vel in lucro, si rea: vel in evasione, si actorea fuerit) quòd scilicet parere non curavit, condemnetur.

De justè & injustè condemnatis.

Consuetudo Terra Crac: 1505. Fol: 124

ITem dum aliquis aliquem condemnaverit injustè: condemnatus arrestabit condemnationem in libro. Et si citaverit, pro injusta condemnatione: tunc ille, qui sic condemnavit, debet luere pœnam trium Marcarum, & condemnationem describere de libro. Sed si condemnatus, non arrestaverit condemnationem: tunc ille, qui condemnavit, potest describere sine pœna.

Condemnatio Actoris.

Consvetudo terra Crac: Fol. 122,

ITem in Terminis condemnandis Castrensibus vel Terrestribus, usque in fine Actores debent condemnari, & si citatus priùs condemnaret Actorem, antequam Ius admittet alios Actores condemnari: Actori condemnato nihil nocebit condemnatio.

Condemnati in Iudicio, illico satisfaciant.

QVia victus tenetur victori satisfacere, de evictione, & condemnatis: neq; de Iudicio priùs recedat: nisi satisfaciat pro eo, pro quo est condemnatus.

demnatus. Quidam tamen rebellione, aut inobedientia dicti, nescitur quo animo recedunt de Iudicio condemnati, pro debito, nullam satisfactionem adversariis impendentes: Quapropter volumus: quòd tales inobedientes, de malitia ipsorum commodum non reportent, quia postquam convicti fuerint in Iudicio, ad manus adversariorum suorum ligati tradantur. Et si in captivitate manentes effugerint: à potestate eorum sint liberi, & absoluti, ipso factô & omni debitô, quod tenentur & obligantur, præter debitum furti: quod semper condemnati solvere tenebuntur.

Pœna condemnati in Contumacia.

ITem Volumus: ut quilibet Actor condemnando Citatum absentem, in Contumacia, solvat duntaxat duos Grossos, quorum unus, cedet Notario, & alter Grossus, Iudicio præsidenti. Sigis. Petr: 1523 Fol. 38

De petitione insimul, & condemnationis, & pœnæ.

ITem, dum aliquis postulat, & condemnationem, aliàs *odbycia*, & pœnam: pro citatione mala, non condemnatio, neq; utrumq; sed pœna duntaxat decernatur petenti. Sigis. Crac. 1550. Fol. 124.

CONFIRMATIO IVRIVM.

Wladislaus tertius Rex, Iura confirmat.

EX certa nostra scientia, præhabita sufficientissima deliberatione, animo & voluntate nostra ultronea: ipsis Prælatis, Comitibus, Baronibus, Militibus, Proceribus, Nobilibus, Burgensibus, cæterisq; subditis & incolis Regni nostri, cujuscunq; status existunt, Spiritualis vel Secularis: quæq; ipsorum Iura, libertates ac immunitates, literas, Privilegia Ecclesiastica & Secularia: quæ à divæ memoriæ prælibato genitore, ac aliis Regibus, Principibus, Ducibus, & Dominis Prædecessoribus nostris Regni Poloniæ, veris & legitimis hæredibus, super quibuscunque bonis & libertatibus habere dignoscuntur, & habent: sub quibuscunq; Datis, in vita sua justè & ritè emanata: libertates & immunitates, Spirituales & Seculares, in se continentes: & quas hic volumus habere pro insertis, in omnibus earum punctis, positionibus, conditionibus, articulis & clausulis eorum universis, ratificamus, innovamus, approbamus, & præsentis scripti patrociniô confirmamus: decernentes, illa robur obtinere perpetuæ firmitatis. Promittimus insuper in verbo nostro Regio, præsentibus, & spondemus: eadem ipsorum Iura, libertates, immunitates, literas, & Privilegia, per omnia rata atq; grata habere: & jugiter, inviolabiliter, perpetuò observare: ac eis satisfacere, cum effectu. Wladislaus Petr. 1434 Ex Privileg. manu scripto.

Similiter Kazimirus tertius Iura confirmat.

Kazim. in Nieſzowa. 1454. Fol. 92.

NOs Kazimirus attendentes, Conſtitutiones prædeceſſorum noſtrorum quaſdam in oblivionem deductas, alias reformatione & innovatione, & alias, additione egere: ad inſtantiam omnium Nobilium, regnicolarnm noſtrorum, coram nobis conſtitutorum, de Conſilio Baronum, & Conſiliariorum noſtrorum, Conſtitutiones terrarum præfati Regni noſtri duximus præſentibus innovandas, emendandas, & reformandas in meliùs: cæteriſq; aliquid adjiciendum cenſuimus, ut Iudices terrarum Regni noſtri, ipſis innixi, & ex ipſis eruditione ſumpta, in judicando conſervent ſtateram æquitatis.

Confirmatio Iurium generalis.

Idem Rex, Fol. eodem

IN primis igitur pollicemur verbô noſtrô Regio, omnes Regni noſtri incolas, in Iuribus quibuſvis, ipſis à prædeceſſoribus noſtris datis, integraliter conſervare: nulliq; bona recipi mandabimus, aut captivari faciemus: niſi priùs fuerit Iure convictus.

Similiter Ioannes Albertus, omnia Iura, ſimulq; Kazimiri in Nieſzowa condita, confirmat.

Ioani Alber: Petr: 1496 Fol. 92.

LIcèt per alias literas noſtras, tunc univerſis terris, ſublimitatibus, & ſubditis Regni noſtri conceſſas, univerſa Iura, Privilegia, libertates, & prærogativas, per Sereniſs. Illuſtriſſimoſq; Reges, & Principes Regni Poloniæ, olimq; genitorem noſtrum, eis conceſſas atq; conceſſa, confirmaverimus: cum Sacramento Iuramenti, in felici Coronatione noſtra, per nos corporaliter præſtiti: ibi quoq; licet cenſeantur univerſa Privilegia incluſa eſſe, ſucceſſivè Regno conceſſa: tamen cùm in præſenti Conventione, produceretur in medium Privilegium, originaliter continens Conſtitutiones multas, nobis & Reipub. Regni noſtri perutiles, in Nieſzowa olim per genitorem noſtrum datum: illud ad vota Prælatorum, & univerſorum regnicolarum ſpecialiter confirmaturi, decrevimus præſentibus inferendum, tenore infraſcripto.

Idem Ioannes Albertus Rex de eodem.

QVòd quidem Privilegium, in omnibus punctis, conditionibus, paſſibus, & articulis, de certa ſcientia, benignitate, & virtute noſtra innata, præclarorumq; Baronum, ac Nuntiorum de ſingulis terris huc convocatorum, univerſorum conſiliô, & voluntate, confirmandum duximus: & confirmamus, perpetuò tenendum, obſervandumque.

Idem Rex Ioannes Albertus decernit, ſua Statuta perpetuò duratura: ſimulq; priora omnia confirmat,

Poſtre-

POſtrémò verò, ut præſentium Inſtitutorum confirmationiſq;, & ſucceſſionis noſtrorum ſeries, robur obtineat, perpetuæ firmitatis: nec ullô unquam tempore, per Nos & Succeſſores noſtros: in aliqua ſui parte, quomodolibet valeat in irritum revocari: tam præſentia Inſtituta noſtra, confirmationem antiquorum continentia, quàm alia antiquiora univerſa, per divos olim prædeceſſores noſtros Reges Poloniæ, ſucceſſivè edita, præſentibus etiam non inſerta, in omnibus paſſibus, Capitulis, articulis, punctis, & clauſulis, approbamus noſtra præſentia: decernéntes perpetuò valitura: illa verò univerſa antiquiora confirmantes, roborantes, & ratificantes: quatenus perennis firmitatis vim obtineant. Super quibus, tam novis præſentibus noſtris, quàm antiquioribus confirmatis, noſtras Privilegiales præſentes literas, pendentis retrorſum, à dorſo, Sigilli noſtri munimine roboratas, de certa noſtra ſcientia, dedimus & conceſſimus: per manus Reverendi in Chriſto Patris, Domini Creslai de Kurzozwiaki, Epiſcopi Wladislavien, & Cancellarii Regni noſtri, nobis ſincerè dilecti: Petricoviæ in Conventione generali, Anno Domini 1496. Feriâ quartâ proximâ poſt Feſtum S Vrbani, per Nos, & Vniverſos Prælatos, Barones, Regnicolas, & terrarum Nuntios, celebrata.

Ioann Alber: Petricoviæ Fol. 219.

Item Rex Alexander, Statuta Heroum Regni, Petricoviæ, Anno 1503. edita, Majeſtate Regia, in Lituania exiſtente, continuat & approbat.

NOs Alexander Rex, poſt felicem Coronationem noſtram, Republ. Litvana tunc expoſcente, cùm ad Magnum Ducatum Litvaniæ contuleramus Nos: his verò Regni terris, nobis in Ducatu ipſo agentibus, dum Conventionem indixeramus generalem, fuit per univerſos Regni noſtri Prælatos, Spirituales & Seculares, & terrarum Nuntios, univerſum corpus Regni, etiam abſentium nomine, per literas Noſtras, & per proclamationes publicas vocatorum, venientium & non venientium repræſentantes, celebrata Conventio generalis: in loco Regni noſtri, ad id conſueto, Petricoviæ, die Dominico Reminiſcere: & prorogationem habuit, uſq; ad Dominicam Iudica me Deus, &c. Anno Dñi. 1503. Cui (Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo olim Domino Friderico, Cardinali, &c. Germano noſtro, ad gubernandum Regnum, in noſtri abſentia, per nos olim conſtituto, in lecto ultimæ agritudinis decumbente) præſidebant, Reverendiſſimus & Reverendi in Chriſto Patres, Domini ac Magnifici: Archiepiſcopi, Epiſcopi, Palatini, & Caſtellani, cum reliquis ex ordine Reipubl. Prælatis, utriuſq; ſtatûs, Conſiliariis noſtris, per quos, & univerſos alios Conſiliarios, ac terrarum Nuntios, Statuta edita, ſunt per Nos, ad vota eorum approbata, infraſcripta.

Alexander 1503. Fol. 111.

Alexander Rex cauſam reddit: cur in hunc modum anteceſſorum ſuorum evulgâſſet Statuta.

Idem Fol. 66. SVnt igitur universa hæc, ad præsens singulare volumen congesta, Privilegia supra scripta, Constitutiones Regni Poloniæ, (quæ sub tempore, à Boleslao Calissiensi Duce, & à Magno Kazimiro, usq; ad nostra præsentia tempora, autoritas Principum, pro Regno & incolarum ejus felici statu, edidit) continentia: quorum tenores libris Legum Civilium, ad Reipub. Regni nostri stabilimentum utilitatemque, per dictum olim Kazimirum Magnum receptorum, anteponimus: eorumque omnium, sicut vetustiora præposuimus: ac eis clavem apertionis, processum Iuris, & terminorum conservationem, cum aliis suô locô positis, tanquam Iuris vehiculum atq; promulcum, quo tutissimè per omnes eventus justitiæ uectitabitur salus, ascripsimus. Sic infra scriptum nostrum hoc, omnium extremô suprascriptorum locô ponimus. Quòd licèt nihil conmeat constitutionis nova, veteris duntaxat perhibere sub Sacramenti munimine robur: tamen quia dum in hac Radomiensi data, communi subditorum conamine & instantia impetratum à nobis erat: per quod nos re vera potiùs provocati & incitati, quàm motu proprio persuasi sumus, ad istud edendum commune Privilegium per omnes voluminis passus suprascriptum fatebimur necessariò. Vniversis, quibus expedit, præsentibus & futuris, infra scriptum Privilegium dedisse occasionem nobis: ut Privilegia universa supra scripta, censuram justitiæ, statûsque publici perstringentia, de thesauro Regni nostri publico, ac ex aliis Regni nostri publicis scriniis atq; locis, (quorum supra fit mentio) sumpta, in manus dederimus subditorum nostrorum. Quamobrem Privilegium infra scriptum, tanquam specialissimum, & subditis nostris gratissimum, duplici licilicet & materiali, & Sacramenti sigillô munitum, non inter indaginum ambages suprascriptas, sed speciali descriptione exaratum, atq; omnium ultimum, tanquam vectem ac sigillum præmissorum habebit locum. Cujus sequitur tenor.

Generalis confirmatio Iurium, per Regem Alexandrum.

Anno Domini 1505. IN Nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam, Regnantium & imperantium auspicia, feliciora semper eveniunt: dum quod sacris suis proferunt, & promittentes oraculis pro Iure, & Iustitia, consolationeque subditorum fidelium tenendum, id literis etiam perpetuis firmant: & posterorum notitiæ commendent, ævô perpetuô duraturum: Proinde Nos Alexander, Dei gratia, Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, nec non terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Russiæ, Prussiæ, ac Culmeń, & Elbineń, Pomeraniaq;, Dominus & Hæres, &c. Significamus tenore præsentium, quibus expedit, universis præsentibus, ac futuris, harum notitiam habituris: Quod licèt in sacris Majestatis nostræ Regiæ primitus (dum videlicet Principes Spirituales, & Seculares, cæteriq; Prælati, & regnicolæ nostri, felici aderant Coronationi) universa Privilegia, per divos olim antecessores nostros, Principes,

cipes, Duces, Reges, & per Nos, post felicem Coronationem nostram, Regno Poloniæ, ejusq; regnicolis concessa, promisimus inviolabiliter tenere: tamen propter majorem eorum firmitatem, annuentes votis Consiliariorum nostrorum, & Nuntiorum terrarum, ex universis Regni terris in hac Conventione existentium, eorundem petitionibus & adhortationibus permoti, non per errorem, vèl improvidè, aut indeliberatè, sed ex speciali virtute & munificentia, Regiis nostris, per literas perennes præsentes nostras, promissionem illam nostram solidiorem, firmioremq; efficere volentes: universarum terrarum nostrarum, & universorum ac singulorum incolarum terrarum earundem, cujusvis status, sexûs, conditionis, & ordinis existentium: Privilegia, indulta, munimenta, Statuta, donationes, libertates, prærogativas, immunitates: & quaslibet donationum ac venditionum Inscriptiones, sub quibuscunq; verborum tenoribus, modis, consuetudinibus, ac dictis: per Illustrissimos & Serenissimos prædecessores nostros, Principes, Reges, Reginas, Hæredes, & Duces Poloniæ, & per Nosipsos, Regno Poloniæ, ac prædictis & aliis universis terris justè & legitimè datas, donatas, concessas, & emanatas, ac data, donata, concessa, vendita, emanata, tentaq; & observata: (quorum & quarum tenores, hîc volumus habere pro insertis) in omnibus ipsorum & ipsarum modis, punctis, articulis, clausulis, conditionibus, & consuetudinibus, roboranda, confirmanda, & gratificanda, ac roborandas, confirmandas, & gratificandas, duximus & decrevimus: roboramusque, confirmamus, & gratificamus, ac præsentis scripti patrociniô firmamus, & approbamus: illa & illas, verè, perpetuò, indubiè, & in ævum, inviolabilis firmitatis robur obtinere: Promittentes sibi Iuramentô nostrô: quòd in prædicta felici Coronatione nostra, corporaliter præstitimus: illas ac illa, in quodlibet illorum, illarumq;, in omnibus prædictis eorũ, earumq; modis, cõsuetudinibus, prescriptionibus, descriptionibus, articulis, punctis, & conditionibus, firmiter & inconcusse & inviolabiliter tenere, habere, & observare: tenerique, haberi, & observari facere, temporibus perpetuò duraturis. Quòd si aliquid contra libertates, Privilegia, immunitates, & Iura prætata Regni, fecerimus: illud totum cassum, irritum, inane, nullumque esse volumus, ac decernimus, ipsô factô: atq; irritamus, & cassamus tenore præsentium mediante. In cujus rei testimonium, Sigillum nostrum præsentibus est subappensum. Actum in Conventione generali Radomiensi, Sabbato Inventionis S. Crucis, Anno Domini 1505, Regni nostri Anno quarto: præsentibus Reverendissimis & Reverendis in Christo Patribus, Dominis, Andrea Archiepiscopo Gnesnensi & Primate, Bernardino electo Lediensi, Ioanne Cracovienſi, Vincentio Wladislavienſi, Ioanne Posnaniensi, Luca Varmiensi, Ecclesiarum Episcopis: necnon Magnificis, Venerabilibus, & Generosis Spytkone de Iaroslaw Castellano Cracovienſi, Ioanne de Tarnow Sandomirienſi, Nicolao Gardzina de Lubrant Calissiensi,

enſi, Petro Myſzkowski de Mirow Lancicienſi, Nicolao de Koſcielec Brzeſtenſi, Nicolao de Kretkow Inowladislavienſi, Ioanne de Tarnow Ruſſiæ, Nicolao de Kurozwiaki Lublinenſi, Prandota de Trciana Ravenſi, Palatinis: Ioanne Iarand de Brodzow Caliſſienſi, Ioanne de Przeramb Siradienſi, Ianuſio Latalski, Gneſnenſi, Ioanne Stupecki Sandecenſi, Iacobo de Sieklika Voynicenſi, Petro Szafraniecz de Pieſzkowa skáła Vislicienſi, Ioanne de Iordan de Zakliczyn Biecenſi, Stanislao de Młodziejowice Radomienſi, Martino Skotniczki de Boguria Zawichoſtenſi, Stanislao de Pothylcza Miedzyrzecenſi, Petro de Opalenica Landenſi, Petro Gorski Naklenſi, Nicolao de Rzadzikow Dobrzynenſi, Petro de Niemygłowy Ravenſi, Paulo de Chorza Polancenſi, Caſtellanis: Ioanne de Lasko, Eccleſiæ Gneſneń, & Regni noſtri Cancellario, Iacobo de Szydłowiecz, Theſaurario ejuſdem Regni, Alberto Gorski Scholaſtico Wladislavienſi, Nicolao de Barthnik, Cuſtode Plocenſi, Eccleſiarum, Secretariis noſtris: Nicolao Firley de Dabrowica Vexillifero Cracovienſi, & Capitaneo Lublinenſi, Derslao Wilczek de Lubień Leopolienſi, Alberto Skora de Gay Dobrzynenſi, Stanislao de Caſſanow Lublinen, Succamerariis: cæteriſq; Conſiliariis, & Curienſibus noſtris, ad præmiſſa teſtibus fide dignis, ſincerè & fideliter nobis dilectis. Datum per manus ejuſdem Venerabilis Ioannis de Lasko, Gneſnenſis Eccleſiæ, & Regni noſtri Cancellarii, ſincerè nobis dilecti.

Idem Alexander Privilegia, Sandomiriæ confirmat.

Alexander Crac: 1502.

NOs Alexander, &c. Significamus: Quia licet in Sacris Majeſtatis noſtræ primitiis (dum videlicet Principes Spirituales & Seculares: cæteriq; Prælati, Barones, & Regnicolæ noſtri, felici aderant Coronationi noſtræ) unverſa Privilegia, per Divos olim Anteceſſores noſtros, videlicet Ludovicum aliàs Loyſz. Kazimirum antiquum, Wladislaum avum, & Wladislaum patruum, Kazimirum patrem, & Ioannem Albertum germanum, alioſq; Reges, Reginas, Principes, prædeceſſores noſtros, ejus regnicolis conceſſa, promiſerimus tenenda: tamen inſuper, ut ipſo pro eorum in Nos fide & benevolentia, perpendant, ſe proinde gratiarum noſtrarum affectus & in præſenti conſequutos, & omni tempore conſecuturos procul dubio: (qua quidem ſuâ benevolentiâ Nos, poſt mortem ejuſdem Domini Regis Ioannis Alberti, ad hoc inclytum Regnum Poloniæ, Jure electionis eorum liberæ. Deiq; optimi favente clementia, unanimiter elegerunt regnaturum) Decernimus ex ſpeciali virtute & munificentia noſtra, per literas noſtras perennes, promiſſionem illam noſtram efficere firmiorem. Vnde ſicut quibuslibet petentibus confirmationem Privilegiorum, ab ejuſdem olim Anteceſſoribus noſtris habitorum, hactenus dare conſuevimus: ſic totius Nobilitatis terræ noſtræ Sandomirień, Privilegia, inſcriptiones, libertates, conceſſiones, exemptiones, prærogativas, indulta, & alia munimenta: per quoſcunq;

Hoc Privilegium confirmatum à Sigiſm: Crac: 1537.

cunq; Reges, Reginas, & Principes Prædeceſſores noſtros: eiſdem ſimul, aut diviſim, prædictæq; Nobilitati terræ Sandomirienſis, data & conceſſa, dataſque & conceſſas, juſta & legitima, juſtaſq; & legitimas: (quorum, quarumq; tenores, perinde eſſe, & valere volumus: ac ſi idem noſtris de verbo ad verbum, inſerta inſertæq; eſſent) in omnibus eorum earumq; tenoribus, paſſibus, capitulis, conditionibus, clauſulis, & articulis, duximus ex gratia ſpeciali, virtute & munificentia noſtra Regia, confirmanda, approbanda, & roboranda, confirmandaſq; & roborandas, & approbandas: prout confirmamus, approbamus, & roboramus: decernentes ea, & eas, perpetui roboris vim habituras, tenore præſentium mediante, in ævum.

Sigiſmundus Rex, omnium Iura confirmat.

Sigiſm. Cracoviæ 1507.

Cùm rebus, tempora vetuſtatem afferant: quæ numerô annorum admirabiliores, & ſanctiores habentur: eas, ne ulla unquam obſcurare poſſit oblivio & præſertim, quæ à Regibus & Principibus ad communem ſubditorum utilitatem fiunt: par & æquum eſt, ut literarum monumentis, ſempiternæ memoriæ mandentur: quarum adjumentô ab interitu vindicentur, & immortales fiant: Proinde Nos Sigiſmundus Rex Poloniæ, &c. Notum facimus univerſis & ſingulis præſentibus & futuris: à quorum cognitione, præſentium literarum ſeries non erit aliena: Quòd licèt antè paucis diebus (cùm omnium Prælatorum & Procerum Regni, imò veriùs totius Senatus, Nobilitatis & Populi conſenſu, Diadema capiti noſtro imponeretur) Iurejurando de more ſanxerimus, omnia Iura, omnia Privilegia, omnes deniq; libertates, & immunitates Regni, ſive omnibus in genere, ſive ſingulis in ſpecie, per Reges, Principes & Duces, qui Nos præceſſerunt, ac Regno, tanquam Monarchæ ſive Tetrarchæ præfuerunt, in quacunq; legitima cauſa, data & donata, ſive donatas & datas, rata & firma eſſe debere: pro majore tamen hujuſce rei firmitudine ac robore: ut in futurum, teſtimonium extet, Nos non ſolùm boni Principis officiô functos: ſed debito noſtro, non minùs liberaliter, quàm libenter ſatisfeciſſe: poſtquam voti compotes, eorum communi conſenſu, ſingulariq; erga nos pietate, facti ſumus (quod bonum & fauſtum, felixque ſit Nobis, & Regno noſtro: ut demum hunc ipſorum conſenſum, ad ultimum finem vitæ, nobis præferre liceat) votis & precibus eorundem Prælatorum, Baronum, & Procerum, imò veriùs totius Senatûs, & Nobilitatis, (cujus Nuntii, cum plena facultate, ex ſingulis Regni terris, ad conſultandum nobiſcum, de futuro ſtatu Regni, huc convenerant) annuentes: cum bona & matura deliberatione, omnia Iura, omnia Privilegia, omnia Statuta & Decreta, omnes deniq; donationes, libertates, & immunitates, & quaſcunq; venditionum, & donationum literas, & ſyngrapha, ſub quocunq; tenore verborum factas: omnium terrarum Regni noſtri in genere, omniumq; prædictarum ter-

rarum in ſpecie, omnis generis, omnis gradûs, utriuſq; ſexus hominum & incolarum: à *Regibus*, & *Reginis*, hæredibus, & Ducibus terrarum *Regni* Poloniæ, & præſertim Kazimiro Magno Ludovico aliàs Loyſz, Wladislao avo, Wladislao patruo, Kazimiro Patre, Ioanne Alberto, & Alexandro, germanis. *Regibus* Poloniæ, prædeceſſoribus noſtris juſtè & legitimè data & donata, dataſq; & donatas: (quorum & quarum tenores, tanti eſſe volumus: ac ſi in præſentibus literis expreſsè deſcriberentur) in omnibus ipſorum, & ipſarum punctis, articulis, ſententiis, clauſulis, & conſuetudinibus, roboranda, confirmanda, & ratificanda, roborandaſque, confirmandas, ratificandaſq; duximus, & decrevimus: ac roboramus, confirmamus, ratificamus, & præſentibus literis approbamus: illa & illas, perpetuas, & indubitatas, inviolabiles, firmas & validas, in ſempiternum futuras.

Ad idem, ex eodem Privilegio.

Ibidem. ADjicientes, Iuramenti circa Coronationem per Nos præſtiti, & facti, auctoritate: Omnia ſupradicta, omnibus conſuetudinibus, deſcriptionibus, punctis, articulis, conditionibus, clauſulis, & ſententiis, firmiter & inviolabiliter tenere, & ſervare: teneriq; & haberi, & ſervari facere, temporibus per ſingula duraturis. Quòdſi aliquid contra libertates, Privilegia, Iura, & immunitates prædictas Regni fecerimus, derogando vel abrogando, in toto vel in parte, alicui præmiſſorum: id totum irritum, & inane, ac nullius roboris, nulliuſq; momenti, eſſe volumus.

Sigiſmundus Auguſtus, jam Regno inauguratus, de ſui electione, Iuriumq; confirmatione, ita ſcribit.

Sigiſ. Aug. Patr. 1550 IN Nomine Domini, Amen: Ad perpetuam rei memoriam. Quandoquidem incerta eſt, neq; durabilis memoria humana: conſueverunt prudentes homines ſcripturæ commendare id, quod in æterna memoria poſteritatis haberi volunt: Proinde Nos Sigiſmundus Auguſtus, Dei gratia Rex Poloniæ, &c. Significamus præſentibus literis, univerſis, quorum intereſt, præſentibus & futuris: Quia cum ante viginti annos, vivente adhuc piæ memoriæ Sereniſſimo Rege Sigiſmundo, Parente noſtro, unanimi conſenſu Conſiliariorum noſtrorum, tam Spiritualis quàm Secularis ſtatûs: & totius Nobilitatis, aliorumq; ſtatuum Regni, ad Regnum Poloniæ electi, & coronati fuimus: ubi omnes Conſiliarii Regni, ordineſq; alii, Iuramentum debitæ fidei, necnon ſubjectionis ac obedientiæ, nobis fecerunt: nihilominus, quòd ea præſtare nobis non tenebantur, quamdiu Sereniſſimus Parens noſter viveret: (penes quem integra autoritas, & ſuperioritas Regia durare debuit: prout & ad finem illius vitæ duravit integra) & quia ætas noſtra tum non permittebat, ut debitum Iusjurandum, ſecundùm antiquam conſuetudinem Majorum noſtro-

noſtrorum Regni Poloniæ, facere poſſemus: obligaverat ſe eo nomine Sereniſſimus Rex: Parens noſter, ut cùm ad ætatem noſtram perveniremus, Iusjurandum debitum faceremus, eoq; nos obligaremus. Omnia Iura, Privilegia, libertates, literas, & immunitates, juſtas & legitimas, ipſius Regni noſtri Spiritualibus, Secularibus, & quibuſcunq; ordinibus hominum, nullis exceptis, à prædeceſſoribus noſtris Regibus & Principibus Poloniæ, nominatim verò à piæ memoriæ Regibus, Kazimiro Magno, Ludovico, Wladislao proavo, Wladislao, antiquo patruo, Kazimiro avo, Ioanne Alberto, & Alexandro, patruis, & Sereniſſimo Rege Sigiſmundo Parente noſtro, datas, in omnibus firmiter tenere, ſervare, & tueri: & hoc, quodcunq; illegitimè ab hoc Regno alienatum vel ademptum eſſet, juxta facultatem noſtram recuperaremus, & adunitatem Regni adjungeremus: in nullo diminuendo fines Regni Poloniæ, ſed potiùs augendo tantùm quantùm poterimus, prout jam huic ipſi obligationi ſatisfecimus: quando ſeptimò annò poſt Coronationem noſtri, more ſolitò, in Eccleſia Iusjurandum præſtitimus. Poſt quod quidem Iusjurandum noſtrum, obligavimus nos literis noſtris, omnibus ſubditis noſtris datis: Quia cùm Dominus Deus ex hac luce, memoratum Sereniſſimum Regem Parentem noſtrum ſuſtulerit, non priùs ſubditi noſtri deberent nobis obedientiam: quouſq; in omnibus, in genere, omnes literas, & Privilegia, tam generales Regni, & Dominiorum ei annexorum, quàm privatarum perſonarum & locorum, omnes libertates, continentia, aliaſq; literas & immunitates, à ſupradictis prædeceſſoribus noſtris datas, & ab ipſo Sereniſſimo olim Rege Parente noſtro, quamdiu vixit, dandas, literis noſtris confirmaverimus: & illas, uti in ſe extant ſcriptæ, in debitam executionem, juxta facultatem noſtram reponeremus. Cum autem eò res pervenit: quoniam Dominus Deus Sereniſſimum ipſum Regem, Parentem noſtrum, ex hac luce ſuſtulit: & jam poſt hanc liberam electionem, & coronationem noſtri, gubernatio, ſuperioritas, & auctoritas Regni, nunc ſuper nos devoluta eſt: memores Iusjurandi per Nos præſtiti, & obligationis literalis: in noſmet datæ, Ediximus Conventum Regni: tam propter alias neceſſitates Regni: quàm imprimis propter hoc: ut illud ipſum re ipſa exequeremur ſubditis noſtris, quod illis verbô & literis noſtris promiſeramus. Proinde ex iſtis cauſis, omnibuſq; rebus benè apud Nos & cum maturâ deliberatione expenſis, poſtulationibus etiam omnium ordinum Regni, in hoc Conventu exiſtentium, permoti: Omnia Iura, Statuta, donationes, libertates, immunitates, conſuetudines, & omnes alias literas, & Privilegia, quocunq; tenore verborum conſcripta, tam generalia totius Regni, & dominiorum ei adhærentium, Spiritualia & Secularia, quàm ſpecialiter omnibus ſtatibus, & perſonis, & locis, generaliter & ſpecialiter, nullis exceptis: à Regibus, & Reginis, à Ducibus, Dominis, & Hæredibus, Regni Poloniæ, & terrarum ejus, nominatim verò à Regibus piæ me-

moriæ, Kazimiro Magno, Ludovico Loysz, Wladislao proavo, Wladislao, antiquo patruo, Kazimiro avo, Ioanne Alberto & Alexandro, Patruis, necnon Sereniſſimo Sigiſmundo Rege Parente noſtro, Anteceſſoribus noſtris, juſta & legitima, juſtèq; & legitimè datas & donatas, dataque & donata: (quæ quidem ejus valoris habere volumus: perinde ac ſi hìc, de verbo ad verbum inſerta fuiſſent) ita prout ipſa in ſe ſonant, nihil eis diminuendo vel detrahendo, renovare, confirmare, approbare, ratificare decrevimus: prout præſentibus literis noſtris renovamus, confirmamus, approbamus, & ratificamus: necnon firma, durabilia, certa, inviolata, & immutabilia habere volumus, temporibus perpetuis. Et pollicemur verbô noſtrô Regiô: & ſub onere Iusjurandi per nos præſtiti, obligamus nos: quia hæc omnia ſupradicta Iura, immunitates, libertates, donationes, Privilegia, & literas, per Anteceſſores noſtros piæ memoriæ, & nominatim per Sereniſſimum Regem Parentem noſtrum, legitimè & juſtè datas & exhibitas, data & exhibita, firmiter & inviolabiliter tenere, & juxta ea ſubditos noſtros omnium ordinum, tam generaliter omnes, quàm ſpecialiter ſingulos, unumquemq; conſervabimus: & omnibus tenere, & conſervare mandabimus, temporibus perpetuis, & id, quod illis contrarium fuerit, neq; ipſi faciemus: neq; aliis facere permittemus. Quòd ſi aliquando eveniret: ut vel per Nos, vel quempiam alium, iſtis ipſis Iuribus, Statutis, donationibus, Privilegiis, literis, immunitatibus, & libertatibus, aliquid ejuſmodi fieret contrarium: vel ſi illis derogare, eaſdemve per Noſmetipſos abrogare, aliqua re vellemus: extunc omne illud nihil firmitatis, neq; ponderis habere debet: ſed omne illud, vigore iſtius Conventûs, nihili & caſſum intelligi debet, prout & Nos hoc ipſum annihilamus, & caſſamus: & nihili eſſe invenimus præſentibus noſtris literis, temporibus perpetuis. Sed quia à non exiguô tempore, in multis rebus, contra hæc ipſa Iura, Privilegia, immunitates Regni, exceſſum & illis detritum eſt: poſtulantibus Nuntiis Nobilitatis, & conſiliô Conſiliariorum Regni noſtri ad hoc accedente, viſum eſt nobis neceſſarium, ut hoc ipſum, pro eo ac debemus, atq; obligati ſumus, hìc in iſto Conventu reformaremus: & ad priorem conditiònem, ſeu integritatem reſtitueremus, ac reduceremus: & in debitam executionem reponeremus.

CONSENSVS SVPER BONA REGALIA.

Sigiſm. Auguſtus Petric: 1550.

COnſenſus omnes, datos juxta Statutum, in robore conſervamus: qui quidem Iuri communi non eſſent contrarii.

CONSTITVTIO.

Conſtitutiones, ſeu Inſcriptiones, tam Regni, quàm Magni Ducatûs Litvaniæ, publicam honeſtatem lædentes, ne fiant: aut factæ non teneantur.

Si

SI quæ aliæ ſingulares inſcriptiones, inter nos, Prælatos, & Barones Magni Ducatûs Litvaniæ, ac Prælatos Regni Poloniæ, eſſent: quæ communem utriuſq; honeſtatem læderent: quas anteceſſores noſtri non tenuerunt: tales nos quoq; non recipimus, neq; tenebimus. *In Privileg. Prælatorum Litvaniæ.*

Conſtitutiones non alibi, quam in Conventione decernantur.

ITem pollicemur: quòd nullas novas Conſtitutiones faciemus, abſque Conventione communi, in ſingulis terris inſtituenda. *Kazimirus tertius an Nieſſowa 1454. Fol. 95.*

Rex Conſtitutiones: contra Ius non faciet, abſq; publico conſenſu.

QVoniam Iura communia, & Conſtitutiones publicæ, non unum, ſed communem populum afficiunt: itaq; in hac Radomienſi Conventione, cum univerſis Regni noſtri Prælatis, Conſiliariis, Baronibus & Nuntiis terrarum, æquum & rationabile cenſuimus: ac etiam Statuimus, ut deinceps futuris perpetuis temporibus, nihil novi conſtitui debeat, per Nos, & ſucceſſores noſtros, ſine communi Conſiliariorum & Nuntiorum terreſtrium conſenſu: quod fieret in præjudicium, gravamenq; Reipublicæ, & damnum, atq; incommodum cujuslibet privatum: ad innovationemq; Iuris communis, & publicæ libertatis. *Alexander in Radom. 1505 Fol: 115.*

De eiſdem novis Conſtitutionibus, ſolius Regis authoritate non faciendis.

CONſtitutiones novas, non niſi Conſiliariorum, & Nuntiorum terrarum conſenſu, ſecundùm Statutum Alexandri Regis, faciemus. *Sigiſ. Petric 1538.*

Idem Rex, de eodem.

MAnifeſtum facimus tenore præſentium, quibus expedit, univerſis, præſentibus & futuris &c. Quia in proximis Comitiis ſuperioris anni, terrarum Nuntiis quædam conceſſimus: quæ magnô ſtudiô à nobis impetrata cupiebant. Quoniam uſu cognoverunt, ea non eſſe æquè utilia, atque prima fronte eſſe videbantur: abrogari quædam, alia corrigi: nonnulla verò per Nos clariùs explicari, pleraq; nova etiam addi petebant. Nos itaq; precibus eorum annuendo, de Noſtra, Senatorumque, & Conſiliariorum noſtrorum ſententia, Articulos hos deſcribi fecimus: atque autoritate noſtra Regia confirmavimus, eos inviolatè obſervari volentes. *Sigiſ. Cruc. 1539.*

Idem Rex, de eodem.

NOs Sigiſmundus ſignificamus: quòd cùm in præſentibus Comitiis, reviſæ eſſent per Nos Conſtitutiones, in proximis ſuperioribus Comitiis, in hac ipſa urbe noſtra factæ, reductum fuit nobis in memoriam, quòd in ea Conſtitutione, quædam oblivione, ſeu imprudentiâ fu- *Sigiſ. Cruc. 1540.*

erunt omissa: quæ ante biennium, in Comitiis Petricovien: statuta erant, qua de re, cùm ordine singulos Regni nostri Senatores, & Consiliarios rogassemus: ita esse, una voce omnes & singuli responderunt. Itaq; de consilio eorum & consensu primùm, deinde Nuntiorum terrestrium, eam Constitutionem, ita, ut fuit annô superiori præscripta, scribi fecimus: deinde ea ipsa adscribi jussimus, quæ oblivione prætermissa Senatores nostri affirmârunt: in eum, qui sequitur, modum.

Constitutiones latæ vel ferendæ, futura respiciant, non præterita.

Kazimirus 1368. Fol. 8. Cùm omnes Constitutiones & Statuta legem imponant rebus & negotiis præsentibus, & futuris, & non præteritis: Volumus, ut omnes nostræ Constitutiones, nunc in Colloquio generali in Wislica editæ, non respiciant præterita: sed tantummodo præsentia, & futura.

Præterea Constitutiones novæ neminem onerabunt, donec publicentur.

Alexander 1505. Fol. 115. NE per ignoratam Constitutionem novam, quispiam colludi videatur: dum quicquam fieret contra Constitutionem, quæ ad cognitionem non esset deducta communem: idcirco in Constitutionibus nostris planè procedere cupientes, Decernimus: Quòd nullus obligatus erit, ad novam Constitutionem servandam: nisi ipsa primùm per proclamationem, in Regno publicetur.

Alioquin vanæ sunt Leges, nisi innotescant, publicentur, ac observentur.

Sigismundus Crac. 1507. Fol. 1. Cùm vana sit Lex, nisi observetur: observari verò nequit, nisi innotescat: omnia instituta nostra in unum colligi, & ad omnem deduci notitiam, imprimi & publicari mandavimus.

CONSVETVDO.

Consuetudines terræ Cracovienſis pro Iure sint.

In Consuet. Terræ Crac: Alexander 1505. Fol. 120. QVamvis Nos Alexander Rex præscripserimus superiùs omnes passus, ac Privilegia justitiæ communis, per olim prædecessores nostros Duces, atq; tandem Reges Poloniæ, ad justitiam communiter ministrandam, regnicolis in isto inclyto Regno nostro concessa, sub tempore: quibus cum Iudices terrarū justitiam, & negotia judiciaria, absolvere, dirigereq; consueverunt: tamen quia ultra hæc, quælibet terrarum suas speciales habere consuevit consuetudines: idcirco terræ Cracovienſis eas, quæ in ipsa approbatæ sunt, præsentium communi Iuris Terrestris *Regni* nostri corpori ascripsimus: easq; approbavimus: & pro Iure perpetuo tenendas decrevimus: ascribimusq;, approbamus, & decernimus præsentium per tenorem.

§ Quæ

§ Quæ quidem Consuetudines, huic Statutorum libro, suis locis sunt accommodatæ.

Consuetudines Iuris teneantur.

PVncta suprascripta Nos Alexander, Dei gratia Rex, ex consuetudinibus, tam Terrestris quàm Castrensis Iudiciorum terræ Cracovienſis, collegimus: quæ Iuri corporis ascripta, decernimus, in terra Cracovienſi, pro plebiscito privato terræ ejusdem tenendo perpetua. Quod decretum nostrum etiam universis aliis terris, præsentium tenore innotescimus, consultivè hortantes? ut pro justitiæ cultu conservationeque, aut istas approbent: aut instar istarum suas scribant, in papyri literis: quam in numero 12. foliorum istô locô relinquimus: & cuilibet terrarum eadem folia damus, sic tamen: ut cùm reliquæ terræ suas conscribent consuetudines, primùm eas nobis vel successoribus nostris offerant: per Nos in stylum congruentem redigendas. Quas tandem in stylum redactas, Nos vel successores nostri, ad libros Statutorum præsentium, in terra ipsa, de qua consuetudines nobis porrectæ essent, existentium, in duodecim foliis prædictis fideliter scribendas restituturi sumus: successoresq; nostri restituent, per appositum Majestatis Regiæ decretum, emendatas, moderatas & approbatas. *Alexan. ibid Fol: 124*

§ Consvetudines terrarum omnium inter se conferendæ: Vide in Titulo STATUTA.

CONTVMACIA.

Pœna duorum boum abrogatur.

QVia nusquam descriptum est in Statuto: quo pacto pœna Contumaciæ, super partibus citatis exigi debeat: (nam tantummodo in Statuto Magni Kazimiri, de receptione & pignoratione duorum boum tractatur, cui Statuto, per abusum tam longi temporis, est abrogatum: propterea q; nullum robur, & firmitatem habere dignoscitur) ideo Sacra M. Regia decernere dignata est: Quia præfatæ pœnæ, à condemnatione in Contumacia, à nulla parte citata, in nullis Iudiciis, tam Regalibus, quàm Terrestribus, etiam & Castren, per Iudicium, neq; per partem actoream, neq; pecuniis, neq; pignorationibus exigi, nec quovis modo recipi debebunt, nunc & in posterum, decreto Iudicii mediante. *Sigism: Cracovia 1537.*

De eo, qui super hæreditaria quæstione citatus, in primo, secundo termino, contumaciter se absentaverit.

LIcèt in pluribus casibus celeritas commendetur: tamen eadem celeritas, in Iudiciis & causis expediendis, rationabiliter quandoque non est observanda: sed potiùs amplianda, & dilatanda: ex eo, quòd Iudicantem cuncta oportet rimari: ideoq; Statuimus: Quòd si aliquis, su- *Kazimirus Magnus Fol: 16.*

per capitali hæreditaria quæstione, primò, secundò, & tertiò citatus, non comparuerit: à Iudicio se contumaciter, in terminô sibi assignatô absentaverit: tunc ob Contumaciam ejusdem citati, actor in terminô tertiô & peremptoriô, per Iudicem admittatur, sententia definitiva mediante, in veram ejusdem hæreditatis possessionem: & ab omni Iure ejusdem hæreditatis, & ipsius qualibet venditione, per Iudicis sententiam reus decernatur, & pronuntietur cecidisse.

Actor condemnans reum in Contumacia, duos Grossos solvat.

Sigis. Petr: 1523 Fol. 38 ITem Volumus: ut quilibet Actor, condemnando citatum absentem in Contumacia, solvat duntaxat duos Grossos, quorum unus cedet Notario: & alter, Iudicio præsidenti.

Forma condemnationis, in pœna contumaciæ.

NObilis A. B. Actor, Nobilem C. D. citatum, per Ministerialem juridicè clamatum, in pœna Contumaciæ, super citationem suam E. F. occasione G. H. valoris I. K. latiùs canentem, condemnavit.

De Contumacia Actoris.

Kazim: Magnus Fol. 15 ACtor faciat & procuret, ad causam Reum citari. Reo itaque in termino comparente, Actore totaliter se absentante, Decernimus: ob Contumaciam Actoris, quæ est major quàm Rei, ipsum Reum, causam obtinuisse. Si autem Reus, parere in Terminô sibi assignatô non curaverit: Actore per se, vel suum nuntium comparente: Decernimus, quòd pro hujusmodi Contumacia, Reus duorum boum pœnâ mulctetur.

CONTRIBVTIO TAM SPIRITVALIVM, QUAM SECULARIUM.

Kazimirus tertius duos Grossos ex Laneis decernit.

Kazim. tertius 1504 Fol. 93. ITem pollicemur: quòd amodo non expetemus aliquas solutiones, aut contributiones Fertonum, aut sex Grossorum, à terrigenis, vel eorum hominibus: sed in solutione duorum Grossorum, de quolibet laneo, debemus esse contenti, juxta veterem consuetudinem.

Tributum non solvant, libertate gaudentes

Ioan: Alber: 1496 Fol: 104. ITem in exigendis cæteris exactionibus antiquis, aut pro tempore laudatis, volumus & Statuimus, Exactores adeò rationabiles atq; discretos esse: ut de hominibus, causa quacunq; præcedente, à censibus annuis libertatis, interim donec libertas non videbitur expirata esse, Exactiones ipsas laudatas, laudandasq; exigere non præsumant, neq; possint.

Agri,

Agri, horti, & scultetiæ desertæ, quomodo contributiones solvunt.

ITem Statuimus: ut agri, horti, & scultetiæ desertæ, à solvendis exactionibus impositis sint immunes: utq; de molendinis, secundùm antiquas taxas & quitantias, prædictæ Contributiones exigantur. Et qui propter aliquem casum, libertate sive immunitate donati sunt: ab eisdem etiam exactionibus solvendis, (præter *Czopowe*) quamdiu ejusmodi immunitas durat, liberi permaneant. *Sigismundus Petricovia 1511. Fol. 17.*

Villæ & tabernæ Contributiones solvant, & molendina.

VIllæ, & tabernæ, quæ ex quadam negligentia seu conniventia Exactorum, & Capitaneorum, publicas Contributiones hactenus non solverunt, ad solutionem illarum nunc omninò compellantur, & similiter Molendina, quorum tertias mensuras Tenutarii bonorum nostrorum exemerunt, & illas à se emptas, seu in summis pecuniarum obligatas tenent, solvant contributionem, quæ *Szos* dicitur: sicut reliqua omnia molendina, in Regno nostro, seu illorum molendinatores eam solvere solent: contraria consuetudine, quæ corruptela potiùs dici debet, penitus non obstante. *Sigism. Petric: 1527 A 3*

Qualiter Contributiones exigendæ.

PErspicientes magnam Reipub. afferre jacturam, consuetudinem, in exigendis & comportandis Regni laudatis Contributionibus, in Regno nostro servari dudum solitam, Decernendum duximus: & Statuimus præsentibus: ut in exigendis & comportandis publicis Contributionibus, talis ubique modus & ordo servetur: ut coloni, qui ad publicam Contributionem solvendam obligantur, ad Dominum vel ad possessorem villæ, quam incolunt, ordinis & conditionis cujuscunque, juxta Conventûs decretum, & Constitutionem factam, & in universalibus literis descriptam, comportare teneantur, quam vicissim perceptam, Domini seu possessores colonorum, vel quorumvis ad solvendam publicam Contributionem obligatorum, ad Exactores publicos in terris designatos, & constitutos, integrè, & secundum Conventûs ordinationem, per se vel Procuratores suos deferent: cum ea simul pecuniæ parte: quam illi ipsi Domini ex decreto Conventûs, in publicam Contributionem solvere debent. De qua re, tam Exactor illi Domino, vel Procuratori Domini pecuniam afferenti, quàm Dominus seu Procurator Exactori, pecuniam Contributionum publicarum capienti, mutuò literariam obsignatam & subscriptam recognitionem sibi dabunt. *Sigism. Cracovia 1537 B 2.*

Contributionum iniqui Exactores, vel negligentes, quomodo puniendi.

Sigiſ. Petr. 1511, Fol. 17

ITem volentes præcludere injuriarum occaſionem, quæ plerumq; ab Exactoribus, ſubditorum noſtrorum hominibus, in exigendis Contributionibus fiunt, Statuimus: Quòd deinceps ipſi Exactores, ſi quando ultra formam literarum univerſalium, in ſoluta taxatione quempiam gravarent: querelis eorundem hominum de talibus injuriis, coram illius terræ Epiſcopo, Palatino, vel Caſtellano reſpondere, & decretis eorum parere teneantur.

Si ſolvere Contributiones aliqui neglexerint: R. Majeſtati deferantur: ſi in propinquo fuerit, ſin verò in remotis partibus: Capitaneo.

Sigiſmundus Crac. 1527. A 3

EXactores publicarum Contributionum deferre tenebuntur Nobis, (ſi in loco propinquo fuerimus) vel (ſi in remotis ageremus) Capitaneo loci: omnes qui negligentes fuerint in ſolvendis ipſis Contributionibus: aut qui illas non ſolverint: aut integrè non extradiderint, & tales, cujuſcunq; ſtatus, ordinis, & præeminentiæ illi fuerint, Nos ſine omni ſpe veniæ, pœnis debitis puniemus. Et ſimili pœnæ, ſeu mulctæ, ſubjacebunt Capitanei: qui executionem non fecerint Mandatorum noſtrorum, & decretorum Conventualium.

Contributio à ſingulis Capitibus.

Sigiſm: Bydgoſt: 1520.

SIgiſmundus Dei gratia Rex Poloniæ, &c. Vniverſis &c. Quum hoc bellum, quod nobis in A. B. C. eſt, non modò non mitefcere, ſed magis ac magis fervere videatur: quodq; magis nos angit, dum hôc bellô inviti occupamur: mallemus hanc impenſam, & hæc arma, adverſus infideles convertere: cum quibus, in primis autem Tartaris, Chriſtiani Nominis perpetuis hoſtibus, in terris Ruſſiæ, nobis continuum, & planè hæreditarium bellum ſit: perneceſſarium fore putavimus, tantis malis & periculis, quibus Regnum & dominia noſtra, imò ferme tota Chriſtianitas objecta eſt, diligentiùs, quàm unquam aliàs conſulere, & providere. Statuimus igitur, in hoc Conventu generali Bydgoſtienſi, communi omnium Conſiliariorum noſtrorum, & Nuntiorum terreſtrium conſiliô & aſſenſu, Contributiones infraſcriptas: pro defenſione Reipubl. & nervo belli. Neque enim aliò convertenda erit hæc pecunia, quæ gratè pièq; conferetur: quàm pro defenſione Reipub. & tuendis finibus Chriſtianorum, ab incurſione infidelium: & liberatione captivorum, de poteſtate ferociſſimæ gentis Tartaricæ.

In primis D. Archiepiſcopus Gneſnenſis, Florenos trecentos.
Archiepiſcopus Leopolienſis, Florenos centum.
Epiſcopi omnes Poloniæ, per florenos centum quinquaginta.
Suffraganei, per flor. decem.
Epiſcopi terrarum Ruſſiæ, per flor. quinquaginta.
Gneſnenſes Prælati, de ſingulis Prælaturis, per flor. decem.

Prælati

Prælati Sandomirienſes, de ſingulis Prælaturis, per flor. ſex.
Abbates, & Præpoſiti Infulati, per groſſos quinquaginta.
Abbates baculati, per flor. viginti quinque.

Quilibet beneficiatus, de ſingulis beneficiis, quod quiſpiam habebit, in quibuſcunq; Eccleſiis Regni, & terrarum Ruſſiæ, ſuam taxam ſolvet, ſingulariter inferiùs explicatam.

CAnonici in Cathedralibus Polonicis, per flor. quinque.
Canonici in Collegiatis Majoribus, per flor. tres.
Canonici in Collegiatis Minoribus, per flor. duos.
Prælati in Collegiatis Minoribus, per flor. duos.
Prælati Ruſſiæ, per flor. duos.
Cancellarius Cracovienſis ratione officii, florenos octo:
Cancellarii Dominorum Epiſcoporum, & Officiales rurales, per florenos quatuor.
Præbendarii ſimplices, per floren. unum.
Manſionarii, Altariſtæ, Pſalteriſtæ, per flor. unum.
Item Lectores, Gratialiſtæ, & Sacerdotes non beneficiati, nec ſalariati, per groſſos ſex.
Officiales, & Vicarii, & Iudices in Spirituales, in Eccleſiis Ruſſiæ, per flor. decem.
Wladarii, qui decimas Dominorũ Epiſcoporum vendunt, per flor. tres.
Notarii Conſiſtoriorum, per floren. unum.
Vicarii *Ruſſiæ* Cathedralium, per groſſ. viginti.
Prælati Monaſteriorum, Monachorum & Monialium, per florenos duos.
Vicarii Canonicales, per florenum unum.
Omnes Religioſi Monachi, villas, domos, & cenſus habentes, & Moniales, per groſſos decem.
Doctores non beneficiati, per flor. unum.
Phyſici practicantes, per flor. duos.
Cauſidici Iuris Spiritualis, per flor. unum.
Magiſtri artium, per groſſ. octo.
Baccalaurei, per groſſos ſex.
Studentes communiter omnes, ex Regno noſtro duntaxat oriundi, per groſſos duos.
Servitores Magiſtrorum, Doctorum, Studentum, Baccalaureorum, in omnibus Burſis, præter extraneos. per groſſos duos.
Plebani Civitatum, per flor. ſex
Plebani oppidorum ditiores, per flor. tres.
Plebani villarum ditiores, per flor. duos.
Plebani pauperiores, per Marcam.
Vicarii Parochialium in civitatibus notabilioribus, per groſſos duodecim.
Rectores Scholarum, in Civitatibus muratis, per groſſ. duodecim.
Vicarii oppidorum parvorum, per groſſos ſex.
Vicarii villarum, & Kleſſi, per groſſ. quatuor.
Cantores Civitatum notabiliorum, per groſſ. decem.
Cantores oppidorum, per gr. octo.
Organiſtæ, per groſſ. ſex.
Campanatores, per groſſum unum.

Ordo Spiritualium Ruthenorum.

WLadici Ruthenici, per flor. decem.
Archimedritæ, per flor: tres.
Kryloſſanye, per flor. unum.
Servitores utriuſq; ſtatus, per groſſum unum.
Archipopones, aliàs Archipopi, per flor. unum.
Monachi, aliàs *Czerncy*, per flor. ſex.
Popadiæ, per groſſ. quatuor.
Pueri & uxores eorum, per groſſ. duos.

Dignitarii, & Officiales Seculares.

PAlatini generaliter omnes, per floren. quinquaginta.
Capitanei, in quibus Iudicia celebrantur, per flor. decem.
Vicecapitanei, ubi non ſunt Iudicia, per flor. unum.
Capitanei caſtrorum, Epiſcoporum & Dominorum, per flor. duos.
Mareſchalci, per flor. viginti.
Officiales Sigillorum Regiorum, per flor. viginti.
Theſaurarius Regni, flor. viginti.
Officiales non ſalariati, proventus non habentes, per flor. tres.

Eadem ratio ſit, de Officialibus Sereniſſimæ Reginæ.

PRæfectus Exercituum, floren. viginti.
Ratione Capitaneat. Kazimirien, floren. decem.
Vicecapitanei, ubi ſunt Iudicia, per flor. quatuor.
Capitanei Caſtrorum Regalium, non Iudicialium, per flor. quinq;.
Factores prædiorum, per groſſos duodecim.
Caſtellani Majoris Poloniæ, per flor. tres.
Caſtellani reliqui omnes, per flor. decem.
Caſtellani nullos proventus habentes, per flor. quinque.
Officiales curiæ, ſalariati, per flor. decem.
Magnus Procurator Cracovien. per flor. viginti.
Curienſes noſtri, & Aulici, per floren. duos.
Cubicularii noſtri, in equis ſervientes, per flor. duos.
Cubicularii ſine equis ſervientes, per groſſ. quindecim
Familia Nobilis Conſiliariorum, Officialium, & Curialium, in continuo ſervitio Curiæ ſervientes, per groſſ. octo.
Familia eorundem ignobilis, per groſſ. duos,
Burgrabii Cracovien. per floren. decem.
Burgrabii Caſtrorum, Iudicio Præſidentes, per flor. duos.
Tribuni terrarum, ſeu Caſtrorum, per floren. decem.
Officiales omnes terreſtres, & diſtrictuum, proventibus ſuis gaudentes, per flor. quinque.
Iudices terreſtres, per flor. ſex.
Subjudices terreſtres, per flo. tres.
Notarii terreſtres, per flo. decem.
Camerarii Succamerariorum terreſtrium, per flor: unum.
Iudices Caſtrenſes, per flor. duos.
Iudex Succamerarii Cracovienſis, per flor duos.
Procuratores pecuniarii, Secularium cauſarum, per flor. tres. & ſi quis ſe talem eſſe negaverit: Iuramentô confirmet.

Exacto-

Exactores terreſtres, modernis exceptis, per flor. quinque:
Notarii eorum, per flor. unum.
Officiales terreſtres & diſtrictuum, qui nullos habent proventus, per florenos tres.
Burgrabii Caſtrorum ignobiles, tanquam factores, per flo. unum.
Notarii Caſtrenſes, per floren: ½.
Holomkowie, & ſervi Caſtrorum, per groſſos duos.

Officia Salinarum.

ZVpparii, per flor. triginta.
Vicezupparii, per flor decem
Teloneator in Capitaneatibus, & teloniis noſtris Regalibus, per floren. decem.
Teloneatores, & particularium teloniorum exactores, per fl. duos.
Officiales perpetui in Zuppis, per floren. quinque.
Officiales temporales, per florenos quatuor.
Warkmeiſter, flor. quindecim.
Barikrech, & qui dicunt & habent Ius perpetuum in montibus, per floren. quinque,
Vxores & pueri, per groſſ. duos.
Warzychowie, per flor. duos.
Gwarkones, per groſſ. duos.
Vxores & pueri, per groſſ. unum.
Menſarii aliàs *Stolnicy*, per groſſ. quindecim.
Vxores & pueri per groſſ. octo.
Starzyſſe, & cæteri minuti Officiales, per groſſ. ſex.
Vxores & pueri, per groſſ. tres.
Laborantes communiter omnes, per groſſ. duos.
A qualibet feneſtra, aliàs *wyſćie*, hæreditarii, per flor. duos.
Vxores & pueri, per groſſ. octo.
A caldearibus, aliàs *panwie* ſalis Rutheni, per flor. octo. exceptis Regiis.

Officiales fodinarum plumbi.

SImiliter in *Ilkuſs* laboratores communes omnes, per groſſos duos.
Vxores & pueri, per groſſ. unum.
Gwarkones in montibus laborantes, per groſſ. duodecim.
Vxores & pueri, per groſſ. ſex.
Non habentes verò mineram, per groſſ. duos.
Vxores & pueri, per groſſ. unum.
Menſarii, aliàs *Stolnicy*, per groſſ. unum.
Similiter uxores & pueri, per groſſum unum.
Mineratores aliàs *Rudnicy*, per floren. unum.
Vxores & pueri, per groſſ. ſex.
Socii verò eorum, per groſſ. unum.
Similiter uxores eorum, per. groſſ. unum.
De molendinis ventilibus, & aquaticis, molendinatores ſolvent, per groſſ. tres.
Vxores & pueri, per groſſ. unum.
Lazurium fodientes, per flor. tres.
Vxores & pueri, per groſſ. quinq;.

Ordo univerſæ Nobilitatis.

TAm Spirituales, quàm Seculares Domini, & Nobiles, quicunque villas habent, quilibet à qualibet villa, dummodò non ſit tota deſerta, per flor. unum. non obſtantibus quibuſcunq; libertatibus. Nam hæc lex, in perſonas, & non in bona, conſtituta eſt.
Nobiles, bona habentes terreſtria, quotquot ſunt in domo, etiam

 indiviſi,

indivisi tenentur ſolvere de capite ſuo, per flor. octo.
Qui Kmethones habent, per Flor. octo.
Item viduæ Nobiles, & populi, qui non habent Kmethones, per gr. duodecim.
Populi autem, hæreditates, & Kmethones habentes, per flor. octo.
Advocati & Sculteti plebis, Kmethones & hæreditates non habentes, per groſſ. octo.
Vxores & pueri, per groſſ. unum.
Advocati & Sculteti plebis, Kmethones, hæreditates, aut tabernas, aut molendina habentes, per floren. octo.
Vxores & pueri, per groſſ. octo,
Viceadvocati, & rurales Wladarii, ita & Kmethones ſolvent, per groſſum unum.
Similiter ab uxore, & pueris: qui non habent aliquos proventus.

Conditio Kmethonum.

QVilibet à ſe, uxore, & puero, per groſſum unum.
Hortulani, quilibet à ſe, uxore, & pueris, per groſſ. tres.
Ráthaie, per groſſ. tres.
Vxores & pueri, per groſſ. unum.
Inquilini villarum, per groſſ. ſex.
Vxores & pueri, per groſſ. unum.
Demptis viduis, pauperibus, & viduis, per groſſ. ſex.
Mercenarii, diem laborando, per groſſ. tres.
Vxores, & pueri, per groſſ. unum.
Servitores Kmethonum, utriuſq; ſexus, per groſſ. unum.
Valachi, agros colentes, & ultra centum oves habentes, per groſſ. tres.
Vxores, & pueri, per groſſ. duos.
Valachi, agros non habentes, ſed oves habentes, per groſſ. unum.
Similiter uxores & pueri.
Kniáziowie Ruthenici, per groſſos quatuor.
Vxores, & pueri, per groſſ, duos.
Fliſownicy, & piſcatores, per groſſ. duos.
Vxores, & pueri per groſſ. unum.
Kmethones generaliter omnes, ſimiliter uxores, per groſſ. unum.

Conditio Civitatum Majorum.

COnſules Cracovień, per flor. quinque.
Conſules Poſnanień, per florenos quatuor.
Conſules Leopoli, per flo: quatuor.
Iuris ſupremi Advocati, per floren. quinque.
Scabini ejuſdem Iuris, per florenos quatuor.
Advocati Civitatum, per flor. duos.
Vxores & pueri, tam Conſulum, quàm Advocatorum, & omnium ſuparſcriptorum, per medium ſummæ: quamq; cujuslibet maritus ſolverit.
Czechmagiſtri earundem Civitatum, per groſſ. duodecim.
Vxores, & pueri, per groſſ. ſex.
Mercatores ditiores, & Pannicidæ Cracovień, per floren. tres.
Vxores, & pueri, per groſſ. octo.
Pannicidæ Poſnanień: & Leopolień, per ſeſquialterum florenum.
Mercatores pauperes, per. fl. unum
Vxores & liberi, per groſſ. octo.
Inſtitores, per groſſ. decem.
Vxores & pueri, per groſſ. tres.
Artifices omnium artificiorum, per groſſos ſex.

Puer

Pueri & uxores, per groſſ. tres.
Socii artificum, per groſſ. duos.
Vxores & pueri, per groſſ. unum.
Diſcipuli, artes mechanicas diſcentes, per groſſum unum.
Cives communiter omnes, Iure civili gaudentes, per flo. quatuor.
Vxores, & pueri, per groſſ. viginti
Inquilini in circo, per groſſ. duos.
Vxores & pueri, per groſſ. unum.
Servitores utriuſq; ſexus, per groſſum unum.
Piſcium venditores, apud Cracoviam habentes piſcinam & domos, per flor. unum.
Vxores & liberi, per groſſ. octo
Molendinatores prædictarum Civitatum hæreditarii, per groſſos duodecim.
Vxores & pueri, per groſſ. octo.
Molendinatores temporales, per groſſ. quatuor.
Vxores & pueri, per groſſ. duos.
Tragarze, per groſſ. tres.
Vxores & pueri, per groſſ. unum.
Mixtarii, per groſſ. duos.
Armeni, per groſſ. duodecim.
Vxores & pueri, per groſſ. tres.

Civitates & Oppida ſecundi ordinis.

KAzimiria apud Cracoviam, Wieliczká, Bochnia, Sandecz, Biecz, Pilzno, Tarnow, Proſzowice, Skalmierz, Miechow, Lelow, Sandomiria, Lublin, Rádom, Opoczno, Wislica, magna Opatow, Ilza, Bodzecin

Majoris Poloniæ ejuſdem ordinis.

KAliſz, Koſcian, Wſchowa, Bydgoſzcza, Krysko, Płocko, Wieluń, Lęczyca, Gniezno, Lowicz, Wolborz, Vnieiow, Sniena, Bark, Słupcza, Rává, Sochaczow, Brzeziny, Piatek, Szamotuły, Grodzisko, Koło.

Civitases & oppida, ſecundi ordinis, terrarum Ruſſiæ.

PRzemysl, Kroſno, Sanok, Iaroſław, Przeworsko, Lanczuth, Rzeſzow, Strzyzow, Brzozow.

Supraſcriptarum omnium Civitatum & oppidorum, ſecundi ordinis.

COnſules Civitatum, à capite, per groſſ. quindecim.
Vxores, & liberi eorum, per groſſ. quatuor.
Advocati, Scabini, Notarii, per groſſ. quatuor.
Vxores, per groſſ duos.
Pueri verò, per groſſ. unum.
Item omnes mechanici, per groſſ. duos,
Vxores, & pueri, per groſſ. unum.
Socii mechanicorum per gr. unum.
Diſcipuli mechanicas artes diſcentes: per groſſ. ſex.
Mercatores, & vectores invehentes res pretioſas, videlicet lapides, gemmas, pannos ſericeos, & laneos, telam pretioſam & Colonienſem, & alia id genus, per floren. octo:
Vxores, & pueri, per gr. quatuor.
Mercatores pauperiores, qui ab his emere ſolent, per groſſ. octo
Vxores & liberi, per groſſ. unum.
Vectores & ducentes, per groſſos tres.
Ab uxoribus & pueris, per groſſ: unum.
Omnes generaliter Cives, domos,

& Ius Civile habentes, per groſ. quatuor.
Vxores & pueri, per groſſ. duos.
Inquilini per groſſ. duos.
Vxores & liberi, per groſſ. unum.
Servi mercenarii laboratores, per Groſſum unum.
Suburbani, & hortulani, & hæreditarii molendinatores, in civitatibus & oppidis prædictis, per groſſ. octo.
Vxores & pueri, per groſſ. unum.
Molendinatores manuales & temporales, earundem civitatum & oppidorum, per groſſ. quatuor.
Vxores, & pueri, per groſſ. unum.

Præterea ſunt nonnulla oppida, in Regno noſtro, & in terris Ruſſiæ, habentia fora annualia, & ſeptimanalia.

IN talibus oppidis, Conſules à capite ſolvant, per groſſ. octo.
Vxores eorum, per groſſ. duos.
Pueri verò, per groſſ. unum.
Item Advocati, Scabini, & Notarii, per groſſ. duos.
Vxores & pueri, per groſſ. unum.
Item mechanici generaliter omnes, per groſſ. unum.
Similiter uxores & pueri, per gro. unum.
Item artificum ſocii, ac eorum uxores, & pueri, per groſſ. unum
Mercatores omnes, per groſſos quatuor.
Pueri & uxores, per groſſ. duos.
Inquilini, uxores, & pueri, per groſſ. unum.
Item ſuburbani, hortulani, Iure civili gaudentes, cum uxoribus & pueris, per groſſ. unum.
Item Molendinatores talium oppidorum, perpetui, ſeu hæreditarii, per groſſ. quatuor.
Vxores & pueri, per groſſ. duos.

In oppidis non habentibus forum annuum, & ſeptimanalia.

CONſules, & generaliter omnes Officiales, per groſſ. duos.
Vxores verò, & pueri, & generaliter omnes homines, in hujuſmodi oppidis exiſtentes, per groſſ. duos.
Suburbani, & hortulani talium oppidorum, omnes in univerſum, per groſſ. unum.
Omnes Fiſtulatores, Citharædi, Tympaniſtæ, hoc quæſtu victum quærentes, de capite ſuo, per groſſ. ſex.
Vxores & pueri, per groſſ. unum.
Mulieres vagæ, in curiis Dominorum ubiq; manentes, per groſſ. ſex.
Item Iudæi generaliter omnes in Regno noſtro, 3000. florenos, per groſſos triginta computatos, ſolvent.
Tempus verò ſolutionis, Nos literis noſtris aſſignaturi ſumus.
Iudices Iudæorum, per flor. duos.
Notarii, per florenum unum.

Præterea exactio & Contributio Ducillorum, debet durare à Feſto Pentecoſtes proximè venturo, uſq; ad Conventum generalem proximum.

Vt autem hæc decreta & ordinationes, in exigendis hujuſmodi tributis factæ, debitæ executioni demandentur, Statuimus: ut in omnibus diſtri-

ctibus Palatinatuum, duo exactores fiant: unus Spiritualis, & alter Secularis: & Capitaneus, ſeu ejus vices gerens, cum eis, tanquam ſuperintendens. Qui quidem exactores, ſecundùm formulam & diſpoſitionem ſupraſcriptam, eas exactiones, mediô Iuramentô ad Sancta Dei corporaliter præſtitô, exigent. Quod Iuramentum ſecularis exactor, coram loci Capitaneo, aut ejus vices gerente: Spiritualis verò, coram Notario publico, & teſtibus fide dignis: inter quos tamen ſit loci Capitaneus, vel ejus vices gerens. Iurabunt autem in hæc verba: Ego N. juro: quia in ſupraſcriptis Contributionibus repetendis & exigendis, fidelis ero Clementiſſimo & Sereniſſimo Domino, D. Sigiſmundo Regi Poloniæ, ac Reipubl. quodq; volo & debeo, omni curâ, ſtudiô, integritate, & diligentia, exactiones villarum & Capitalium, juxta laudum & & formam Literarum univerſalium, in generali Conventione Bydgoſtien. decretas & conſtitutas, fideliter repetere & colligere: nulli hominum, cujuſcunq; ſtatus, ordinis, ſexus, & conditionis, ſive ob amorem, favorem, aut præmium: parcendo: primò & ante omnia de bonis Regiis, necnon Dominorum Spiritualium & Secularium: demùm de bonis univerſis Nobilitatis, de perſoniſque & capitibus Ordinum & Statuum: non obſtantibus quibuſcunque libertatibus, & exemptionibus, quacunque autoritate conceſſis. Et ſi aliquem hominum quippiam Reip. abſtrahere cognovero, alicujus libertatis & exemptionis prætextu, aut temerè: extunc talem, Majeſtati Regiæ, & Conſiliariis ejus, ac univerſæ Nobilitati pandere publicè volo & tenebor, necnon loci Capitaneo. Exactas verò pecunias in manus horum inferam fideliter: ſicut inferiùs conſtitutum eſt. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Crux. Sed ut infraſcriptis exactionibus, facilior & verior modus & ordo fiat: debent omnes Plebani, vel eorum Commendarii, in Civitatibus, oppidis, villis, ſingularum ſuarum Parochialium, per Capita & perſonas, nullum hominem excludendo, ſine mora fideliter conſcribere: & eadem Regiſtra, ante Feſtum Purificationis Mariæ proximum, exactoribus ſui diſtrictûs præſentare: & in manus dare, ſub Iuramento. Quòd ipſa Regiſtra, ab eo fideliter conſcripta ſunt. Vbi verò inter Plebanum, & Dominum villæ, ſeu Conſules Oppidorum, diſſenſio ſuper Regiſtra orta fuerit: extunc exactores diſtrictûs illius mittant, vel (ſi quomodo poſſunt) ipſi deſcendant ad locum, de quo eſſet differentia: ad cognoſcendam rei veritatem, qua cognita, id quod juſtum erit, exigatur. Cæterùm ſtatuimus: ut exactio & collectio omnium pecuniarum incipiat fieri, à proximô feſtô Purificationis Mariæ: & finiatur die Dominicô Oculi, proximè venturô, hôc modô: Quòd Domini Spirituales & Seculares Conſiliarii, infra duas primas hebdomadas, ipſam exactionem in toto diſſolvant: ſub pœna duplici, & centum Marcarum, & cæteri ſtatus & ordines, etiam infra alteras duas hebdomadas, id quod juſtum eſt, extradant: ſub pœna duplici, & quatuordecim Marc. Si quis contributiones ſupra

Exactorum Iuramenti forma,

Capita quomodo conſcribenda.

Pœnæ non ſolventium Contributionem.

ſcriptas extradere neglexerit: & die Dominicô Oculi extunc lapsô, duplicem exactionem ſolvere cogetur. In qua quidem duplici exactione, Capitaneus loci ejuſdem, in bona talis non ſolventis, ſe autoritate Noſtra intromittere, & eadem tandem tenere debebit: uſque ad totalem ſolutionem præfatæ duplicis Contributionis. Et ſi talis negligens ſive ſit Dominus, ſive inferioris ordinis, Capitaneo ſuo intromiſſionem in bona ſua dare noluerit: extunc ipsô factô, inferior pœnam 14. Marcarum, Dominus verò centum Marcarum pœnam ſuccumbet. Ratione quarum pœnarum, tamdiu Capitaneus bona talium tenebit: donec pœnæ duplicatæ, & ſimiliter pœnis ſupraſcriptis ſatisfaciet. Quæ pœnæ duplicatæ, & pœnæ quatuordecim Marc. ſive centum, repetitæ & exactæ, pro defenſione Regni, & neceſſitate Reipubl. convertantur. Spirituales verò, tales exactiones ſolvere contemnentes, aut negligentes, cenſuris Eccleſiaſticis, ad ſolvendum pœnam duplicem compellantur, quas ſi quiſpiam ultra tres menſes induratus ſuſtinuerit: hoſtis Patriæ eſſe cenſeatur, & ut talis puniatur. Hoc etiam ſpecialiter proviſum eſſe volumus: quòd exactores deſignati, ſi qui in Iure Terreſtri aut Caſtrenſi, aut quocunque alio Iudicio, actiones haberent: & ſi cauſas ſuas, intra tempus collectionis non attentaverint: vel diligentias neceſſarias & oportunas non fecerint: eâ prærogativâ gaudeant, qua gaudere ſolent ij, qui Reipubl. extra fines Regni noſtri ſerviunt. Hîc Exactores ſunt deſcripti: prætereaque civitates diſtrictuum primariæ, in quibus pecuniæ exigebantur. Collectis tandem omnibus contributionibus, pecuniam collatam debent Exactores portare, ad civitatem capitalem ſuæ terræ: videlicet ad diem Dominicam Iudica, proximè venturam: & tandem jam integrè & fideliter, in manus & poteſtatem Palatini, ſi præſens fuerit, ſin autem minus: extunc in manus Caſtellanorum, ibidemq; mox, coram ſupraſcriptis, de omnibus perceptis & collectis, juxta Regiſtra eis tradita, ſufficienter rationem facere, qua facta: de traditis & expoſitis, ab eodem Palatino, Caſtellanis, & Nobilibus accipere, qua accepta: eiſdem, Palatino, Caſtellanis, in recognitionem ſuam dare: ut eam Palatinus, cum Caſtellanis in conventu generali proximè futurô, coram Nobis, & Conſiliariis noſtris, Nuntiiſque terrarum, originaliter oſtendant & producant. His peractis, pecuniam omnem collectam, Palatinus, cum Caſtellanis, Nobilibus ſupraſcriptis, in Theſaurum Regni noſtri, fideliter per Notarium noſtrum, ad id ſpecialiter deputandum, inferri, ſine omni mora procurabunt. Vt autem præfatæ Contributiones, ex neceſſitate & bono Reipubl., inſtitutæ, integrè & fideliter, & ſine cujuſpiam hominis impedimento exigerent: Decrevimus, & præſentibus decernimus, omnium Conſiliariorum noſtrorum & Nuntiorum terreſtrium communi conſiliô & aſſenſu: Quòd nemo, cujuſcunque ſtatus, dignitatis, aut conditionis exiſtens, audeat exactores earundem Contributionum, aut illos qui judicabunt vel conſcribent, ſive

Exactores à Iudiciis liberi.

Modus inferendæ Cõtributionis in theſaurum Regni.

Exactores ſint ubique tuti.

ſive ſint Eccleſiaſtici, ſive Seculares, quovis modo, occultè vel manifeſtè pertubare: vel factô, ſaut conſiliô nocere illis velle: aut minas aliquas, & metum mortis, aut mutilationis membrorum interponere, ſub pœna confiſcationis bonorum, & bannitionis de Regno. Mandamus igitur ſingulis & univerſis ſupraſcriptis: ut præmiſſis omnibus, ullô modô contrariare non audeatis: ſed pecuniam citò & fideliter, in manus Exactorum portare curetis. Vos verò Capitanei, eos qui tardi & contumaces in ſolvendo erunt, & quos vobis ipſi exactores deferent, per pignorationes, & alias pœnas ſuperiùs expreſſas, ad ſolutionem ipſarum Contributionum compellatis: pœnaſque hujuſmodi diligenter exigatis ſub pœna centum Marcarum, contra negligentes Capitaneos decretâ, irremiſſibiliter perſolvendâ. Vos verò, qui ſummas non habetis inſcriptas, ſub punitione privationis Officii, beneficii, & pro gratia Noſtra, aliter non facturi. Actum & datum, in Conventione Bydgoſtienſi generali, feriâ ſecundâ ante Feſtum S. Barbaræ, proximâ: Anno Domini, Milleſimo quingenteſimo vigeſimo: Regni verò Noſtri, quartodecimo.

CORYLVS.

ITem ſi aliquis aliquem procuraverit in lite, pro corylo: aliàs *zalaskæ* pro perditione, ac pro lucro: ſive tres Marcas, ſive ſex Scotos proponet ad corylum: tunc provocatus ad corylum, arbitrium habebit eligendi, ut ſumat corylum: ſive pro tribus Marcis, ſive pro ſex Scotis.

Conſuetudo terræ Cracov. Fol. 123.

CORTESANI.

Corteſanus poteſt in termino cedere liti.

QVòd ſi aliquis contra diſpoſitionem Statutorum, aliquid Iure Corteſanico obtineret: proſcriptus ſeu bannitus ſit ipsô factô: & bona ipſius, juxta Statuta confiſcentur. Si verò metu pœnæ præfatæ cedit liti, Iuri, & cauſæ: nihilominus ad ſolutionem damnorum, & impenſarum, ei, contra quem Iure Corteſanico egit, teneatur & ſit aſtrictus. Damnum verò & expenſæ, Iuramentô petentis probabuntur.

Sigiſ. Petr. 1538.

Corteſani ſub pœna proſcriptionis, ad Sacerdotia redeant.

CÆterùm quia aliqui ex ſubditis noſtris, jam à multis annis Romæ agunt: & in Regno noſtro non pauca Sacerdotia, curam etiam animarum habentia poſſident: eaq; plurimùm negligunt: & alios hîc in Regno manentes, quieti & divinis obſequiis deditos, Citationibus ad Romanam Curiam evocant: litibus involvunt: & variè divexant: (quorum licentia & libido, non levem in animis ſubditorum noſtrorum perturbationem excitavit) ideo petitionibus Nuntiorum terrarum, & clamoribus aliorum ſubditorum noſtrorum permoti, & penè coacti, Statuimus: omnes hujuſmodi Corteſanos, ex Vrbe Romana, ad Regnum noſtrum, & ad Sacerdotia, quæ obtinent, revocandos eſſe. Et ubi revocati

Ibidem.

per Nos, infra præfinitum tempus non redierint: proscripti, & infames censeantur: neque illis deinceps reditus pateat ad Patriam.

Cortesani, secundùm Statutum Anni 1538 ad Sacerdotia sua revocantur, infra tempus semestre.

Sigis. Crat. 1540. AD petitionem frequentem subditorum nostrorum, querimoniis ipsorum pulsati: Quomodo nonnulli subditi Regni nostri, Ecclesiastici ordinis, in Curia Romana agentes, nedum ipsos fratres, filios, servitores eorum, sed etiam servitoribus nostris non parentes, pleriſq; molestiis & turbationibus, expensis & fatigis inanibus afficiunt: præter Ius & æquitatem illos molestando: idq; potissimùm fieri hac ratione: Quia Constitutiones Regni nostri, jam pridem contra illos editæ, ad executionem debitam non deducerentur. Et propterea petiissent à nobis iterum universi ordines Regni nostri: ut Constitutiones Conventûs Petricovienſis, Anni 1538, de revocandis ijdem Cortesanis, executioni debitæ demandaremus: (quod Nos justum, & æquum esse censemus: nollemusq; querelas subditorum nostrorum diutiùs sustinere: eosq; per insolentias Cortesanorum de cætero molestari: ipsosq; Cortesanos ad indignitatem nostram, & Nationis Polonæ ignominiam, in Curia Romana, hujusmodi malis artibus incumbere) De unanimi consilio & consensu Consiliariorum, & Nuntiorum terrarum *R*egni nostri, Decrevimus & Statuimus. Vt iisdem Cortesanis, subditis nostris, in Regno & dominiis nostris Sacerdotia obtinentibus, (qui subditis & servitoribus nostris temerè molestias inferunt: illosq; molestant: ad impensas, & sumptus inanes deducunt) Iura Regni nostri, Privilegia Sedis Apostolicæ, Nobis & Regno nostro concessa, per Nos jam revocentur: patentibus literis nostris, ad Ecclesias illorum mittendis, Vt infra tempus sex mensium, à tempore oblatarum in Ecclesiis literarum nostrarum computando, ad Regna & dominia nostra, Sacerdotiaq; sua redeant juxta Constitutionem Petricovienſem præfatam. Et nisi redierint, intra tempus prædictum, eadem Constitutio Petricovienſis contra illos extendatur, & exequatur, per locorum Capitaneos: quodque & Sacerdotia illorum distribuantur: & damna passis, ex illis satisfactio impendatur: juxta eam ipsam Constitutionem. Præterea de Regno banniantur: liceatq; nobis, & subditis nostris, ad illa Sacerdotia alios præsentare: Ordinarii verò, hujusmodi præsentatos instituere teneantur. Nihilominus tamen Nos, vel Capitanei nostri, juxta constitutionem Petricovienſem, fructus hujusmodi Sacerdotiorum, statim post lapsum Fatale, reditus apprehendant, & illos percipiant, de illisq; damna passis satisfaciant: & illos non dimittant, nisi alii, ad ea præsententur, & instituantur. Per hanc autem Constitutionem nostram, nolumus præcludere viam probis subditis nostris: qui causâ studii, vel negotiorum honestorum curandorum gratiâ, ad Curiam Romanam se contulerint, cùm in arbitrio nostro consistat, qui

qui revocandi illinc fuerint: juxta uniuscujusque conservationem.

§ Cortesani Iura patronatûs impetrantes, quâ pœnâ puniendi: Vide in Titulo, IUS PATRONATUS.

§ Conservantur in suo robore Constitutiones, contra Cortesanos plebeios, Vide in Titulo, PLEBEII.

CLERICUS.

Clericus bona terrestria tenens.

CVm Iure suo nullus debeat defraudari: & quia pleriq; Clerici nostri Regni, bona patrimonialia tenentes & habentes, de eisdem bonis, sub umbra Clericali viventes, Nobis & Regno nostro servitia debitè facienda, in expeditione subtrahere consueverunt: ideoq; Statuimus: Quòd iidem Clerici nostri Regni, cujuscunq; statûs existant, prædicta Patrimonialia bona tenentes, vel nobiscum ad quamlibet Expeditionem transire teneantur, juxta prædictorum bonorum facultates: vel eadem bona proximis suis fratribus laicis resignare, & dimittere, & eisdem renuntiare. Quòd si præfati Clerici neutrum facere curaverint: prædicta bona Decrevimus, & præsentium authoritate decernimus, perpetuis temporibus Regno nostro applicanda. Kazim: Magnus Vislicæ 1368. Fol: 10.

SIMILIS. Clerici verò, cujuscunq; gradûs, statûs, vel conditionis existant, bona patrimonialia possidentes, ad Expeditionem cum Domino Rege transeant, de eisdem: juxta eorum omnimodam facultatem. Kazim: Rem cum Bodzẽta Episcopo. Folio 57.

§ De Clericidio, vide in Titulo, SPIRITUALIS.

CRIMEN LÆSÆ MAIESTATIS, IN PERSONA REGIA COMMITTITUR.

CRimen læsæ Majestatis, ita postulantibus terrarum nostrorum Nuntiis, volumus nisi in persona nostra locum habere: & non in alios, quantumvis publicas personas gerentes, extendi. Si quod autem per quempiam facinus, vel homicidium, in his fuerit commissum: qui extra personam nostram, vel Senatoriâ, vel aliquâ publicâ dignitate, loco & Officio fungerentur: in eum secundùm Statutum animadverteretur, tempus verò recentis criminis, annus & sex septimanæ. Sigis. Crat: 1539.

CRIMINALES CAVSAS neq; Rex, neq; Capitaneus, in absentia Actoris judicet. Vide in Titulo, ACTOR, Fol. 7.

CRINILE.

§ De Crinili nuptarum: Vide in Titulo, DOS.

CVRIALIS CITATIO: Vide in Titulo, CITATIO, Fol. 72.

CVRRVS BELLICI.

UBi specialis mentio, in Privilegio, vel in Inscriptione, de Curru bellico, facta non est: Iuri Regio reservatus esse intelligitur. Sigis. Crat: 1510, Fol. 15

CVTES.

Sigiſ. Petri 1538. C 2

PRohibemus: ne Cerdones, quicunque in Regno noſtro ſunt, cutes elaboratas, hoc eſt, corium ab illis paratum, extra Regnum noſtrum, ad externas nationes mittant: aut externis evehendum vendere præſumant, ſub amiſſione ejuſdem corij, & pœna noſtra Regali.

Ne equi, vel cutes, extrà Regnum educantur.

Sigiſm. Auguſtus Petric: 1550.

EQui per Mercatores, vel Iudæos educi, neq; Cutes per Cerdones & vectores è Regno evehi, debent. Quicunq; verò evehere vellent: per Capitaneos detineri debent, qui hoc diligenrer cuſtodire debent: juxta decretum Statutorum antiquorum.

DAMNVM.

DAMNA, quæ MILITES Stipendiati inferunt: Vide in Titulo, STIPENDIATI.

§ De omnibus damnis, ratione belli illatis: Vide in Titulo, BELLUM. Foliis, 29. 30. 31. 32 33. 34. & 41.

DEBITOR SEV DEBITVM.

Debitori magnæ ſummæ, vel ſi quis extra Regnum ſit, decemocto Hebdomadæ ad ſolvendum indulgentur.

Kazimirus Viſlic: 1368 Fol: 37.

CVm gravi debito rixæ plerumq; ut pote ſexaginta, trecentarum, aut plurium Marcarum ſuſcitentur: quòd tantum debitum brevi provideri, ac inopitatè & ſubitò ſolvi non poteſt: ex gratia conferendum Statuimus: Vt decem & octo ſeptimanis terminus incluſivus, ad ſolvendum ſtatuatur, & obſervetur, pro primô terminô, ſex ſeptimanæ: pro ſecundô, aliæ ſex: pro tertiô ultimæ ſex ſeptimanæ. Hunc etiam terminum, dum quis extra terram ſit, & citatur pro terminô peremptoriô, eidem ad Iudicium præfigendum declaramus, aliàs Iudex ad definitivam procedat ſententiam: hujuſmodi contumaciâ citati non obſtante.

Si pro debitô, pro hæreditate, aut aliquibus rebus non inſcriptis in termino peremptorio ſe non ſiſtat, condemnatur.

Kazim. Magnus Vitlic. 1368. Fol: 16.

STatuimus: quòd ſi aliquis ſuper capitali, aut hæreditaria quæſtione, primò, ſecundò, & tertiò citatus, non comparuerit: à Iudicioq; ſe contumaciter, in terminô ſibi aſſignatô abſentaverit: tunc ob contumaciam ejuſdem citati, Actor in terminô tertiô peremptoriô, per Iudicem admittatur, ſententia definitiva mediante, in veram ejuſdem hæreditatis poſſeſſionem: & ab omni Iure ejuſdem hæreditatis, & ipſius qualibet venditatione, per Iudicis ſententiã, reus decernatur & pronuntietur cecidiſſe. Si autem quæſtio erit perſonalis: puta pro pecunia debita, aut quibuſcunque rebus obligatis: & primô, ſecundô, & tertiô terminô citatus contempſerit: vel in termino parere neglexerit, ſibi aſſignato: Decernimus, quòd tunc creditor quarumlibet rerum obligatarum ſibi poſt certum terminum, per ſententiam Iudicis præfixum, diſtrahendi, & alienandi, authoritate Iudicis, plenam habeat facultatem, Ita tamen: quòd ſi authoritate præmiſſa, res obligatæ; diſtractæ, & alienatæ, minoris valoris inveniantur & exiſtant, tempore alienationis: quàm fuerit pecunia obligata, ſeu credita: & ipſe creditor, pro ſumma pecuniæ, per ipſum ſimpliciter, & ſine aliqua cautione credita, vadium receperit, ſufficiat creditori vadium, qui nulli alteri, quàm ſibi ipſi, quòd ſimpliciter vadium receperit, imputabit. Sed ſi creditor conditionem apposuerit, circa res obligatas majoris vel minoris quantitatis: ſi pro minori pecunia res obligatas alienaverit: debitor per Iudicem decernatur, creditæ pecuniæ ſummam adimplere. Si verò pro majore pecuniæ ſumma, res obligatas alienaverit: reſiduum quicquid fuerit, ultra ſummam creditam, debitori creditor reſtituere teneatur.

Pro re qualibet, & debito inſcripto, bona dentur.

Conſuetudo terræ Cracc 1505 Fol: 124.

ITem cum aliquis citatus fuerit, pro quacunq; re, pro qua non inſcripſerat ſe: ipſe autem Citatus nolens admittere ſe damnificari, dat circa Iudicium intromiſſionem: tunc ſuſcipienda eſt intromiſſio, per Citantem. Sed ſi citatur aliquis pro re, vel pro debito inſcripto: ſic quòd inſcriptionem fecerat, Quia debuit ſolvere, non dando intromiſſionem: ſed principale, ſeu originale debitum ſoluturus eſſet: prout ſe inſcripſit: talis ſi citatur, in termino non ſatisfaciens, ſi intromiſſionem actori dari vellet: cui dandæ intromiſſioni, citatus in ſua inſcriptione abrenuntiavit: Decernendum eſt, quòd citatus non aliter, quàm cum duplici pœna trium Marcarum intromiſſionem dabit in re debita: uſque ad ſatisfactionem, & pro ipſa re principali, & pro pœnis faciendam, quam intromiſſionem Actor, cum triplicata trium Marcarum pæna, recipere teneatur.

§ Debita parentum major natu filius, ex communi patrimonio ſolvet. Vide in Titulo FRATER.

§ De debitore, ad præſcriptum diem debitum non ſolvente: Vide in Titulo, FIDEIUSSOR.

§ De debitis mercatorum: Vide in Titulo, MERCATOR.

DECRETVM.

Similia ſimili decreto decernantur.

Kazim. in Nieſzowa. 1454. Fol. 93

ET dum in aliqua cauſa, in Iudicium deducta, ſuper aliquo articulo audita Propoſitione, & Reſponſione, fuerit in Iudicio ſententiarum:

Volumus, quòd illa ſententia in librum Actorum inſcribatur, ut poſtea ſuper eodem articulo, vel ei ſimili, ſimilis ſententia proferatur.

DECIMÆ.

De raptu Decimæ prædialis.

Iaroslaus Archiepiſcopus Gneſnenſis, inter Regem Kazimirum & Bodzantam Epiſcopum Cracovienſem, de differentiis decimarum ita compoſuit.

Kazim. Rex Folio 53. IN Nomine Domini Amen. Cùm, Scriptura teſtante, omnis ætas ab adoleſcentia ſit promptior ad malum: & omnis creatura conſiſtat ſub vitio: naturaq; humana faciliùs labitur ad delicta, ſic etiam, quòd vitia imitetur. Quamvis enim, Domino diſponente, ſibi ſubditi debeant fore, pudici, modeſti, juſti, ac pacifici: effrenata tamen cupiditas, niſi juſtitiæ conatus ſubverteret, tunc profectò concordia & pax inter homines deperiret. Summum autem bonum in hac vita eſt, Iuſtitiam colere: & unicuiq; quod ſuum eſt tribuere, & propter hoc conditur Statutum, ſeu Conſtitutio: ut humana coerceatur audacia: & inter improbos, innocentia ſecuritate lætetur.

Ad idem Rex ſcribit.

Ibidem: KAzimirus, Dei gratiâ Rex Poloniæ, Significamus tenore præſentium: Quomodo cupientes, ut ſubditi noſtri, in Regno noſtro degentes, præſertim in Regno Poloniæ, & terris, cujuſcunq; ſtatûs & conditionis exiſtant, honeſtè vivant: alter alterum non lædat: & Ius unicuique tribuatur: præterea de conſilio Venerabilis in Chriſto Patris, & Domini Iaroslai, Sanctæ Gneſnenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi, necnon Prælatorum, Palatinorum, Baronum, & univerſorum Nobilium noſtrorum, de terra Poloniæ, ad perpetuam rei memoriam Statuta edidimus infraſcripta: Volentes ut ipſa Statuta, in prædicta terra Poloniæ, ab omnibus obſerventur, ſicut noſtram indignationem, & pœnas contentas in illis, volunt & cupiunt evitare. Requirit enim plerumq; audacia perverſorum: ut non ſimus ſola delictorum prohibitione contenti: ſed etiam pœnam delinquentibus imponamus.

Rex aſſidens arbitranti Archiepiſcopo Gneſnenſi, ſecum unà ſtatuit ſic: ut Archiepiſcopi ſequuntur decreta infraſcripta.

Ibidem. NOs itaq; Iaroslaus, divinâ providentiâ Sanctæ Gneſnenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, in Cracovienſi Diœceſi in officio viſitationis conſtitutus, univerſis ad quos præſentes pervenerint, volumus fore notum: Quòd per Sereniſſimum Principem, Dominum Kazimirum, Dei gratiâ Regem Poloniæ, & Patronum noſtrum ex una, & Dominum Bodzantam partibus

partibus ab altera, fratrem noſtrum chariſſimum Epiſcopum Cracovienſem, quædam dubitatio ſuper Decimis, & aliis articulis inferiùs contentis, fuiſſet hinc inde ſuborta: demum eædem partes, volentes ad calculum concordiæ, ſine ſcrupulo conſcientiæ pervenire: in nos voluntariè ex certa ſcientia, non per errorem, nec aliquo dolo, vel fraude circumventi, ſuper infraſcriptis articulis, pro ſe omnibuſq; ſucceſſoribus ſuis concorditer conſentientes, compromiſerunt tanquam in arbitrium compromiſſariorum, arbitratorem, & laudatorem, definitorem, ſeu amicabilem compoſitorem: dantes & concedentes nobis liberam, & omnimodam poteſtatem, & facultatem: ut poſſimus de plano, & ſine ſtrepitu, & figura Iudicii, ſuper dictis articulis pronuntiare, laudare, definire, arbitrari, & ordinare: etiam Iuris ordine conſervato, qualitercunque, prout nobis meliùs videbitur, expedire. Nos itaque Dei nomine invocato, & conſilio ſapientum communicato, nobiſcum etiam habita deliberatione ſufficienti, pro bono pacis, & utilitate Eccleſiæ Cracovienſis, ex vigore compromiſſi prædicti, laudamus atq; ordinamus, & definiendo arbitramur, inter Dominum Regem, & Epiſcopum, prædictos.

De raptu decimæ prædialis.

Iaroslaus Archiepiſc. Fol. 57. PRo raptu Decimæ prædialis alicujus Nobilis, vel pro cauſa qualicunque rationabili, talis raptor, vel malefactor, monitione præmiſſa, Excommunicetur. Si verò in Excõmunicatione per ſex menſes perſtiterit: extunc incolæ, in eadem villa degentes, qui tunc tenebantur decimare Excommunicentur cum raptore decimæ ejuſdem. Vbi autem uxor alicujus, viro abſente, Decimam rapuerit: per cenſuram Eccleſiaſticam hujuſmodi, ad ſatisfactionem condignam, contra ipſam procedatur. Si autem per ſex menſes, in eadem excommunicatione perſtiterit animô indurato: tunc Kmethones in eadem villa, ubi decima fuerit rapta, cum eadem Excommunicentur.

De tempore decimæ foriſandæ.

Iaroslaus Archiepiſcopus Gneſn: Fol. 54. ITem quicunq; Dominus villæ, in ipſa villa ſua Decimam emere voluerit, ante Feſtum Beati Iacobi, cum Domino Decimæ foriſare procuret. alioquin Dominus Decimæ, Decimam vendet liberè, impedimento ceſſante Domini villæ illius.

De Decimis ſeminatorum in hortis.

Fol. 54. VBicunque aratrô, in hortis vel in campis aratum fuerit: Decima pleniariè exſolvatur, exceptis rapis, papavere, caulibus, cepis, allio: & quæ his ſunt ſimilia, in hortis. Si quis ligoniſando plantaverit: Decima ab eo nullatenus recipiatur.

De Decima Canapi.

Folio 54. PRo Decima Canapi taliter Statuimus: Quòd quicunq; Kmetho arat cum integro aratro, quotcunq; boves habuerit, seu equos, det quatuor ligaturas Canapi parati: juxta consuetudinem terræ antiquam. Quicunq; cum medio: duas ligaturas dare teneatur, qui autem non arat, à decima Canapi debet esse liber, & solutus.

Super Decimis Bodzanta Episcopus Cracovienſis constituit.

Folio 55. CVm excitata erant odia multa & differentiæ, inter Spirituales & Seculares personas Dominos Diœcesis Cracovienſis, tandem compactata erant & congesta inter eos: in Conventione, per Regem Kazimirum Magnum: & in Synodo, per Bodzantam Episcopum Cracovień: pro uno tempore, Cracoviæ, quartâ Mensis Iunii, Annô 1369 habitis, quibus intererat Iaroslaus, Gnesnensis Archiepiscopus, Boguria dictus, tunc ex causa illius differentiæ, autoritate Metropoliticâ ac Primatiali visitans diœcesim Cracovienſem. Sunt autem compactata infrascripta, super Decimarum libertate, raptu, tempore decimandi, forisandi, per Dominos locorum eas emendi, ex aratro percipiendi, novalium locatione, earum progressione, &c. columbationibus, visitatione Archidiaconorum: super expeditione ad bellum Clericorum, Secularium ad Ius Spirituale citandorum, fabricâ Ecclesiæ, Decimâ Canapi: super Interdicto triduano: & simplici super cessatione à divinis: salariis tabellionum: item de Ecclesiis, in bonis Nobilium erigendis, ut infra sequitur

Folio 55. IN Nomine Domini Amen. Noverint universi, præsentium notitiam habituri: Quòd nos Bodzanta, Divinâ & Apostolicæ Sedis providentiâ, Episcopus Cracovienſis, attendentes: quòd terræ, Lublinensis, Ciechovienſis, & Lukovienſis, nostræ diœcesis, per insultum infidelium Tartarorum, & Litvanorum, peccatis exigentibus, sunt plurimùm desolatæ: Volentes itaque, ut ad possidendas easdem, populus Christianus ferventiùs invitetur: ad petitionem instantem Sereniſſimi Principis Domini nostri, Domini Kazimiri, Dei gratiâ Regis Poloniæ Illustris, de voluntate & consensu fratrum nostrorum Capituli Cracovienſis, omnibus & singulis, qui in terris prædictis se locaverint, aut hactenus sunt locati, in villis prædictis & possessionibus, in quibus ad mensam nostram Episcopalem Decimæ pertinebant, à solutione Decimæ, triginta annorum spaciô, à data præsentium, plenam & omnimodam concedimus libertatem, ita tamen: quòd si libertate durante Dominus præfatus Rex, aut procuratores sui, vel Nobiles quicunque, in Borris suis, sitis in terris prædictis, Decimam à suis colonis receperit: vel pro suis usibus usurpare voluerit: extunc libertate non obstante, Decima bonorum eorundem, ad mensam nostram, sine contradictione aliqua revertatur. In aliis autem

tem bonis, in quibus Decima recepta non fuerit, libertas permaneat: sicut concessa. Per hanc autem libertatem nostram, Monachis, & Clericis, etiam secularibus quibuscunq;, (qui in terris prædictis, ratione suorum Monasteriorum, ac aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum Decimas possiderent, aut possident) nullum volumus præjudicium generari: sed ipsorum quilibet, circa Ius suum permaneat: sicut priùs.

Decimæ, sicut dabantur ex antiquo, ita dandæ sunt, & de Decimis Scultetorum.

Folio 55. CÆterùm Mandamus annuente Domino nostro, Domino Rege prædicto: ut ubiq; per totam nostram diœcesim, in Civitatibus, castris, oppidis, villis, prædiis, & possessionibus, Decimæ manipulatim in campis hactenus tollebantur: ibi adhuc eodem modo eædem Decimæ, in posterùm tolli debent: contradictione cujuslibet non obstante. Verùm Sculteti, & Advocati Civitatum, oppidorum, seu villarum, in quibus Decimæ manipulatim persolvuntur, de quatuor mansis, Advocatiæ seu Scultetiæ suæ, quos coluerint propriis laboribus & expensis, de quolibet mansorum prædictorum, in Festo Beati Martini, in Mense Novembri, quatuor Scotos Grossorum Pragensium, pro Decima nobis solvent, sed si plures mansos colere voluerint, quàm quatuor: aut dictos quatuor vendiderint, locaverint, aut tradiderint ad colendum: de ipsis debent Decimam manipularem dare, in campo; prout alii incolæ, quorum vicini sunt, consueverunt solvere.

De tempore decimandi.

Folio 55. ET ne labores hominum, propter decimatorum desidiam retardentur, Decernimus: ut quilibet, in Octava Beati Iacobi, ad recolligendum suam Decimam, vel per se, vel per Nuntium idoneum sit paratus, aliàs depositis & relictis in campo, quinque manipulis, de qualibet quinquagena, frumenta hominum liberè conducantur.

De decimis Novalium.

Folio 56. IN Novalibus autem exortis, ultra Wislam, & citra metas Russiæ, Vngariæ, progressivè usque ad limites terræ, in quibus hucusque nobis manipulatim Decima non dabatur, libertate expleta: de quolibet manso parvo, seu magno, locato sive locando, Ferto Grossorum Pragensium, in Festo Sancti Martini prædicto, annis singulis, nobis pro Decima solvi debent prædiali. Advocati verò. & Sculteti Novalium prædictorum, de quatuor mansis Advocatiæ vel Scultetiæ, seu quos coluerint propriis laboribus, (ut præfertur) de quolibet mansorum prædictorum, tres Scotos Grossorum solvant illi Ecclesiæ, pro Decima, ubi audiunt, divina, ac percipiunt Ecclesiastica Sacramenta. Sed si plures, quàm quatuor coluerint: aut aliqui ipsorum aliquid aliis vendiderint, locavetint: seu tradiderint ad colendum: de quolibet ipsorum, unum Ferto-

nem Grossorum (sicut & rustici) in festo prænotato, nobis pro Decima solvant. Et insuper pro gratia, quam eis facimus in solutione Decimæ, (ut præfertur) iidem Sculteti vel Advocati, Fertones nostros decimales, in festo Beati Martini superiùs notato, sub Iuramento fidelitatis ipsorum rusticorum exigere: nobisque, vel nostro procuratori, infra quindecim dies, ante festa immediatè sequentia, præsentare fideliter & integraliter tenebuntur. Sed tamen, ubi in prædictis Novalibus: nobis antè Decima manipulatim solvebatur, adhuc futuris temporibus perpetuò solvi debet: nec ipsam, propter hoc, remittimus ad Fertones.

De *Decimis agrorum sterilium, circa Długiepole: & Czorstyn, versus Myslimice.*

Folio 56. VErùm quia in distinctionibus circa *Długiepolo: Czorstyn*, sub ea limitatione videlicet inter viam, quæ currit ad *Myslimice* versus *Twardosyno*, & inter *Slonagorá* versus montem, qui dicitur *Obzdow*, in *Dunaiec*, & ut intelleximus, quod sunt agri steriles: & frigora grandia diutiùs terram premunt: ita quòd pauco tempore anni, ibi laboratur: volentes gratiosiùs cum incolis districtuum prædictorum ordinare, Statuimus: quòd incolæ prædicti, qui jam ibi locati sunt, vel in posterùm locabuntur, in festo Beati Martini prædicti, pro decima prædiali, de manso quolibet tres Scotos Grossorum Pragensium, annis singulis, nobis persolvant, quam pecuniam Sculteti locorum prædictorum colligent: nobisq; vel procuratori nostro, præsentabunt, prout causa finali superiùs est expressum. Hanc autem solam limitationem, de solutione Fertonum pro Decima, in locis superiùs ita expressis, totaliter cum Domino Kazimiro Rege, prædicto ordinario permanere: quòd deinceps ad civitates, villas, oppida, prædia, possessiones quascunq; totius nostræ diœcesis, ubi manipulatim Decima solvitur ab antiquo, nunquam ullo tempore extendatur.

De Decimis, per Nobiles cultis, arendatis: aut à Kmethonibus habitis.

Folio 56. ITem Decrevimus: quòd ubicunq; aliquis Nobilis alteri Nobili sibi æquali, necessitate cogente, hæreditatem suam obligaverit: & creditor agros coluerit: in ea, Decimam frugum de agris suis solvat illi Ecclesiæ: cui is, qui obligatur, solvere consueverat ab antiquo. Sed si fortè labores suos, dictus creditor voluerit ampliare, repellendo Kmethones, & excolendo agros eorum: de agris Kmethonum, quos colit, decimam in *Gonitwa* solvere tenetur, etiam si Nobilis Kmethoni, vel alteri, similiter hæreditatem obligaverit: idem ignobilis Decimam illiberam, cui de Iure debuerit, de agris, quos colit, dare sit astrictus.

De

De Decimis, per progressum habendis.

DEmum Statuimus, & ordinavimus, voluntate & consensu Domini nostri Regis prædicti, ad hoc specialiter accedente: Quòd ubicunq; ab antiquis agris progressivè quispiam sylvas, rubeta, vel mericas extirpavit: ille Decimam percipiat de novalibus à modo: ad quem antiquorum agrorum Decima primitus pertinebat, verùm si à dextris, vel sinistris, ab antiquis agris aliqui incolæ fuerint collocati: extirpaverintque sylvas, rubeta, vel nemora, vel mericas: prædicti incolæ, de agris ipsorum totaliter extirpatis, Nobis & nostris successoribus Decimam solvere tenentur. Folio 56.

De raptoribus Decimarum, & bonorum Ecclesiæ: ac sustinentibus sententias Excommunicationum ultra annum.

INNomine Domini, Amen. Nos Kazimirus, Dei gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, &c. ad perpetuam rei memoriam, significamus per præsentes, &c. Et si Regni nostri subditis, clementiæ nostræ, & Regalis provisionis, in augendis commodis, ac Iuribus, immunitatibus, ac libertatibus conservandis, sinum extendimus: quanto magis Ecclesiis (unde laus & honor altissimo Iesu Christo, omnium creatori, salusq; provenit animarum) nec non personis & membris Ecclesiasticis, id facere & impendere convenit. Proinde felicis memoriæ Serenissimus Princeps, Dominus Wladislaus Rex Poloniæ, & progenitor noster charissimus, & prædecessor, iniquitati hominum occurrendo: & Ecclesiasticæ libertati, ejusq; membris & Personis Ecclesiasticis & Secularibus, paci & indemnitati sui regiminis consultiùs providendo: suas certas, & petentes literas Statuti fecit, & condidit, hujusmodi sub tenore. Folio 66.

INNomine Domini, Amen. Wladislaus Dei gratiâ Rex Poloniæ, nec non terrarum Cracov. Sandomir. Sirad. Cracoviæ, Lanciciæ, Litvaniæq; Princeps supremus, Pomeraniæ, Russiæq; Dominus & hæres: Ad perpetuam rei memoriam. Etsi subditorum nostrorum Secularium commodis, & benignitate Regia libenter intendimus: Iuraq; & libertates ipsorum, contra detestandam malignorum pravitatem, ditionis nostræ præsidio confovemus: multò magis tamen Regis pacifici, dominatoris universorum exemplo, (per quem Reges regnant, & Principes dominantur) Ecclesiam suam Sanctam, & personas Spirituales, & Seculares, sibi subjectas, in Iuribus, & libertatibus, ac Statutis, à Sanctis Patribus editis, conservare & tueri convenit: & ipsas, ab omni impressionum incursu præservare. Noscat igitur tam præsens ætas, quàm posteritas futurorum: Quòd quanquam Sacris Canonibus salubriter sancitum, & lege humana utiliter sit provisum: quòd quicunq; Princeps, seu Capitaneus, Baro, aut Nobilis, miles, aut vasallus, & generaliter quævis alia Folio 66.

persona Spiritualis aut Secularis, cujuscunque status, dignitatis, gradus & conditionis existet, decimas, (quas sibi Deus, in signum universalis dominii, pro alimento servientium, reddi censuit) necnon domos, tributa, castra, villas, munitiones, possessiones,& quævis bona, ac alias res mobiles & immobiles, ad Ecclesias & pia opera, ac Religiosa loca, personasque Ecclesiasticas spectantes, ac etiam pauperum hominum, in ipsorum bonis degentium, rapuerit, invaserit, occupaverit: aut illicitè detinuerit, exactionaverit, tallias seu collectas imposuerit: seu injustè impignoraverit : aut occasione pignoris aliquid extorserit: vel quovis quæsito colore gravaverit: vel rapi,invadi,occupari,detineri, impignorari, seu exactionari mandaverit, ordinaverit, seu ratum habuerit: aut raptorem, invasorem, occupatorem, & detentorem illicitum, cum re rapta, invasa, occupata, & detenta conservaverit, seu in defensionem susceperit: aut in bonis eisdem, notorium damnum, vel manifestam offensam intulerit: nisi omnia & singula, rapta, invasa, occupata, seu pignorata restituerit: necnon de injuriis, de damnis illatis, ac manifesta offensa, condignam emendam & satisfactionem impenderit: cum ipsorum complicibus, pœnis & censuris Ecclesiasticis debent subjacere. Tamen, quia nonnullarum personarum Secularium Regni nostri adeò irrepsit, & inolevit iniquitas: quòd pœnas & Censuras, in & contra tales, tam à Canone, quàm ab homine promulgatas, in sensum dati reprobum ultra annum, animo indurato, in contemptum Clavium Sanctæ Matris Ecclesiæ, animarum suarum periculum, Statutorumq; prædictorum vilipendium, & scandalum Christi fidelium plurimorum, sustinere non formidant: propter quorum culpam, divinæ ultionis gladius sæpius perimit innocentes: unde etiam pullulant hæreses, variaq; insurgunt animarum pericula: Nos igitur Wladislaus (qui intensis desideriis, prædecessorum nostrorum exemplo, tanquam tutor & conservator Iurium, libertatum & Privilegiorum in Ecclesia, personarumq; sibi subjectarum, propagationem libertatis Ecclesiasticæ ex debito affectamus) ad executionem debitam Statutorum hujusmodi procedere cupientes, (cùm frustra conderentur leges: nisi executioni debitæ demandarentur, ex quo etiam, quos timor Dei & mucro Spiritualis à malo non revocat, pœna temporalis debet coercere) præsenti nostro Regio Decreto, de consilio & unanimi Prælatorum & Baronum nostrorum uoto, scientia, & assensu, Volumus, Decernimus, & firmissimè & irrefragabiliter perpetuò observari pollicemur: Statuimusque, & ordinamus, per præsentes: Vt dum aliquis indigena Regni nostri, cujuscunq; status & conditionis existat, propter raptum Decimarum, vel aliarum rerum Ecclesiasticarum occupationem, aut ratione excessuum quorumcunq; sive etiam in contumaciam, de non parendo Iuri, & mandatis Sanctæ Ecclesiæ, sententia Excommunicationis justè fuerit innodatus: ipsamq;, ultra annum legalem, pertinaciter sustinuerit: nec curaverit, ad gremium sanctæ Ma-

tris

tris Ecclesiæ regere: & pro excessu, debitam emendam exhibere: Extunc Anno hujusmodi elapso, omnia bona excommunicati, mobilia & immobilia, quæ tunc possideret, debent recipi, per locorum Capitaneos quibus subjacent,& apprehendenda: tenenda & possidenda tamdiu, per Capitaneos hujusmodi: quousq; per eosdem excommunicatos, vel Capitaneos memoratos, de hujusmodi bonis, damna vel valore rei, ipsis læsis, vel injuriam passis, plenariè exolvantur. Quibus solutis, bona prælibata præfatis excommunicatis, non nisi absolutis Decernimus viceversa restituenda, per Capitaneos prænotato,. Mandamus igitur omnibus & singulis Regni nostri Capitaneis,& vices gerentibus eorundem: quatenus ad compescendam talium excommunicatorum pertinaciam, duritiam, & temeritatem, præmissa nostra saluberrima decreta executioni debitæ debeant demandari perpetuò & in ævum: toties quoties per Prælatos, aliasq; personas, tam Ecclesiasticas quàm Seculares, super hoc fuerint requisiti, & moniti. Quòd si præfati Capitanei, Tenutariiq; nostri, aut loca tenentes eorundem, pro tempore existentes, in executione præmissorum tardi fuerint, vel negligentes: extunc ipsos omnes, pro hujusmodi negligentia, per loci ordinarios, jaculo anathematis indulgemus feriendos, Harum, quibus Sigillum nostrum est appensum, testimonio literarum. Actum Cracoviæ, Sabbathô proximô ante festum Purificationis Mariæ Virginis, Anno Domini 1433. præsentibus Reverendissimis in Christo Patribus, Dominis, Sbigneo Cracovienſi, & Ioanne Chelmenſi, Episcopis: necnon Magnificis & Nobilibus, Nicolao de Michalow Castellano Cracovienſi: Petro de Pieszkowa skała, Palatino Cracovienſi: Ioanne Glowacz de Olesznica, Mareschalco Regni Poloniæ: & Ioanne de Koniecpole: ac aliis quàm pluribus militibus nostris dilectis. Datum per manus Venerabilis Stanislai de Opporow, Decretorum Doctoris, Decani Cracovienſis, Sedis Apostolicæ Protonotarii, Regni Poloniæ prædicti Vicecancellarii, nobis sincerè dilecti. Ad relationem Magnifici Ioannis de Koniecpole. Nos itaq; vestigia progenitoris, & prædecessoris nostri prælibati charissimi, toto mentis nostræ conatu, insequi & amplecti satagentes: literas hujusmodi, Statutum laudabile in se continentes, cum eorum toto tenore, de consensu & voluntate Prælatorum, Baronum, ac Consiliariorum Regni nostri approbamus, innovamus, ratificamus, & confirmamus, tenore præsentium mediante Quocirca omnibus & singulis, præsentibus & futuris, Regni nostri Capitaneis, Tenutariis, & eorum vicesgerentibus, Mandamus: Quatenus prædictas nostri progenitoris Statuti literas, in omnibus clausulis, punctis & conditionibus, teneant: & ad unguem, perpetuò & inviolabiliter observent: alioſq; in suis Capitaneatibus, tenutis, & districtibus, ipsis quomodolibet subjectos, suppositos cujuscunque præeminentiæ, gradus aut conditionis existant, arceant, & compellant: juxta vim & formam prædictarum progenitoris nostri literarum: quoties tam

per Prælatos, quàm alias personas Ecclesiasticas & Seculares: fuerint super hoc requisiti, & postulati. Quòd si ipsi Capitanei, & Tenutarii, seu ipsorum loca tenentes, pro tempore existentes, in præmissorum executione se remissos & negligentes, aut aliâs quomodocunq; difficiles reddiderint: extunc ipsos, & eorum quemlibet, propter hujusmodi incuriam, & contemptum Mandatorum nostrorum, excommunicationum sententiis, & censuris Ecclesiasticis, in eos per locorum ordinarios, eorumq; vicarios, & Officiales generales, fulminandos & promulgandos subdimus, & subiicimus: ac perpetuò subjacere decernimus, & obligamus tamdiu procedendum: quousq; ad ipsarum executionem literarum, curaverint procedere cum effectu: Harum, quibus Sigillum nostrum est appensum, testimonio literarum. Actum in Conventione generali Petricovienſi,, pro festo S. Adalberti celebrata feria quarta post festum Georgii proxima 26. Mensis Aprilis, Anno Domini 1458. præsentibus ibidem Reverendissimo Reverendisq; in Christo Patribus, Dominis, Ioanne Sanctæ Gnesnensis Ecclesiæ Archiepiscopo, & Primate: Thoma Cracovienſi, Wladislavienſi, & Regni Poloniæ Cancellario, ac Andrea Posnanienſi, Ecclesiarum Episcopis: Venerabiliq; Ioanne Lutkonis de Brzezie, Vtriusq; Iuris Doctore, Archidiacono Gnesnensi, & Vicecancellario Regni Poloniæ: necnon Magnificis, Venerabilibus, Nobilibus, & strenuis, Ioanne de Czyzow Castellano, Ioanne de Tęczyn Palatino Cracovienſi: Luca de Gorka Posnanienſi: Stanislao de Ostrorog Calissiensi, Derslao de Rythwiany Sandomirienſi, Petro de Opporow Lancicienſi, Nicolao de Koscielec Brzestenſi, Palatinis: Andrea Odrowaz de Sprowa Palatino & Capitaneo Leopolienſi: Ioanne de Pilca, Hincza de Rogow Siradienſi, & Regni Poloniæ Vicethesaurario, Petro de Tarnow Sandomirienſi, Petro de Striykow Wladislavienſi, Stanislao de Szydłowiec Zarnovienſi, Castellanis: Creslao Woyszyk de Woysza Cracovienſi, Sandivogio de Lazyzanice Sandomirienſi, Ioanne Kuropatwa de Lazuchow Lublinenſi, Succamerariis: Nicolao de Brzezie, Regni Poloniæ Mareschalco: Ioanne Kraska de Lubnica Calissiensi, Ioanne de Szczekocin Dapifero Sandomirienſi, Nicolao Lublinenſi, Nicolao Preniazek, de Witowice Cracovienſi, Capitaneis: Ioanne de Melsztyn, Ioanne de Tarnow, Iacobo de Dambno Pincerna, Nicolao de Chrzastoch Tribuno Cracovien: ac Venerabilibus, Iacobo Syenno Gnesnensi & Cracovienſi, Iacobo Loth de Dampno, Decano Cracovienſi, Ioanne de Pniow Decretorum Doctore Archidiacono, Ioanne Woyszyk de Woysza, Custode Cracovienſi, Petro Spinek de Będkow Gnesnensi, & Cracovienſi Canonico: Et aliis quàm pluribus fide dignis, circa præmissa. Datum per manus præfatorum, Reverendissimi Patris, Domini Ioannis Episcopi Wladislavienſis, & Cancellarii, ac Venerabilis Ioannis Luthkonis de Brzezie, Vtriusq; Iuris Doctoris, Archidiaconi Gnesnensis, & Vicecancellarii Regni Poloniæ, sincerè nobis dilectorum. Ad relationem

nem præfati Venerabilis Luthkonis de Brzezie, Doctoris utriusq; Iuris, Archidiaconi Gnesnensis, Vicecancellarii.

DELIBERATIO.

Semel Iudex deliberet, & semel partes controvertant.

STatuimus: ut non nisi semel Iudex Terrestris, vel Castrensis, vel Succamerarius deliberet: similiter & Capitaneus & Vicecapitaneus, semel etiam, ad duas septimanas, in causa officii Castrensis, ad alios terminos Castrenses deliberet: sub pœna trium Marcarum pecuniæ, parti succumbenda: pro qua Capitaneus tenebitur justitiam parti, vel coram Nobis, vel coram Iudicio Terrestri: aliàs, ubi parti libuerit pœnam ipsam persequi. Post quam quidem deliberationem Iudicis, Capitanei, vel ejus officii, jam nulla pars poterit suam controversiam meliorare, vel locupletare: tantùm decretum audiet, ex illa controversia, super quam deliberatum est. Sed quia Statuto novo cautum extat: Quia ante probationem sententiæ, hoc est, ante decretum, potest pars suam controversiam, vel causam meliorare: hoc ita debet intelligi: quia hæc ipsa melioratio controversiæ debet fieri semel, in termino peremptorio: hoc est, tum, quando jam Iudex recipit sibi ad deliberandum, seu ad interrogandum. Nam si pars deberet causam suam aliquoties meliorare: Iudex verò itidem super eâdem aliquoties deliberare: tunc magna justitiæ comperendinatio fieret, & admitteretur. *Sigi.* 1543.

Iudex Terrestris & Castrensis, semel deliberet.

SI quæstio perplexa & difficilis, in Iudicio oboriatur: Iudex accipiat sibi spacium aliquod temporis, ad interrogandum superiores se, vel ipsos Iurisconsultos, de ipsa quæstione dubia, in Iudicium adducta, atqui ulterius cunctationem suam protrahere non potest: nisi in tertios terminos. In tertiis autem terminis, deliberationem expediet: & sententiam suam dicere teneatur. Iudex autem Castrensis, in sedecim septimanis ad maximum, debet expedire sententiam, ex interrogatione conceptam, alioqui, qui alteruter non expediverit ipsam sententiam: potest Iudex ex eo nomine, tempore medio ad interrogandum debito, & præterito commonefieri. Cùm autem fit interrogatio: partes nec interesse interrogationi, nec eam audire debent. *Consuetudo terræ Cracz 1505 Fol. 121. abrogata per superiorem.*

§ Succamerarius semel deliberet. Vide in Titulo, SUCCAMERARIUS

DIGNITATES SEV OFFICIA REGNI.

Dignitates, in Iuribus suis conservantur, indigenis dentur: ne in proventibus diminuantur, damnantur & Expectativæ.

Ex Iagello: Privilegio circa Iedl. 1433. Fol. 50.

DIgnitates autem Eccleſiaſticas & Seculares Regni Poloniæ, æquo modo circa Iura & conſuetudines, ac libertates ipſorum, quæ & quas tempore Sereniſſimorum Principum Dominorum, Kazimiri, Ludovici, & aliorum Regum, & Ducum, hæredum Regni Poloniæ, obtinebant, dimittimus perſiſtere & permanere. Quas quidem Dignitates cùm vacare contigerit, nulli extraneo terrigenæ, niſi Nobili bene merito, & in fama laudabiliter conſervato, illius terræ in qua Dignitates hujuſmodi, vel honor vacaverit, (terræ videlicet Cracovienſi, terrigenam Cracovienſem: Sandomirienſi, Sandomirienſem: & in Majori Polonia, terrigenam Poloniæ Majoris: & ſic de ſingulis terris Regni noſtri Poloniæ dabimus: & quomodolibet conferemus. Super quibus etiam Dignitatibus, Eccleſiaſticis & Secularibus, literas expectativas nulli perſonæ dabimus in futurum, & quòd prædictas Dignitates, tam Eccleſiaſticas quàm Seculares, non debemus minuere, nec etiam ſuffocare: & poſſeſſiones, cenſus, ſeu ſalaria, ad eos pertinentia, abſq; Iuris debito examine non auferre.

Dignitates Nobilibus dentur.

Sigiſm. Auguſtus Petric: 1550.

QVia ordo militaris primas habet partes, in Regno hoc: nullus debet eſſe in conſilio noſtro, niſi ex militari genere, tam Spiritualis quàm Secularis.

Dignitates & Officia Regni, nulli extraneo: ſed indigenis Nobilibus ſunt danda.

Ex Privileg. Regis Ludov. Caſſoviæ 1374. Fol. 41.

ITem Promittimus: quòd tales honores & dignitates, ut pote Palatinatus, Caſtellanatus, Iudicia, & Succamerariatus officia, & his ſimilia, qui vel quæ ad vitam conſervari conſueverunt, aliis quibuſpiam hominibus extraneis hoſpitibus non conferemus: niſi talibus, qui ſint regnicolæ terrarum ejuſdem Regni: in quibus, hujuſmodi dignitates & honores conſiſtunt. Quas etiam Dignitates & Officia, ac ſingula, volumus in eorum Iuribus, prout fuerunt tempore Sereniſſimorum Principum Dominorum, Wladislai avi, & Kazimiri avunculi, noſtrorum, Regum Poloniæ, conſervare plenariè promittimus. quòd nullum Baronẽ, Militem, ſeu Nobilem, vel alium quemcunque, cujuſcunque conditionis exiſtat, extraneum, hoſpitem ſeu alienigenam, præterquam natione Polonum, in Capitaneum præficere debemus: niſi talem, qui ſub eadem corona, de gente Polonica ſit oriundus, dummodo non deſcendat de ſtirpe Ducali. Cæterum promittimus: quòd nullum Caſtrum, ſeu fortalitium Regni Poloniæ, alicui Duci vel Principi, aut deſcendenti de gente Ducali, regendum & tenendum committemus, pro tempore, vel in ævum. Deinde ſpondemus, caſtra, & civitates ſæpè dicti Regni, de quibus honores, & Iudiciales ſedes procedunt, (Hæc videlicet: Cracovia, Biecz, Sadecz, Wiſlica, Woynicz, in terra Cracovienſi: Sandomiria,

ria, Zawichoſt, Lublin, Sieniechow, Lukow, Radom, in terra Sandomirienſi: ac caſtrum Lancicienſe, in terra Lancicienſi: in terra Siradienſi, & Piotrkow: item in terra Cujaviæ, Brzeſcie, Kruſzwica, Wladislavia: item in Polonia Majori, Poſnania, Miedzyrzecz, Zbaſzyn, Kaliſz, Nakiel, Konin, & Pyzdry nuncupata) nulli alteri, niſi terrigenis, ſeu Capitaneis in eodem Regno conſiſtentibus, conferemus. Alia autem quæcunque caſtra, hoſpitibus, vel aliis quibuſcunq; voluerimus, Nos & ſucceſſores noſtri, habebimus & habebunt liberam conferendi facultatem.

Dignitates & Officia indigenis, bona hæreditaria in illo diſtrictu habentibus, ſunt danda.

Kazimirus tertius in Nieſzowa 1454. Fol. 92.

ITem cùm indigenæ, pro ſuis meritis & virtutibus, forenſibus ſint meritò præferendi, Pollicemur per præſentes: Quòd Dignitates, Caſtellanatus, & Officia in terris univerſis Regni noſtri, perſonis bene meritis, ætate, intellectu, & prudentia benè vigentibus, & indigenis diſtribuemus. dabimuſq; Dignitatem illi perſonæ: quæ illius terræ indigena fuerit, in qua Dignitas ipſa vacabit. habueritq; hæreditaria ibidem bona, ut viam murmuri, & diſplicentiis præcludamus.

Dignitates indigenis conferantur, alioqui, non pareatur inveſtito: & Rex contra Iuramentum faciet.

Senat. Reg. Petricoviæ 1503. Fol. 111.

UNanimi Dominorum Spiritualium & Secularium, ac Nuntiorum Terreſtrium, in hac Conventione Petricovienſi congregatorum, decreto communi conſtitutum eſt, antiquo Statuto innitendo. Quòd dignitates & Officia terreſtria, per Majeſtatem Regiam incolis tantummodo terrarum poſſeſſionatis, & idoneis conferantur, ſecus factum, non ſervetur: nec ille cui Dignitas vel Officium, contra præmiſſa collata fuerint, eadem Dignitate ſeu Officio uti permittatur: neq; ei ulla præſtetur obedientia. Regia autem Majeſtas, tanquam contra Iuramentum præſtitum ſecus faciens, Rei & Privilegio communi injuriam intuliſſe cenſeatur.

Dignitates & Officia non dabuntur, niſi in terra poſſeſſionatis.

Alexan. in Radom. 1505. Fol. 118.

INnitentes Statuto Nieſzovienſi, & aliis prædeceſſorum noſtrorum decretis rationabilibus, præſenti noſtro ſancimus Privilegio: & promittimus, pro Nobis & ſucceſſoribus noſtris: Quia Nos ſucceſſoreſq; noſtri, Dignitates & Officia Terreſtria non dabimus: niſi poſſeſſionatis in Regno, terriſq; illis: in quibus ſunt hujuſmodi Dignitates, & Officia, ſub pœna, in Statuto, per Prælatos Petricoviæ ſupraſcripta.

Dignitarij & Officiales ſint poſſeſſionati.

Sigiſ. Crac: 1510.

NOvæ & antiquæ Conſtitutiones decernunt, Dignitarios & Officiales terrarum, illic poſſeſſionatos eſſe debere: ubi Dignitates ipſas, Officia obtinent.

Si impossessionato, ob meritum, Dignitas data sit: intra medium annum, possessionem quærat.

Sigiſ. Crac. 1540. Fol. 10. ÆQuitatem circa vetuſtas Conſtitutiones ſervando, Demandabimus deinceps illud Statutum debitæ executioni: Vt quibus dignitates & Officia Terreſtria conferemus, poſſeſſionati ſint, & ſi cui impoſſeſſionato, ob aliquod inſigne meritum, Dignitatem vel Officium dederimus: idem teneatur eſſe poſſeſſionatus, ab accepto officio in medio anno: ſub amiſſione dignitatis, vel Officii. Eos autem, qui nunc impoſſeſſionati eſſent, & Dignitates vel Officia tenerent, ſi ſe hinc ad medium annum poſſeſſionatos non fecerint, Dignitate vel Officio privabimus.

Dignitates, cum Capitaneatibus ejuſdem loci, ſe compati nequeunt.

Sigiſ. Petr. 1538. B 2 IN collatione Dignitatum & Officiorum, Statuta Regni deinceps obſervabimus: ita quòd Dignitarios, in Capitaneos loci illius non præficiemus, præſertim cùm Iuribus Regni proviſum ſit, ut nullus Caſtellanus, vel Palatinus, illius terræ Capitaneatum, in quo Iudicia celebrantur, obtineat. Proinde quicunq; auſus fuerit aliquid accipere, contra præſentem ordinationẽ, & antiquam Regni Conſtitutionẽ: ubi monitus in Conventione generali, aut particulari, hujuſmodi Dignitatem aut Officium reſignare neglexerit: infamis ſit ipsô factô. Præterea pollicemur: quòd juxta Privilegium Wladislai Iagellonis, quando Dignitates vacare contigerit, nulli extraneo terrigenæ, niſi Nobili illius terræ, in qua Dignitas hujuſmodi vel honor vacaverit, terræ videlicet Cracovienſis, terrigenæ Cracovienſi: Sandomirienſis, Sandomirienſi: & in Majori Polonia, terrigenæ Majoris Poloniæ: & ſic in ſingulis terris Regni Poloniæ) deinceps dabimus, & conferemus.

De alienigenis.

Sigiſmundus 1539. B 3. NVlli deinceps æviterno tempore alienigenæ, aliqua caſtra & Dignitates Regni concedemus: neq; ſucceſſores noſtri concedent. Et quicunque, contra præſentem Conſtitutionem, aliquod Officium ſeu Dignitatem obtineret: & monitus, quæ obtinet non reſignaverit: bona ipſius confiſcari, & ipſe infamis eſſe debet.

De fictis poſſeſſionibus.

Sigiſ. Petr. 1538. B 2 AD evitandas verò fictiones, quæ de poſſeſſione habenda evenire ſolent, Statuimus deinceps obſervandum: Quòd dignitates, Capitaneatus, & alia omnia officia terrarum, non aliis conferri poſſint, & debeant: niſi illis, qui antehac haberent, non fictam aut coloratam, ſed realem veramq; bonorum hæreditariorum poſſeſſionem: in illa terra in qua

qua Dignitates, vel Capitaneatus vacaverint, ſi ad alia aſſequenda habilis eſſe voluerit.

Dignitates & Officia, Nobilibus poſſeſſionatis in illo diſtrictu danda.

Sigiſmundus Petri. 1543 SAtisfaciendo poſtulationibus Nuntiorum Terreſtrium, ſubditorum noſtrorum, relinquimus in robore Statutum noſtrum Petricovienſe, in Conventu generali conditum, Anno 1558. illudq; tenere & exequi volumus. Vt ne negotia terreſtria negligerentur, tenebimur deinceps, hujuſmodi Officia & Dignitates, in principio Conventus, priuſquam ipſe Conventus generalis inchoabitur, hominibus idoneis poſſeſſionatis, indigenis illarum terrarum, juxta Privilegia & Statuta, diſtribuere. Si verò Palatini, Caſtellani, Dignitarii, & alii Officiales Terreſtres, per Nos dati, ſufficientem poſſeſſionem hæreditariam, non fictam habere debent: & in ipſis Palatinatibus, & in diſtrictibus propriis Commiſſiones, Colloquia, & alia Iudicia & debita officiorum ſuorum explere, & exequi debent, niſi fortaſſe Legatione ſervitij Reipub. vel noſtræ M. Regiæ fuerint impediti. Quòd ſi negligentes, & impoſſeſſionati fuerint: juxta Privilegia & Statuta, tum in Conventu futuro privari debent ipſis Officiis: ex dilatione Nuntiorum Terreſtrium illius ſui Palatinatus, vel diſtrictus. Qui quidem Nuntii tenebuntur inſtigare in Conventu, contra talem Officialem, & Dignitarium: qui quidem talis fuerit, & hoc Statutum jam debet eſſe, & valere contra talem, pro monitione.

Rex neque Caſtra neq; tenutas, niſi Polonis Nobilibus poſſeſſionatis credet.

Sigiſ. Aug. Petr. 1550 QVandoquidem ſumus Rex Poloniæ: neq; caſtra, neq; tenutas ullas concredere volumus: niſi Polonis, Nobili genealogiâ ortis, ejſdemque poſſeſſionatis, & hoc juxta Privilegium Regis Ludovici.

Dignitates & officia neque plura, neq; pauciora ſint.

Sigiſ. Augũ Petr. 1550. DIgnitates & Officia nulla omnino multiplicabimus: neq; reddemus pauciora: niſi quæ ſunt Iure conſcripta, & inſtituta.

Dignitarij & Officiales, ſua noſcant officia.

Prælati Petric. 1503. DIgnitarij & Officiales ſua noſcant officia, ſi verò quibus incognita ſunt: à Regia Majeſtate, & Dominis doceantur: eademq; tam domi, quàm in bello, debitè exerceant, ne per quempiam, commodo ſuo fraudentur regnicolæ, defectu ordinis.

Capitanei viſitent loca ſuarum Iuriſdictionum, in eiſq; officia ſua exerceant.

Alexan. in Radom. 1505. Fol. 119.

Cùm essent nonnulli per favorem Officia, præsertim Capitaneatuum, Dignitatumq; aliarum, in terris ab eorum domicilio remotioribus assecuti, obtinentes: qui propter suam absentiam, occasiones pariunt scandalorum, in eorum jurisdictionibus committendorum, nemine coercente pravam adolescentum & aliorum hominum licentiam: quapropter Statuimus: quòd in singulis Regni terris & districtibus, Capitanei, Officiales, Dignitarijq; locorum, sint possessionati: avisandi nostris literis, ut satisfaciant Officiis suis. Quòd si trina vice avisati, Officiis suis intendere non curaverint: priventur Officiis, & Dignitatibus: sintq; ipso facto privati. Ideo admonendi: ut possessionati sint: ut frequentiùs visitent loca, in quibus Dignitates habent, & Officia.

De Dignitatibus collatis.

Sigis. Petr. 1538.

QVia Dignitates & Officia, post Conventum proximè præteritum, juxta antiquam consuetudinem per nos collata, non licet nobis abrogare: & ab eis, quibus collata sunt, amovere & auferre: (quòd talis deturbatio, & degradatio personarum insignium, nomini eorum notam inureret: esset intestini odii, & desidii, non leve incendium) ideo in futurum, dum vacabunt, secundùm Statuta Regni nostri conferenda.

DILATIO Terminorum. Vide in Titulo, TERMINI.

DIVISIO BONORVM.

Divisio bonorum inter fratres per amicos facta.

Kazim: Magnus Vislic: 1368. Fol: 30.

Cùm omnis dissensionis & discordiæ sit Mater ipsa communio: in qua etiam fratres, & quidam germani existentes, ad odia & lites non modicas sæpiùs provocantur: ad quas evitandas, ne in periculum vitæ utriq; incidant, consueverunt plerumq; homines vivere, & ſtare in domibus propriis separatim: de parte bonorum, sive hæreditatum, amicorum: Et licet ad Principem notitia ipsius divisionis non fuerit deducta: tamen, quia sæpe contingit, quòd ex aliquorum vita activa, & bona procuratione, negligentes, in ratione dissoluti, domos proprias & bona hæreditaria reformare non curantes, domos reformatas, & hæreditates ad utilitatem deductas, Iure pro se ipsis obtinere nituntur, fratres aut amicos ipsorum, ad Iudicia protrahentes: & sic quilibet Paterfamilias, timore isto & abusu perculsus, à reparatione bonorum se subtrahit, & domorum erectione: Quare ut à tali torpore, & pigritia, tales retrahamus, & excitemus: utq; benè laborantes, & procurantes, aliquod commodum inde reportent: Statuimus nostra authoritate: Vt quicunque fratres, vel amici, consanguinei, aut remoti, sexus utriusq;, ab invicem separati fuerint, vel divisi: & in hac separatione, & divisione, steterint per tres annos, & per tres menses in taciturnitate, ad Iudicium non provo-

provocantes: (nisi causa legitima allegetur, vel assignetur: propter quam Præscriptio legitima impeditur) à repetitione, seu vendicatione partis hæreditatis fratris sui, vel amici, præscriptione obiecta legitimè excludentur.

Divisio per patrem, inter liberos ex duabus uxoribus susceptos, rata sit.

Wladislaus Iagello Cracov. & Varsa. Fol. 49

Cùm verò pueri primæ uxoris, portionem suam æqualem, à patre eis sponte ex divisione eis perpetua oblata, obtinuerunt: tunc portio secundæ uxoris filiis, aut filiabus, eisdem cedere debet integraliter.

§ Divisio bonorum, etiam per commissarios, inter personas par Ius habentes, fieri potest. Vide in Titulo, COMMISSARII. Fol. 92.

DIVORTIVM.

Sigis. Crac. 1543.

AD Spirituale Iudicium, pertinere debet negotium divortii, nihilominus cognitio de dote, & Inscriptionibus dotalibus, inter personas per divortium separatas, ad R. Majestatem, juxta antiquam consuetudinem, debet remitti.

DONATIO.

Donatio Regalis, militibus in bello facta, morte donatoris, etiam absq; literis confirmatur.

Kazim: Magnus Vislic: 1368 Fol. 38

HOc Statuto perpetuò Statuimus observandum: Quòd donationes fixæ & firmæ debeant permanere: etiamsi Privilegium, super hisce donationibus, concessum non fuerit, dummodo saltem morte donatoris, vel cui donatio facta fuerit, confirmetur: præsertim his, qui Nobiscum vel cum nostris successoribus, viriliter in bello pugnantes fuerint interfecti, donatio recipiat perpetuam firmitatem.

DOS, SEV DOTALITIVM.

Dotes non inscriptæ nullæ sint.

Ioan. Alberti Petricovia 1496 Fol. 108.

ITem præcidere cupientes consuetudinem, non quidem communem, sed in certis terris servatam, pro dotibus fæminarum non inscriptis: quas dotes nonnullæ personæ, post fæminas steriles Iure expetebant, per testium tantummodo probationem: nulla inscriptione, aliàs reformatione, in Actis habita: Statuimus, Quòd amodo Dos, quæ non fuerit coram Nobis, aut in libris seu Actis inscripta, aliàs juxta juris ordinem, transponere non debeant: & antiquam consuetudinem reformata, nullius debet esse valoris & momenti.

Indotatæ mulieri triginta Marcæ ſolvuntur.

Ex Conſuet. terræ Crac: 1505 Fol: 121.

ITem dum aliquis copulat ſibi matrimonialiter virginem, ſeu puellam: & privatur vita, Dotem non reformando eidem uxori: extunc talis uxor accipiet pro Crinili Marcas triginta: aut poſſeſſionem ubi trium Marcarum eſſet proventus, habebit tamdiu: donec ſibi perſoluetur Crinile tenendum. Quæ quidem vidua non tenetur equitare de bonis, in quibus eam maritus morte reliquit, aliàs *odumart:* uſquequo dabuntur ei, aut triginta Marcæ, pro Crinili: aut trium Marcarum proventum, aliàs cenſum, ſibi conſtituent mariti ſucceſſores.

Dotalitia, fuga vel crimine viri, non vitiantur.

Kaz. Mag. Viſlic: 1368 Fol: 35.

STatuimus: quòd ſi aliquis coram Nobis, vel noſtro Capitaneo, de aliquo crimine, vel aliquo maleficio fuerit accuſatus: & ad oſtendendum ſuam innocentiam, per Nos, vel Capitaneum noſtrum non fuerit admiſſus: & ob hoc, ipſum fugere contingat, & ne hujuſmodi fuga ad infamiam reputetur, idem fugiens coram Reverendiſſimo in Chriſto Patre, Epiſcopo Cracovienſi, aut Palatino Cracovienſi, aut Sandomirienſi proteſtabitur: Quòd Nos, aut Capitaneus Noſter, ad expurgandum ipſum admittere noluimus, & tales prænotati, aut Palatinus noſter, illius terræ profugo treugas duorum menſium dare poterit: & ipſum profugum ſervare. Infra quod tempus, idem Palatinus, apud Nos vel Succeſſores noſtros, eidem profugo quærat gratiam, & favorem: ut ipſum ad inſtantiam admittamus, quæ ſi prædictus Palatinus non poterit obtinere: quòd eundem videlicet ad expurgandam ſuam innocentiam admittere nollemus: extunc Palatinus ad metas terræ ſuæ, illum conducere tenebitur. Qui à tempore conductus Palatini, infra annum, terræ, Regno, & terrigenis nocumenta inferre non debebit: uxore ſua in bonis ſuis pacificè, infra annum prædictum, dimiſſa in quiete. Quo anno evoluto, intra quem gratiam noſtram ſemper quærere debeat, & ſi invenire non poterit: & præfatus profugus aliqua nocumenta Regno, vel terrigenis intulerit: propter hoc infamis non debeat reputari: nec ipſum per terrigenas captum, ad mortem, Nobis aut noſtro Capitaneo dare tenebuntur: nec propter hoc indignationem, aut offenſam noſtram incurrant terrigenæ ſupradicti. Si verò malitioſè, & abſq; culpa contigerit aliquem profugere: & Iuri parêre noluerit: & profugendo nocumenta Regno, & terrigenis intulerit: bona ipſius immobilia (præter Dotalitium uxoris) cameræ noſtræ perpetuò applicentur. Mobilia verò, inter Nos, & Barones noſtros, per medium dividantur. Et ſi captus fuerit per quempiam: in gratia noſtra conſiſtat, nec propter captivitatem ejus, per amicos debet aliqua indignatio, vel inimicitia occulta vel manifeſta, ſuboriri. Vxor verò ſua, in Dotalitio ſuo remanebit, prout ſuperius eſt notatum: vel ipſum vendere liberam habeat facultatem.

Dota-

Dotalitia, nec perlucris ſuper viro obtentis ſubſunt.

Sigiſmundus Petri. 1523 Folio 38.

SI verò quis, in aliquo alio, bona quocunque Iuris decreto fuerit aſſecutus: in quibus ſcilicet bonis, uxor ejuſdem victi habuit reformationem ſuam Dotalitialem: talem reformationem volumus illæſam permanere: & talis convictus, pro *Gotota* debebit reputari, Iure Golotarum deinceps convenien dus: Caſu, quo executioni rei judicatæ contraveniret.

De Dote, ſi mulier priùs moriatur, vel contra

Alexand. in Radom. 1505 Fol. 119.

DOtium ſolutionem (mortua exiſtente muliere, cui viventi inſcripta erat) dubia impediebant hactenus duplici ratione: Vna, quòd vivente marito, præmortuæ uxoris conſanguineis ſolutionem dotis petentibus, aliqui poſſeſſionem adjudicandam putabant: in bonis, viventi mulieri reformatis, quorum ſupervivens maritus poſſeſſor eſſet. Altera, muliere poſt maritum antea ſibi præmortuum moriente, & in poſſeſſione Dotalitij, uſq; ad ultima vitæ tempora exiſtente, poſt ejuſdem mulieris viduæ mortis obitum, conſanguineis ejuſdem mulieris viduæ mortuæ ſolutionem Dotis petentibus: nonnulli putarunt, ut conſanguinei dictæ mulieris viduæ mortuæ, Dotis ſolutionem Iure repeterent: nonnulli decidebant, conſanguineos in poſſeſſionem conſervandos: Quapropter Nos cum Conſiliariis, & terrarum Nuntiis, dubia ipſa abſolvimus, Decernentes perpetuò tenendum: Quòd dum mulier præmortua eſſet, debens Dotis & Dotalitii reformationem, Dos à marito ſupervivente, Iure mediante exigatur. Quem maritum Decernimus ſic potiri poſſeſſione, in bonis, per eum olim mulieri uxori ſuæ viventi reformatis: uti vivente ea, potitus erat & poſſidebat, de quibus omnibus, ſuæ olim uxoris conſanguineis dotem petentibus, Iure reſpondebit. Sed præmortuo exiſtente marito, mulier per eum morte derelicta, ſi poſſidebat uſq; ad ultima vitæ ſuæ tempora, bona ſibi per olim viventem maritum reformata: quandocunq; ipſa mulier, poſt mortem mariti ſui mortem obiret, exiſtens poſſeſſor reformationis ſuæ: ſic debebitur poſſeſſio bonorum reformatorum, conſanguineis morte illius mulieris: ut eam mulier vidua poſſidebat, quam poſſeſſionem Statuimus, abſq; Iuris ſtrepitu, conſtituto duntaxat de Iure reformationis, & de poſſeſſione per mulierem ad tempora vitæ habita, dandam per loci Capitaneos his quibus dotis deberetur redditio.

De bonis Dotalitij redimendis: cum mulier ſcilicet ſecundo nubit.

Prælati Petric. 1523. Fol. 37.

CÙm primùm mulier ſedem ſibi vidualem, per ſecundas nuptias violaverit: Volumus, quòd talis poterit citari, aut in Iudicium Terreſtre, vel ad Actorum Terreſtrium primam & proximam poſitionem. Et talis quidem vidua citata, in primo termino non comparens, pœnam con-

tum ciæ luet, parti & Iudicio exolvendam, in ſecundo verò termino, ſicut peremptorio, tenebitur citata, cum literis ſuis reformatoriis legitimè comparere: ad tollendas pecunias, à parte ſe redimente, in literis ſuis reformatoriis, per expreſſum contentas: & condeſcendere bonis illis redemptis, parti ſe redimenti: dando illi reemptori, certos pro ſe fidejuſſores, bene poſſeſſionatos, Nobiles in hunc modum: Quòd ea muliere defuncta, Dotalitium, aliàs *Przywianek*, ad ſucceſſores primi mariti devolvetur, vel potius reſtituetur. Si verò talis mulier citata, in ſecundo termino non paruerit: extunc Iudicium illud dabit illi redimenti, bona illa reformatoria in poſſeſſionem: & pecunias ad redemptionem pertinentes, juxta inſcriptionis reformatoriæ continentiam, in Cancellaria Terreſtri conſervabit: tamdiu, quouſq; ipſa Domina Dotalitialis, in Iudicium rurſus veniens, certos pro ſe fidejuſſores, ſuper Dotalitio ejus ad propinquos primi mariti revertendo, modo ſupraſcripto ſtatuerit: aviſando citatione ſua literali illum reemptorem: & evocando eum ad hoc idem Iudicium, ad levandum pecunias Dotis & Dotalitii ſuorum prædictorum: & ad ſuſcipiendum à ſe præfatos fidejuſſores, ſuper Dotalitio ſuo prænominato, poſt mortem ſuam revertendo. Si verò quis, in aliquo alio, bona quæcunque, Iuris decreto fuerit aſſecutus: in quibus ſcilicet bonis, uxor ejuſdem victi habuit reformationem ſuam Dotalitialem: talem reformationem volumus illæſam permanere, & talis convictus, pro Golotá debebit reputari, Iure Golotharum deinceps conveniendus: caſu, quo executioni rei judicatæ contraveniret.

De pueris, ex duabus uxoribus dotandis procreatis, vel per partem dividendis.

Wladislaus Iagello Cracov. & Varſ. 1423. Fol. 43.

DEclarantes Statuimus: quòd ſi contigerit patrem cum ſecunda uxore filios non habere, ſed filias: & cum prima habuerit filios: extunc patre mortuo puerorum prædictorum, pars aliqua ſecundæ uxoris filios non continget: ſed filii, ſeu filius primæ uxoris, ſuperſtites ſorores ſuas, juxta conſuetudinem terræ maritabunt: aſſignata ipſis in pecuniis Dote competenti, bonis maternis duntaxat exceptis: ſi ipſæ prædictæ ſorores habuerint: quæ pro ipſis debent remanere. Cùm verò primæ uxoris portionem ſuam æqualem, à patre ſponte eis ex diviſione perpetua oblatam, obtinuerint: tunc portio ſecundæ uxoris filiis, aut filiabus ejuſdem, cedere debet integraliter.

Virgo, ſi fratres germanos vel patrueles habeat, dotetur.

Kaz. Mag Vislic: 1368 Fol. 29.

ITem Statuimus: quòd cùm aliqua dominicella maritatur, aut nuptui alicui traditur, Dos, ſeu Donatio in pecunia parata ſufficiat, quæ in præſentia amicorum ei aſſignetur: bona verò hæreditaria, coram Regia Majeſtate debeant aſſignari. Etiam Statuimus: quòd ſi quis militum, aut Nobilium, de hoc ſeculo migraverit, habens filios vel filias: tunc filiæ

liæ per fratres maritis tradantur: Dote tamen eis, more conſueto, aſſignata. Si autem filios non habuerit: ſed filias: tunc filiabus omnes poſſeſſiones cedant paternæ. Et ſi fratres patrueles hujuſmodi hæreditates obtinere voluerint: tunc Milites, ſecundùm ipſorum conſcientiam, prædictas hæreditates taxabunt: & à die taxationis hujuſmodi, dicti fratres patrueles ſororibus, infra annum, parata pecunia (ſecundùm quod fuerint taxatæ hæreditates) perſolvere tenebuntur, & ſi in tempore unius anni neglexerint ſolvere: tunc filiæ hæreditates perpetuo poſſidebunt.

Virgo à patre dotata, nil plus petat à fratribus, alioquin, ipſi dotent, vel conſanguinei.

Kazim. Magnus Vislic. 1368. Fol. 33.

STatuimus etiam: quòd poſtquam aliquis noſtrorum Nobilium filiam ſuam vivens nuptui tradiderit, & dotem ſibi aſſignaverit competentem, ipſo tandem defuncto, eadem plura à fratribus repetere non poterit. Si verò parte mortuo, filia vel filius remanſerint, ſolutæ, neque per patrem dotatæ: ſi filia fuerit Palatini, & poſſeſſiones fuerint multæ: eidem centum Marcæ, pro Dote, per fratres aſſignentur, ubi verò poſſeſſiones paucæ & filiæ multæ, vel una hæreditas: fiat æſtimatio in valore: & pars contingens cuilibet ſorori, per fratrem, nomine Dotis, pecunia perſolvatur. Et idem ſentimus, de filiabus inferiorum Nobilium à Palatino: Quòd cùm eas in vita tradiderint maritis, Dote eiſdem ſimiliter aſſignata competenti, illis de hac luce ſublatis, fratribus quæſtionem pro majori hæreditate movere non poterint. Fratres verò uterini, cuilibet ſorori quadraginta Marcas ſolvere teneantur: ſi poſſeſſiones ſint multæ: ut præfertur, ſi vero paucæ: fiat æſtimatio: ut ſupra: & pars contingens cuilibet ſorori, in pecunia per fratres exolvatur. Fratribus verò uterinis non exiſtentibus, idem volumus de patruelibus eſſe intelligēdum, & patruelibus non exiſtentibus: tunc quilibet de eiſdem armis & ſignis, conſanguinitate ſaltem proximior, in bonis hæreditariis ſeu patrimonialibus ſuccedere poterit: ſororibus dotatis: ut ſuperius eſt deſcriptum. Et interim, quoad ſorores non fuerint matrimonialiter copulatæ, earum hæreditates matrimoniales, quocunq; modo vocitentur, prædicti fratres poſſidebunt: quouſq; eas nuptui tradent, & dotent, modo præmiſſo: Hoc ſpecialiter declarando: (prout etiam ſuperiùs præmiſimus) quòd cùm pater in vita ſua aliquam nuptui tradiderit, eo debeat contentari, quod ſibi pater aſſignaverat, dum adhuc viveret in humanis: nec fratribus pro Dote aliquam poterit movere quæſtionem: ſed contentari debet eo, quod illi parentes ipſius viventes, & ſui compotes exiſtentes, ſunt largiti: Adiicientes, quòd fratribus ſeu mortuis ſeu exiſtentibus, filiæ in hæreditatibus non ſuccedant: ſed contententur Dote eis tradita, ut ſuperiùs continetur.

Raptor sit infamis, rapta verò, si consentiat, Dotem perdat.

Joan. Alber: Petricoviæ 1496 Fol. 107.

ITem de raptoribus virginum, & fæminarum, ita volumus esse obseruandum: Vt talis raptor virginis, si Iure convictus fuerit, secundùm antiquiora Statuta, honore: & fœmina rapi se consentiens, bonis omnibus hæreditariis, & quibuscunq; aliis ipsam concernentibus rebus, Doteque perpetua, priventur perpetuis temporibus.

Eadem lex interpretatur.

Sigis. Crat: 1532.

AD submovendam dubitationem, quæ circa Statutum, de raptu virginum & fæminarum conditum, oriri sæpe solet, visum est Nobis & Senatui nostro, per præsens decretum illius intelligentiam ita declarare: Vt cùm raptor virginis, aut mulieris, viduæ seu conjugatæ, ad præsentiam nostram, pro raptu commisso citatus fuerit: tum demum, secundùm antiquiora Statuta, Iure esse convictus in privatione honoris intelligatur: Cùm virgo: aut mulier, vidua, seu conjugata, in præsentia nostra constituta, confessa fuerit, sibi per raptorem citatum vim fuisse illatam, & se contra ejus voluntatem, & consensum, per illum esse raptam. Per hanc enim raptæ virginis, vel mulieris, viduæ, seu conjugatæ confessionem, raptor citatus, ad extendendam contra se pœnam privationis honoris, censeatur esse sufficienter Iure convictus. Alioquin, rapta virgine, vel muliere, vidua, seu conjugata, per expressum in præsentia nostra confitente, & affirmante, se non per vim citati esse raptam: sed voluntate & consensu suo proprio, undecunq; abductam: citatus de raptu, à pœna Statuti honoris privationis, liber esse censeatur. Virgo verò seu mulier, vidua, aut conjugata, (ad quarum omnium personas, & nomina, legem hanc diu statutam, & obseruatam, pertinere & extendi volumus, ac declaramus) post factum hujusmodi voluntatis & consensus sui confessionem, bonis omnibus hæreditariis, & quibusvis aliis ipsam concernentibus bonis, & rebus, Doteq; sibi debita, perpetuis temporibus privabuntur.

§ Dos pecuniaria virgini, coram amicis assignari potest: bona verò hæreditaria, coram Regia Majestate. Vide in Titulo, VIRGO.

ELECTIO REGIS.

Ac primò omnium Proceres & Nobiles Regni Poloniæ, Ludovico Regi consenserant: ut filij ejus in Regno succederent. si verò non essent filij: filiæ hæreditarent.

Ex Ludov. Privil. Cassoviæ dato. 1374. Fol. 40.

IN Nomine Domini, Amen. Cùm gesta Principum debeant inviolabiliter futurorum memoriæ enodari: & confirmationes, perpetuis temporibus perennari: Proinde Nos Ludovicus, Dei gratia Vngariæ, Poloniæ, Dalmatiæ Rex, ad universorum, tam præsentium quàm futurorum, notitiam volumus devenire: Quòd

re: Quòd ex puro animo, & sinceris affectibus, Regnum nostrum Poloniæ in bono statu & robore permanere anhelantes: Licet aliàs nostris promissionibus instrumentorum, seu Privilegiorum, Nobilibus ipsius Regni Poloniæ fuissemus obligati: quòd decedentibus nobis de hac luce, masculinam prolem nostram tantùm, & non fœmineam, deberent habere, & sibi recipere nostrum in hæredem, & successorem Regni Poloniæ: demum Baronum, Militum, Nobilium, & aliorum omnium consensu & voluntate accedente, filias nostras, non extante prole masculina, sibi in Dominos & hæredes Regni prædicti acceptârunt: quas fieri nostros successores, & Coronam Regni Poloniæ ipsas volunt, & voluerunt obtinere: Tamen in eo casu, quo filium vel filias, Divinâ nobis providente clementiâ habuerimus, unum ex eisdem masculis, illis deficientibus, unam ex nostris filiabus nunc natis & extãtibus, ac in futurum nascituris, quem vel quam, Nos vel Excellentissima Domina Regina Mater, & consors nostra charissima, ipsis assignabimus & assignabit, illum vel illam habeant, pro hærede & Successore nostro: & ipsi regnicolæ assumere teneantur: & haberes prout eisdem, per Barones, Nobiles, Proceres, Civitatenses, & singulos inhabitatores Regni Poloniæ, fit & facta est: exnunc prout extunc, & extunc prout exnunc, recipient in Principem, hæredem, & legitimum successorem: & deinde vel abinde, successores eorundem vel earundem locum Regiminis habeant obtinere, in Regno Poloniæ prænotato.

Idem Ludovicus, de consensu eorundem Baronum, Militum, & Nobilium, cassat literas: de non eligenda fœmella in successorem.

Ex eodem Privilegio Fol. 41.

OMnes autem alias literas, ordinationes, pacta, instrumenta, & munimenta, data & concessa, per Nos & successores nostros, parte ex una, & prædictos Barones, & Nobiles Regni prædicti, parte ex altera, quæ successionem filiarum nostrarum ducem vel in ducem, in dicto Regno fieri excludebant, de consensu eorundem Baronum, Militum & Nobilium dicti Regni Poloniæ, cassamus, vacuamus, annullamus: cassas, vanas, vacuas, & irritas nuntiamus: volentes ipsas carere omni robore firmitatis, præsentibus solummodo perpetuis temporibus, valituris. In quorum omnium evidens testimonium, firmitatemq; perpetuam, præsentes concessimus literas nostras, pendenti & evidenti Sigilli nostri simplicis munimine roboratas. Datum & Actum Cassoviæ, decima septima mensis Septembris: Anno Domini 1374.

Post mortem autem Ludovici, Proceres Regni, de electione filiæ ipsius, Iuribus, Ecclesiæ bonis, & finibus Regni sub interregno defendendis, ita erant confœderati.

IN Nomine Domini, Amen. Conſonum rationi, & ſacris Canonibus eſſe dignoſcitur: ut ea, quæ pro communi utilitate Regni fiunt,& dicuntur, teſtimoniô literarum approbentur: Proinde Nos Vincentius Poſnanienſis, Sandivogius Caliſſienſis, Palatini, Ioannes Caliſſienſis, Sandivogius Naklenſis, Andreas Stremenſis, Moiek Biechovienſis, Criſtinus Zbaſſinenſis, Caſtellani, Snateslaus Poſnanienſis, Nicolaus Caliſſienſis, Succamerarij, Vbislaus Pincerna Caliſſienſis, Laſſotha Dapifer, Ioſeph de Horodyſzcze, Wiſſota de Kurnik, Kunath Subjudex Caliſſienſis, Petrko Dobicki, Tomislaus de Wyſſoki, Dobrogoſtius Radomicki. Dobrogoſtius Włoczejowski, Szczedzik Dupnicki, Petrko Soſnicki, Nicolaus Petrski, Wodzimir Borzukowski, Laſzek Welewski, Simon Gromowski, Petryk Stanacki, Meczko Kryſtoski, Nyczko Kaczkowski, Ian Popczycz, Ianuſius Iaroglowski, Albertus de Goray, Cæteriq; Nobiles, Milites, totaq; communitas Majoris Poloniæ, Reverendo in Chriſto Patri ac Domino, Domino Ioanni, Divinâ providentiâ Epiſcopo Cracovienſi, necnon ſtrenuis ac Nobilibus viris & Dominis, Dobeslao Caſtellano, Spitkoni de Melſztyn Palatino Cracovienſi, Ioanni Palatino, Ioanni Caſtellano Sandomirienſi, Ioanni Caſtellano Woynicenſi, cæteriſque omnibus, & ſtrenuis & Nobilibus, ac omni communitati terræ Cracovienſis, Sandomirienſis, Siradienſis, Lancicienſis, Sub Sacramento noſtræ fidei, promittimus. purè & ſincerè omnem fidelitatem & obedientiam, Filiæ Sereniſſimi Principis ac Domini olim Ludovici ſanctæ memoriæ, olim Regis Poloniæ & Vngariæ: quæ nobis pro hærede legitimo, in Regnum Poloniæ ad manendum dabitur: ſecundùm tenores, prout articulatim ſunt in literis deſcripti, per eundem Dominum Regem, & ſuos prædeceſſores, nobis & noſtris ſucceſſoribus datis & conceſſis, inviolabiliter tenere. A quibus quidem Iuribus, prout in omnibus ſuis clauſulis, punctis, & articulis continentur, ſub præſentia noſtra jurata fide, nunquam deſiſtere volumus: ſed circa eadem, totaliter volumus remanere: Promittentes pro ſucceſſoribus noſtris, quòd ſub fide & honore, cum Sacramento Iuramenti, à præmiſſis Iuribus non recedent. ſed ipſa juxiter, cum præfatis Dominis & ſucceſſoribus eorum, defenſabunt & tuebuntur. Cæterùm (quod abſit) ſi quis aut qui, contra aliquid prænnſſorum, ex noſtris, aut quiſpiam aliquis, præſumpſerit inſurgēdo attētare: omnes unanimiter, & concorditer, contra ipſos vel ipſum promittimus inſurgere. & tanquam contra fidefragos, & Iurium noſtrorum deſtructores, totis viribus noſtris anhelare. Et ſi aliquis ex Baronibus, terrigenis & Nobilibus ſæpè dicti Regni noſtri, vera Iura & Privilegia noſtra jam dicta, imitator ac defenſor fixè ac ſtudiosè perſiſtens, alterius cujuſcunque ſeu quorumcunque, veluti deſtructorum, prophanatorum, violatorumque noſtrorum Iurium præmiſſorum, guerras, aut nimicitias quomodolibet contraxerit: extunc eidem, favore, auxilio, conſilioque pleno, ſub jurata noſtra fide aſſiſtere, & ab ipſorum inimicorum adver-

ſitati-

ſitatibus, eum volumus, & ſincerè promittimus, in omnibus, cum noſtris poſteris defendere & tueri. Inſuper, ſi quis extra fines Regni poſiti, Eccleſias ſeu bona Eccleſiæ, aut confinia Regni noſtri, Rege nondum coronato, moleſtare præſumpſerit: Volumus promittentes ſine dolo & fraude, cùm ad hoc ſpecialiter requiſiti fuerimus, juxta poſſeſſiones facultateſq; noſtras, unanimiter illa defenſare. In quorum rei teſtimonium, Sigilla noſtra præſentibus ſunt appenſa. Datum & Actum Feriâ tertiâ poſt feſtum S. Catharinæ, in Radomske: ſub anno Domini 1382.

Poſtea Litvani fatentur, Wladislaum Iagellon maritum Hedvigi filiæ Ludovici datum, liberè à Polonis Regem electum.

NOs Prælati, Principes, Barones, Nobiles, terrigenæ terrarum Litvaniæ, & Ruſſiæ, videlicet Iacobus Divinâ providentiâ Vilnenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Dux Iuanus, &c. Significamus quibus expedit univerſis: Quomodo eo tempore, quo Prælati, Principes, Barones, & Nobiles, & communitas terrigenarum Regni Poloniæ, Divinâ cooperante clementiâ, Sereniſſimum Principem Dominum Wladislaum Regem Poloniæ, Supremum Ducem Litvaniæ, hæredem Ruſſiæ, Dominum noſtrum gratioſiſſimum, de gentilitatis erroribus educentes, in Regem & Dominum ſibi aſſumpſerunt. *Ex Privileg. Prælator. Litvan. Vilnæ dato. 1401. Fol. 128.*

Itaque & ipſe Wladislaus Iagello, de libera Electione Wladislai, ſeu Kazimiri, filiorum ſuorum, ita ſcribit.

WLadislaus, Dei gratiâ Rex Poloniæ, necnon terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ. Litvaniæ Princeps, Pomeraniæ, Ruſſiæq; Dominus & hæres, &c Significamus tenore præſentium, quibus expedit univerſis: Quomodo libramine veræ rationis, penſantes intemeratæ fidei, & inſuperabilis virtutis conſtantiam: quibus incolæ Regni noſtri Poloniæ, in bellis & certaminibus, quæ cum proſperis (auſpice Domino) noſtrorum triumphorum ſucceſſibus, ſæpe ſæpiuſque, pro defenſione noſtra & Regni ejuſdem, hoſtium ſuſtinendo inſultus, ſuſcepimus, placere nobis meruerunt: & votis noſtris, obſecundatione fideli, non abſq; variis periculis corporum, & extenuatione rerum, devota ſubjectione ubique & ſemper paruerunt: Horum intuitu, & aliorum contemplatione meritorum, quæ excelſa dona noſtræ munificentiæ non indignè promerentur: volentes etiam, ut benevolentia eorum, fidei affectus, (quos cum tanta ſinceritate, & in filios noſtros, præclaros Principes, Wladislaum & Kazimirum direxerunt: quorum unum, quem aptiorem ad regimen Regni cognoverint, quem noſtris requiſitionibus admoniti, ſibi expletâ vitæ noſtræ periodô, pro Rege, Principe, Domino, & hærede Regni hujus Poloniæ, & terrarum Litvaniæ, & Ruſſiæ, quas Præclarus Princeps Sigiſmundus Kerſtuti, Ma- *Ex Iagellon. Privilegio Ledniæ 1433 Fol. 30.*

gnus Dux Litvaniæ, frater noster charissimus, prout in præsentiarum possidet, & debet ad tempora vitæ suæ possidere, & post obitum ejusdem, ad Nos & filios nostros prædictos, ac coronam, vera & hæreditaria successione devolvi, sicut patentibus literis, ad hoc confectis, est firmatum, devotè & humiliter susceperunt: & corona Regni, sceptrisq; Regalibus, cum solennitate ceremoniarum debita, promiserunt, tanquam verum & legitimum successorem, postquam ætatem integram habuerit insignire) dignis, pro grata vicissitudine R. Celsitudinis muneribus compensentur.

Wladislaus autem tertius, de libera sui electione, ita gratitudinem suam testatur.

Ex Privileg. manu scripto Petric: dato, 1452.

NOs Wladislaus significamus: Quomodo recensentes & in animo revolventes, quanta puritatis affectione, & fidei integræ constantiâ, Prælati, Comites, Barones, Milites, Proceres, Nobiles, Burgenses, cæterique subditi & incolæ Regni nostri, Spirituales & Seculares, personam nostram venerati sunt, atq; dilexerunt: ut tandem, defuncto felicis memoriæ genitore nostro charissimo, Domino Wladislao, Nos, tanquam verum hæredem, & legitimum successorem, ipsis in Regem & Dominum, voluntatibus concordibus assumpserint: sacro quoq; Regni diademate insignierint: Cùm igitur, Altissimo dirigente, votis eorundem incolarum Regni nostri in nostram majestatem deliberatè concurrentibus, paternum hujus sacri Regni Poloniæ nacti sumus solium: dignum eapropter duximus, in ipsos incolas, oculos pietatis nostræ aperire: & eis hanc, quam actu & opere velut athletæ fidelis nobis exhibuerunt, sinceritatis constantiam gratitudine, (uti decet) compensare.

Kazimirus quoq; tertius liberè se esse electum, iisdem verbis testatur.

Ex Privileg. manuscripto Petr. 1470.

NOs Kazimirus, &c. Significamus: Quòd recensentes & in animo revolventes, quanta puritatis affectione, & fidei integræ constantiâ, Prælati, Comites, Barones, Milites, Proceres, Nobiles, Burgenses, cæteriq; subditi & incolæ Regni nostri Poloniæ, Spirituales & Seculares, personam nostram venerati sunt, atque dilexerunt: ut tandem decedente felicis memoriæ genitore, & fratre, nostris charissimis, Regni Poloniæ Regibus, Nos, tanquam verum hæredem, & legitimum successorem, ipsis in Regem & Dominum, voluntatibus concordibus assumpserint: sacro quoque Regni diademate insignierint. Cùm igitur, Altissimo dirigente, votis eorundem incolarum Regni nostri, in nostram Majestatem deliberatè concurrentibus, paternum hujus Sacri Regni Poloniæ nacti sumus solium: dignum eapropter duximus, in ipsos incolas, oculos pietatis nostræ aperire: & eis hanc, quam actu & opere velut athletæ fideles in nobis exhibuerunt, sinceritatis constantiam (ut decet) compensare.

Similiter

Similiter Ioannes Albertus Rex, de sui electione ita scribit.

NOs Ioannes Albertus &c. Significamus: Quòd superiori tempore, Divino Numine, & communi atq; concordi Prælatorum, Baronum, Consiliariorum, & omnium regnicolarum Regni nostri Poloniæ favore, ad regnandum, in hoc inclyto Regno nostro Poloniæ, tunc per mortem divi olim Kazimiri genitoris nostri vacante, assumpti sumus. *Petr. 1496 Folio 92.*

Alexander verò, de sui electione ita scribit.

NOs Alexander, in notitiam deducimus: quia Dei & Salvatoris nostri gratiâ, Regni paterni dominia conscendimus. *1505 Fol. 6*

Idem de se.

IN sacris Majestatis nostræ primitiis, Principes Spirituales & Seculares cæteriq; Prælati, Barones & Regnicolæ nostri, felici nostræ aderant Coronationi: Nosq; post mortem Sereniissimi Regis Alberti, ad hoc inclytum Regnum Poloniæ, Iure electionis liberè, Deiq; Optimi favente clementia, unanimiter elegerunt regnaturum. *Ex manu scripto Privilegio Alexandri.*

Item Sigismundus Rex, consensu omnium sese electum testatur.

NOs Sigismundus Significamus: Quòd paucis ante diebus, omnium Prælatorum & Procerum Regni, imò verò totius Senatus, Nobilitatis, & populi consensu, diadema capiti nostro impositum est. *In Privileg. tempore Coronationis Crac. 1507*

Idem Sigismundus Rex pollicetur, Sigismundum Augustum Regem Poloniæ creatum, cùm venerit ad annos discretionis, Iura confirmaturum.

NOs Sigismundus, manifestum facimus per præsentes, universis: Quia cùm omnes ordines statûs utriusque, tam Spirituales, quàm Seculares, Regni nostri, considerantes horum temporum motus, ac malignitatem: prævenireq; volentes turbas, aut seditiones omnimodas, quæ vacantibus Regnis contingere solent: unanimi consensu elegerunt, & coronaverunt in Regem hujus Regni nostri, Nobis consentientibus, Sereniissimum Principem Dominum Sigismundum secundum, Filium nostrum charissimum: ex spontanea sua voluntate, nobis viventibus, quâ fide & affectu in nos sunt, testatum esse volentes: quemadmodum & antè, in multis aliis magnis & arduis negotiis, ex mera in Nos propensione, & liberâ ipsorum voluntate, grata & utilia Nobis illorum obsequia cognovimus: Nos vicissim, pro eâ observantiâ, quâ Nos & Sereniissimam Familiam nostram prosequuntur: & quam abunde declarârunt in creando Rege ipso Sereniissimo filio nostro, nobis viventibus: eâ videlicet conditione: ut Nos, absq; ullo impedimento ejusdem Sereniissimi Filii nostri

ſtri, donec viveremus, Regno & Dominiis noſtris frueremur, & illis dominaremur) volentes pro talibus eorum obſequiis, nobis utilibus & gratiſſimis, viciſſim eis providere: ut & ipſi, in ſuis Iuribus, Privilegiis, & libertatibus, conſuetudinibuſque approbatis, abſq; ullô detrimentô conſervarentur· polliciti ſumus illis, & præſentibus literis noſtris pollicemur: Quòd quandocunq; ipſe Sereniſſimus Filius noſter, ſive nobis viventibus, ſive etiam poſt mortem noſtram, ad ætatem legitimam, hoc eſt, ad annos quindecim completos pervenerit, tenebitur illis id totum præſtare: quod anteceſſores noſtri, Reges Poloniæ, & Nos ipſi præſtitimus, ex debito, ad quod, ejus Majeſtatem ut Filium & Succeſſorem noſtrum, tenore præſentium obligamus: videlicet quòd jurare debebit, omnia Iura, libertates, Privilegia, literas, immunitates Regni noſtri Poloniæ, Eccleſiaſticas & Seculares, Eccleſiis, ipſi quoq; Regno Poloniæ, ejuſdemq; Prælatis, Baronibus, Nobilibus, Civibus, incolis & quibuſcunque perſonis, cujuſcunq; ſtatus & conditionis exiſtentibus, donatas & conceſſas, per diuos anteceſſores noſtros, Principes, Reges, & quoſcunque Dominos & hæredes Regni Poloniæ, (præſertim verò per divos, Kazimirum antiquum, Ludovicum, Wladislaum avum, Wladislaum patruum, Kazimirum Patrem, Ioannem Albertum, & Alexandrum, Fratres germanos noſtros, patruos verò ſuos, Reges Poloniæ, & per Noſmetipſos, patrem ejus) juſtas & legitimas, manutenere, ſervare, cuſtodire, attentare: in omnibus conditionibus, atq; punctis: & omnia illicitè ab eodem Regno alienata aut diſtricta, pro poſſe ſuo, ad proprietatem ejuſdem Regni aggregare. terminos etiam ipſius Regni Poloniæ non minuere: ſed pro poſſe ſuo, dilatare, & defendere. Et quamdiu hoc Iuramentum Majeſtas ſua non præſtiterit: & huic debito Regio non ſatisfecerit: ipſi univerſi Regnicolæ noſtri, ad tradendam illi poſſeſſionem, & dominium Regni, & ad ſervandum Iuramentum, & ad præſtandam fidelitatem, & obedientiam ſuam, ejus Majeſtati non erunt aſtricti, neq; obligati, verùm quandocunq; ſupradictis omnibus idem Sereniſſimus Filius noſter, in ætate legitima exiſtens, ſatisfecerit: & hujuſmodi debitum Iuramentum præſtiterit: univerſi Regnicolæ & ſubditi noſtri, illi poſt mortem noſtram, uti vero & legitimo Domino & Regi ſuo Coronato, omnem fidelitatem, & obedientiam, & obſequia, ſecundùm Iuramentum à ſe illi factum & debitum ſuum, præſtare & exhibere tenebuntur: Harum teſtimoniô Literarum: quibus, in fidem Sigillum noſtrum eſt appenſum. Datum Cracoviæ, in Conventione generali, Sabbato proximo ante Dominicam Lætare, Anno Domini 1530, Regni noſtri anno 24. Petrus Thomicki, Epiſcopus & Vicecancellarius.

Cavet autem idem Rex: ut Regis electio ſit libera, Conventu ad hoc idem edicto.

Nos

NOs Sigiſmundus, manifeſtum facimus per præſentes univerſis. Quia licèt mos fuerit antiquus, Regni noſtri: ut decedentibus Regibus, & Regno vacante, Domini Conſiliarii ſtatus utriuſq;, captô invicem mutuô conſiliô, Conventum electionis generalem ſtatuerant: & illum omnibus membris, & ordinibus Regni, tempori denuntiarent: & unuſquiſque, qui vellet, ad illum venire poſſit: quia tamen in eligendo Sereniſſimo Principe Domino Sigiſmundo ſecundo, Rege Poloniæ, & Magno Duce Litvaniæ, Filio noſtro chariſſimo, mos ipſe prætermiſſus fuit: non data opera: ſed quòd nobis viventibus, & Regno nondum vacante, magiſq; Divina ordinatione, quàm humanô conſiliô, electio ipſa Majeſtatis ſuæ contigit: Conſiderantes tantam omnium ſubditorum noſtrorum erga Nos, & Sereniſſimam Familiam noſtram fidem, & affectũ, ac obſervantiam: ut hanc ipſam electionem Filii noſtri Sereniſſimi, utcunq; præter veterem conſuetudinem factam, approbaverint & gratam habuerint· nolenteſque, ut per hujuſmodi electionem, aliquid in poſterum mori antiquo derogaretur: Decernimus: Vt deinceps, quotieſcunque Regem decedere, & Regnum vacare, aut electionem quomodocunq; celebrari contigerit, Domini Conſiliarii ordinis utriuſq;, antequam ad electionem procedant, priùs juxta veterem conſuetudinem, Conventum electionis generalem ſtatuant, & illum univerſis regnicolis, & dominiis, in tempore declarent: ac electionem, in eodem Conventu, juxta veterem conſuetudinem celebrent: Harum teſtimonio &c. Datum Cracoviæ, in Conventu generali, Sabbato proximo ante Dominicam Lætare: Anno Domini, 1530. Regni noſtri anno 24.

Similis alia cautela.

IN Nomine Domini Amen. Nos Sigiſmundus Significamus tenore præſentium: Cùm nullius rei nobis cura ſit antiquior: quàm ut Regni noſtri quieti & tranquillitati, non ſolùm quoad nobis vita ſuppeditaverit, verùm etiam (ſi fieri poſſit) in ſempiternum tempus providere poſſimus: Cumq; non minùs ad nos pertinere exiſtimemus ea, quæ in poſterum, Nobis è vita ſublatis, quàmq; ſuperſtitibus accidere poſſint: faciendum putavimus: Vt pro more noſtro, juſtas & æquas preces Nobilitatis Regni noſtri, benignè & clementer admitteremus, quibus à Nobis, ſummô ſtudiô Nuntii illius, ex omnibus Regni ditioniſq; noſtræ territoriis, contenderunt: ut ne qui (ſi quando interregnum eſſe contigerit) novi motus oriri poſſent, Conſtitutione noſtra caveremus, decerneremuſque quemadmodum præſentibus cavemus, Statuimus, & Decernimus: de conſenſu totius Regni Senatûs, & Nuntiorum Terreſtrium, æviternis temporibus obſervandum· Vt ſi quid de Rege Poloniæ factum ſit, eumque ex vita excedere contigerit, ſecundùm veterem morem conſuetudinemq;, & Statuta Regni generalia, Comitia Regni edicantur, ad novum Regem eligendum: fiatq; electio Regis libera, ita ut omnium Re-

gni Senatorum, Consiliariorumq́;, Prælatorum, Baronum, Militum, Nobilium, quicùnq́; Comitia ista obiêrint, eisq́; interfuerint, consensu & voluntate, novus Rex eligatur & denuntietur. Atque ut diplomati huic nostro, tantò major fides habeatur, firmiùsq́; observetur: Signum nostrum illi appendi jussimus. Datum Petricoviæ, in Conventione generali, Feriâ quintâ post festum S. Matthiæ Apostoli proximâ, Anno Domini 1538. Regni verò nostri annô 32.

Rex nisi liberè electus, ne coronetur.

Sigis. Augu. Petr. 1550 IN primis autem de Coronatione Regum Poloniæ ita providimus, & constituimus. Quia nemo ad Regnum coronari debet: donec priùs ab omnibus ordinibus Regni, liberè, juxta Privilegia Regno Poloniæ à Regibus data, electus fuerit.

Si Rex Poloniæ sine prole decesserit: Poloni sine Litvanis Regem ne eligant.

Ex Privileg. Prælatorum Litv. 1401. Fol. 129. PRælati, Barones, & Nobiles Regni Poloniæ, Rege Poloniæ sine liberis & Successoribus legitimis decedente, Regem & Dominum non debent sibi ipsis eligere, sine scitu & consilio nostro: videlicet Alexandri, Magni Ducis, Baronumq́; & Nobilium terrarum Litvaniæ prædictarum, juxta tenorem & contenta priorum literarum.

Ex eodem Privilegio Folio 129. § SIMILIS. Illo etiam non omisso: Quòd si Wladislaus Rex prædictus (quod Deus avertat) sine prole decesserit: extunc sine scitu, & consilio ejusdem Domini Ducis Witowdi, & nostro pariter, Principes Prælati, Barones, Nobiles, & communitas terrigenarum Regni Poloniæ prædicti, sibi Regem & Dominum non debent eligere, seu locare, cum quibus firmam; mutuam, & constantem servantes assistentiam, in dulcedine Fidei, & visceribus Iesu Christi, perpetuam & irrevocabilem tenebimus unionem.

Ex Privileg. Litv. Vilnæ Fol. 131. § SIMILIS. Et vice versa Prælati, Barones, & Nobiles Regni Poloniæ, Rege præfato (quod absit) sine liberis & successoribus legitimis decedente, sine scitu & consilio Illustris Domini Alexandri, aliàs Witowdi, Magni Ducis Litvaniæ. (si superstes remanserit) & nostro, eligere non debebunt. Vt autem corroborationis, & cautelæ uberioris, omnia præmissa accipiant firmitatem: fecimus Sigillorum nostrorum munimine roborari. Actum in Oppido Hrodlo, circa flumen Bug, in Parlamento seu Congregatione generali, die secundâ Mensis Octobris: Anno Domini 1413.

Ex eod. Privile. 1409. Fol. 231. § SIMILIS. Defuncto Rege Poloniæ, præfati Prælati & Barones Regni Poloniæ, sine scitu & consilio Prælatorum & Baronum Magni Ducatus Litvaniæ, ad electionem novi Regis non procedant: sed pariter cum Prælatis & Baronibus Magni Ducatûs Litvaniæ, si vocati tempo-

tempore congruo voluerint, Regem & Dominum eligent. Quibus ita (ut præmittitur) stantibus, & in posterum observandis, de certa scientia omnium aliorum Prælatorum, Baronum, Procerum, & Nobilium Magni Ducatûs Litvaniæ, fratrum nostrorum, Inscriptionem præinsertam Prædecessorum nostrorum suscepimus, ratificamus: suscipimusque, & confirmamus per præsentes: obligantes nos nostris nominibus, ac vice omnium Prælatorum, Baronum, Procerum, & Nobilium Magni Ducatûs Litvaniæ, bona fide, in verbo nostro constanti & fideli, omni dolo, fraude, & colore semotis: promittimusque, pollicemur, ac vovemus, & nostri Iuramenti præstiti onere & ministeriô strictiùs nos obligamus: ipsam præinsertam Inscriptionem, cum reformatione ac declaratione articuli, De electione Serenissimorum Dominorum nostrorum, (ut præmittitur) in omnibus articulis suis, clausulis, punctis, & sententiis, firmatam tenere, perpetuòq́; & inviolabiliter observare.

Rex electus, à nemine, præterquam ab Archiepiscopo Gnesnensi Coronari debet.

ET imprimis de Coronatione Regum Poloniæ, quemadmodum constituimus: Quòd nemo in Regem Poloniæ Coronari debeat: donec unanimiter, secundùm Leges & Privilegia Regni, ab omnibus ordinibus Regni electus sit. Qui quidem unanimi consensu electus, à nemine alio Coronari debet: præterquam à Reverendissimo Archiepiscopo Gnesnensi, secundùm Privilegium: quòd Archiepiscopo, per Kazimirum tertium, Regem Poloniæ, illi est concessum: in anno Domini 1451,

ECCLESIA. Vide in Titulo SPIRITUALIS.

EMPORIVM.

De Emporiis Civitatum.

QVanquam postulati fuimus à Nuntiis terrarum: ut Civitatum Emporia, aliàs *Sklady*, tollerentur: attamen quia civitates, quæ ea ipsa emporia seu depositoria à majorbus nostris habent, Iure Privilegiorum habere eadem videntur: quæ quidem Privilegia ejsdem tenere juravimus: atq́; idcirco hoc responsum Consiliariis nostris, & Nuntiis terrarū dedimus: Quia contra Iusjurandum nostrum, nullius literas & Privilegia frangere & mutare possumus, & nolumus, nisi fortasse illorum, ad id accedat consensus. *Sigis. Crac. 1543.*

De eisdem Emporiis.

QVia ordo Equestris quæritur, sese gravatum Emporiis. Ideo Cives debent reponere Privilegia sua, & literas, in Comitiis futuris, super eadem: & ibidem, quod quidem justissimum intellexerimus: hoc ex nostro Senatusconsulto faciemus. *Sigis. Aug. Petr. 1550*

EQVVS.

Equi, ne extra Regnum pellantur.

Sigiſ. Petr. 1538. INterdictum eſſe volumus omnibus & cuilibet: ne quiſpiam audeat greges equorum, ſeu equireas, extra Regnum noſtrum, ad externa dominia depellere: ſub amiſſione equorum ejuſmodi, & pœna noſtra Regia.

De equo, in accommodatione læſo.

Kaz. Mag. Vislic: 1368 Fol. 21. NIcolaus depoſuit querelam contra Matthiam: Quòd licèt ſibi equum ſuum ſanum, ad certam viam, tanquam amico accommodaſſet: tamen Matthias eundem equum reſtituit ſibi claudicantem. Matthias verò reſpondit: bona fide eundem equum tanquam proprium equitaſſe, & ſervaſſe: nec ſcire, unde ſibi veniret talis læſio. Nos autem in tali caſu Declaramus: prædictum equum, intra duas ſeptimanas quietè, & abſq; labore, per eundem Matthiam obſervandum, qui equus, ſi intra tempus prædictum non convaluerit: extunc pro eodem equo, prout poterit, amicabiliter ſecum componere teneatur.

Equi ne educantur.

Sigiſ. Augu. Petr. 1550. EQui per mercatores, vel Judæos, educi non debent, quicunq; educere vellent, per Capitaneos detineri debent: qui hoc diligenter cuſtodire debent: juxta decretum Statutorum antiquorum.

§ De equis obligatis: Vide in Titulo, IUDÆI.

Equi ex Regno, in alias regiones educi non debent.

Sigiſm. Auguſt. 1557. UT equi ex *Regno* non educantur: Capitanei locorum diligenter providebunt. Qui verò expellere vellet: huic Capitanei, ſeu Teloneatores, eoſdem equos accipere debent, Si verò aliquis ex Capitaneis ſeu Teloneatoribus, equos ſciens, expellere ex Regno, permiſerit: talis ſolvet pro pœna ducentas Marcas. Quòd ſi verò notarius Teloneatoris, idem facere præſumpſerit: duodecim ſeptimanas in turri ſedebit. Iudæis etiam revendere equos prohibemus. Quòd ſi verò id aliquis facere auſus fuerit: talis per Capitaneum capi debet, ac equi illius accipiantur: ipſe verò ſuſpendatur, ſine omni tergiverſatione.

Equi, qui ad Nundinas pelluntur, non vendantur in viis.

Sigiſm. Auguſt. 1557. EQui, qui ex Vngaria, ſeu ex aliis partibus pelluntur ad Nundinas, in viis non vendantur, tantummodo in Nundinis. Et Capitanei liberam emptionem impedire non debent Nobilibus, nulla ratione: ſub pœna centum Marcarum, pro qua ad *Regiam* Majeſtatem, ſeu Officium Caſtrenſe, citari debent: & in termino peremptoriè controverti debent,

bent, atq; pro pœna ſatisfacere. Cujus quidem pœnæ medietas S *R.* Majeſtati, & alia medietas parti, cedere debet.

EVICTIO.

Evictiones in criminalibus.

Kazim. Magnus Vislic. 1368. Fol. 13. COntingit etiam, quòd dum aliqui pro quibuſdam criminibus & delictis, ad noſtram audientiam evocantur, nominant Dominos, & quoslibet ipſorum ſuperiores: allegantes, Quòd autoritate, & mandato ſuorum Dominorum, & ſuperiorum, hujuſmodi crimina & delicta commiſſerunt: verumtamen quamvis aliquibus temporibus contra rationem fuerit obſervatum: quia hujuſmodi malefactores, per eandem nominationem, à pœna liberabantur: quæ nominatio continet in ſe errorem intolerabilem: ex eo, quòd directè contrariatur præcepto Divino: Proinde nos attendentes, quòd peccata teneant ſuos tantummodo Actores: & ſecundùm Canonicam æquitatem, nominatio in delictis non vendicat ſibi locum: nec liberat delinquentem, oſtenſio authoris delicti: Statuimus, quòd citati pro quibuslibet delictis & criminibus, in noſtro Iudicio Iudicentur, & reſpondere teneantur: & convicti, debitâ pœnâ puniantur: non obſtante prædicta qualibet nominatione: etiamſi ſuper hoc Privilegiis Noſtris, vel noſtrorum Prædeceſſorum eſſent communiti, quæ quantùm ad hoc, tanquam pernicioſa, & erronea, caſſamus, irritamus, & revocamus.

Evictio conceditur: ſi is, qui evincit, præſentem ſe ſiſtit: & continuò reſpondet.

Kazim: Magnus Vislic. 1368 Fol. 38 QVotieſcunque in Iudicio, in cauſis criminalibus, ſeu quibuſcunque aliis magnis & parvis, quiſpiam conventus fuerit: qui Dominum aut criminis auctorem nominaverit: aut ſocium, ejuſq; mandatô ſe feciſſe affirmaverit: & ille tunc principalis veniens ad Iudicium ipſum liberabit, aſſerens ipſum id feciſſe ſuô mandatô: Statuimus: Quòd ille citatus, liberè à Iudicio diſcedere poterit: actioq; hujuſmodi dirigi debebit, contra Dominum, & criminis auctorem, qui protinus & ex continenti reſpondere tenetur: aliàs, primus ille qui citatus eſt, reſpondere compellatur.

In hæreditariis quæſtionibus, Evictio quomodo fiat.

Kazim: Magnus Vislic. 1368. Fol. 13. INhæreditariis verò, & aliis quibuslibet quæſtionibus Citati, & in noſtro Iudicio nominati, tales ſi noſtram juriſdictionem declinare voluerint, nolentes eaſdem quæſtiones in ſe recipere: Decernimus, quòd ex tunc prædicti Citati, cujuſcunq; ſtatus & conditionis exiſtant, habeantur pro convictis, at ſi ex munimentis, in termino ab reo productis apparet: eum poſſe habere Evictorem: vel etiam in quavis alia cauſa, pro-

Conſvetudo

vocaret quis ad ipsum Evictorem, sibi in genere similem: ad conveniendumq; illum, dari sibi peteret Dilationem: eadem Dilatio detur ipsi: idque ad terminos, per unos terminos, ad conveniendum scilicet ipsum Evictorem. Qui quidem nisi personaliter se, coram illo Iudicio, in termino legitimo sistat: & onus causæ, seu Citationem in se recipiat: in reum actio est dirigenda. Quòd si etiam Evictor Citationem recipiat: Actor tamen principalem non obmittit, si videlicet Evictor non fuerit solvendo judicato,

§ Iudæus si non sistit Evictorem, suspendatur. Vide in Titulo, IUDÆUS.

EVOCATIO DE DISTRICTV.

Evocator punitur, & forum Rei sequatur.

Ioan. Alber. Petricoviæ Fol. 97. AD Iudicia, seu terminos, si aliquis de proprio districtu, in alium se evocatum quereretur: extuc evocans decernatur puniendus sex Marcarum pœnâ per medium & Iudicio & parti evocatæ solvendâ, & insuper evocatus, cum adjudicatione pœnæ, ad proprium remittatur districtum.

Sigis. Augu. 1550. § SIMILIS. Tametsi hoc Iam sit Iure communi descriptum: attamen & nunc Statuimus: Quia nemo quenquam debet evocare ad ullum Iudicium, pro causa: quæ quidem ad illud Iudicium non pertineret: sub pœna, in Statuto descripta.

Ne quis evocetur: præter Regiam & Officij causam.

Sigismundus Petri. 1511 Folio 18. ITem Statuimus, ne quis audeat quempiam extra districtum suum evocare: præter Regiam & Officij causam, quæ non habet districtū. Contrarium faciens, quatuordecim Marcarum pœnâ puniatur.

§ Proprio districtui renuntians, ibidem iudicandus. Vide in titulo RENUNTIATIO.

Ne quis Secularis, pro causa ciuili, ad forum Spirituale euocetur: nec contra.

Bodzanta Episcopus 1369. Folio 57. PRæterea volumus: Quòd Laici deinceps pro debitis, & in alijs causis Ciuilibus, per Clericos, ad forum Ecclesiasticum non trahantur. nisi fortè causa sit Spiritualis, vel Spirituali annexa: aut debitum fuerit Decimale.

Alexan. in Radom. 1505. Fol. 117. § SIMILIS. Quamuis in antiquioribus Statutis & Priuilegijs constat vetitum esse: ne Spirituales Iudices arrogent ipsius causarum Secularium judicandi facultatem: tamen cùm clamore communi pulsaremur: quia non obstantibus Constitutionibus antiquis, Seculares personæ plerùmque evocantur ad Spiritualia Iudicia, pro negotio Seculari: Quapropter Decernimus, & Statuimus: Quòd Iudices Spirituales, Seculania Iudicia non exerceant: neq; judicent in futurum. SIMI-

§ SIMILIS. Concordiam, quæ mater incrementi est, conservare volentes, inter Spirituales & Seculares personas, prohibemus deinceps: ne Seculares personæ sexûs utriusq;, Iudiciis Spiritualibus se implicent: pro re Seculari, vel debito contracto, vel contrahendo, nec aliquis Secularis Seculare, pro re merè Seculari, in Ius Spirituale cõvenire audeat. *Sigis. Crac. 1510. Folio 11.*

§ SIMILIS. Vt ordo debitus, in Iuribus & Iudiciis observetur: & temeritas nonnullorum, in vocandis hominibus ad Iudicia impertinentia, coerceatur: Statuimus, quòd Secularis, Secularem, ad forum Spirituale, pro re merè Seculari citans, aut actioni suæ, personæ Spirituali cedens, pœnâ 28. Marcarum puniatur, cujus media pars Nobis, altera parti adversæ cedet. Quæ quidem pœna Iudicio Castrensi repetetur. Pœna verò, contra Spiritualem evocantem, Secularem, pro re ad forum Ecclesiasticum non pertinente, in Synodo generali proximâ constitui debebit. Et interim Domini Episcopi Officialibus suis committere, & providere tenebuntur: ut Seculares personæ, ad Iudicium Spirituale, pro re merè Seculari, non evocentur. *Sigis. Petr. 1519. Fol. 21.*

EXEMPTIO BONORVM.

§ Pro exemptione bonorum Notarius judicet. Vide in Titulo; NOTARIUS. *Sigis. Crac. 1543.*

Camerarii cum Notariis judicent pro exemptione bonorum: juxtà Statutum: etiam si id fieri, intra tempus Comitiorum Regni contingat.

De authoritate Notarij & Camerariorum, absente Iudice.

EAndem authoritatem, in absentia Iudicis & Subjudicis, habituri in causis Citationumq; terminis, pro bonorum exemptionibus præfixis: sic ut reempturus bona, pecunias coram Notario, & Camerariis reponet, quàm Notarius ipse, cum Camerariis, decernat recipiendas: & exemptionem faciendam. Quorum decreto si fortasse reniteretur eximendus: & de obligatione cedere nollet: nihilominus ipsi cum libro, Iudicio præsidentes, pecuniis juxta tenorem obligationis receptis, ad Cãcellariamq; terrestrem repositis, decernant exemptionem factam: ità quoq; exempti possessionem assignandam: eamq; juxta formam Iuris assignabunt parti, pecunias reponenti. *Ioan. Alber. Fol. 98.*

Exemptio bonorum hæreditariorum.

SI quis ad Iudicium citat aliquem, pro hæreditate, aut pecunia obligata: & ipsum ad Iudicium evocavit: & si tunc reus in termino peremptorio non parebit: Actor lucrabitur nominatam pecuniam, aut hæreditatem, pecuniâ nihilominus restitutâ. *Kazim. Vislic. 1368.*

§ Pro exemptione bonorum, in Majore Polonia, ad Officium seu Iudicium Castrense citari potest, Vide in Titulo, OFFICIUM CASTRENSE.

§ De exemptione bonorum Regalium, Vide in Titulo, BONA REGALIA.

EXCEPTIO.

Sigiſmundus Crac. 1543. Cùm jam ſuper Citationem, Adcitationem, ſeu Concitationem ad ſatisfaciendum partes controvertunt: tum ſi aliqua partium, ab Iudicio poſtularet: poterit ab Iudicio, ad partem cum advocatis ſeu amicis ſuis, ad conſilium ſecedere: idq; Propoſitione Actoris exaudita. Interea verò aliæ cauſæ, in Iudicio peragi poterint: ita tamen, ut rurſus ex illo conſilio redeundo, reſponſionem faciat Citatus.

EXCOMMVNICATIO. Vide in Titulis, SPIRITUALIS & PRIVILEGIUM.

EXPEDITIO IN BELLVM Vide in Titulo, BELLUM Fol. 24.

EXPECTATIVÆ.

Expectativæ, Iurapatronatus, & ſolida caſſantur.

Sigiſ. Augu. Petr. 1550 QVia multum Expectativarum, Iuri communi contrarium, vivente ſanctæ memoriæ Sereniſſimo Parente noſtro, tum etiam nobis ad gubernacula Regni ſedentibus, datum eſt: aſſentientes poſtulationibus Nuntiorum Regni, & conſilio Conſiliariorum noſtrorum, omnes expectatiuas, tam tempore Sereniſſimi Patris noſtri, quacunq; ratione & reſpectu contra Ius commune datas, ſimiliter etiam & ſolida, alias communes poſſeſſiones, præterea & Iurapatronatus, quæ ſibi Spirituales in certas perſonas expedire ſolent, deſtruximus & caſſavimus: Sic quòd nullam vim habere debeant. Nos verò, neq; Poſteri noſtri eas concedere debent, tamen Advitalitates, & conſenſus omnes, ſecundùm Statutũ: in robore conſervamus: qui quidem Iuri communi non ſunt contrarij.

EXPVLSI QVOMODO RESTITVANTVR IN BONA. Vide in Titulo, RESTITUTIO IN BONA.

EXTINCTIO CANDELÆ. Vide in Titulo, VULNUS.

FACTOR.

Factorum, cum rebus venditit ijſq; euntium Iuramenta.

Alexander Petricoviæ 1504 Fol. 114. CVM frumentis, & ſtruibus, vel alio mercaturæ genere navigantes, non minus ſolvere debeant telonia: ut ea ſolvunt terreſtri itinere negotiantes, & tam iſti, quàm illi, Iuramenta præſtabunt in locis teloniorum: Quòd res & merces, non ſunt emptæ lucri gratiâ: ſed per eos, de propriis collectæ. A quibus propriis ſit liber quilibet Spiritualis, & Secularis: ſive terrâ, ſive aquâ, merces proprias ſui laboris, ſeu domeſticas, ducerent. Conſtitutiones enim teloniorum, tam novæ, quàm antiquæ, ad mercatores tantummodo, ſive nobiles ſive ignobiles, Spirituales & Seculares, referuntur. Hæc autem Iuramenta, factores curruum ſeu Navigiorum, vel ſtruum, & ſcapha-

ſcapharum, præſtituri erunt, in abſentia Patronorum ſeu Dominorum ſuorum.

§ SIMILIS. Telonium autem aquaticum, ſolvendum per Nobiles, juxta Statutum antiquum relinquimus, ut videlicet frumentum dutens per ſe, vel factorem ſuum, juret: Quòd cum frumentis proprii laboris navigat. Et hoc Teloneatores obſervabunt, pœna ſub noſtra. *Sigiſ. Crac. 1510. Fol. 10.*

§ SIMILIS. Item Statuimus: (id, quod etiam antiqua Conſtitutione eſt cautum) Ne Regni noſtri Nobilitas, à frumentis & rebus, proprio & domeſtico labore quæſitis, ad ulla telonia noſtra ſolvenda ſit obligata: à quorum ſolutione ipſam liberam eſſe volumus. Hoc tamen proviſo: ne dolus & fraus, cuiquam in hac parte patrocinetur. *Sigiſ. Petr. 1511 Fol. 171.*

Factoris ſemel jurati literis credatur.

NOlentes gravari ſubditos noſtros minus neceſſariis Iuramentis, (quibus etiam nomen Salvatoris noſtri, quadam contumeliâ affici videbatur) Cùm in ſingulis teloniis aquaticis fluitantes jurare cogerentur. Eas res vel merces, quas fluitione demitterent, eſſe eorum laborisproprii: Decrevimus, & Statuimus, Conſiliariis, & Nuntiis terrarum Regni noſtri petentibus, & conſentibus: Vt cum aliquis, cum rebus & mercibus fluitans, vel illius ſervitor Nobilis, juraverit in primo telonio Capitali, Res & merces Domini ſui exiſtere: ejuſq; Iuramenti literas ſignificatorias, ſub titulo & ſigillo, vel ex Actis illius Officii, ubi juraverit, exhibuerit: in aliis teloniis jurare non teneatur: ſed illis literis ſignificatoriis ubiq; ſtetur, & fides adhibeatur. *Sigiſ: Crac; 1540;*

FALSATOR.

Qui alieno nomine falſas recognitiones facit.

QVia impunitas, magnam dedit hominibus ad malum propenſis, ad falſitates & colluſiones admittendas, audaciam: ut non vereantur, per ſummiſſas & ſubornatas perſonas, ut in Iudiciis, aut apud libros Terreſtres, certas recognitiones facerent: nomine earum perſonarum, quas ſæpe contingit abeſſe longiùs à loco Iudicij: & procurare in detrimentum & perniciem ignorantium: Quam licentiam refrenare volentes, Statuimus: ut omnes tales, ubi ſufficienti teſtimoniô convicti fuerint, pœnâ Statuti, de invaſione domûs expreſſâ, puniantur. *Sigiſ Crac. 1538. C 3.*

§ De falſa Citatione, Vide in Titulo, CITATIO Fol. 70.

§ Falſarii monetæ, quâ pœnâ puniantur? Vide in Titulo, MONETA

FOENVM.

Fœni demeſſor probet, ſe emiſſe.

BArtholdus depoſuit querelam contra Andream: quòd pratum ipſius falcaſtraſſet, & gramina abſcidit: Andreas licèt ſit confeſſus, prædi- *Kazim. Magnus Vislic. 1368. Fol. 29.*

prædictum pratum se falcastrasse: tamen adjiciendo proposuit, quòd idem pratum Wladarius Bartholdi, pro certa pecunia sibi falcastrandum vendidisset: & pro eodem prato, pecuniam idem Wladarius recepisset: quem tamen mortuum asserebat. Nos autem considerantes confessionem prædicti Andreæ, & mortem ipsius Wladarii, in tali casu Decernimus: eundem Andream probare, prædictam prati emptionem, & solutionem, taliter ut præmittitur esse factam.

Fœni currus, vi raptus, quanti?

Kazim. Magnus Vislic. 1368, Fol. 28. ITem pro curru fœni, violenter recepto, damnum inferens solvat huic, cui abstulerit, tres scotos, cum pœnâ *Piatnadzieśta*: & pari modo, Iudicio, seu Iudici, prædictam pœnam, in cujus jurisdictione hoc perpetratur, idem perpetrans solvere teneatur.

De depastore ac demessore fœni.

Kaz. Mag. 1368. Folio 38. PRæterea Statuimus: Quòd si quis, in alterius villa vel possessione, in lacu, piscina, in aqua fluenti, in fœno, in frumento, ac in campis furtum fecerit: Iudiciò convictus, damnum passo satisfacere, & Domino villæ, in qua hujusmodi furtum commissum est, ipse fur pœnam solvere teneatur. Depascentes verò & incidentes gramina cum falce, in tunica vel pallio impignorentur.

FERA ACTA.

Fera acta, vel canes, ne vi capiantur.

Wladislaus Iagello Cracov. & Varsæ 1423. Fol. 47. STatuimus: Quòd si quis cervum, aprum, aut onagrum alterius agitatum, vel captum, vi aut occultè aut canes alienos ceperit, aut rapuerit: & pro se usurpaverit: talis usurpans, pro ferinis, seu canibus, tres Marcas pro pœnâ: & alias tres Marcas illi: cujus fera fuit, solvere sit astrictus.

FIDEIVSSOR SEV FIDEIVSSIO.

Fidejussor convicto debitore Iudicialiter, det ejus pignus creditori.

Kaz. Vislic. 1368. Folio 38. QVia ex facilitate obligationis, ad magna damna plerùmq; homines deveniunt, jure tenendum est: Quòd si quis fidejussit pro aliquo suo amico, pro certa pecuniæ quantitate, alicui civi, vel alteri cuicunque, cujuscunq; status vel conditionis existat: illo tunc non solvente, in termino adveniente & statuto, fidejussor non debet propter hoc, ad hospitium in obstagium subintrare: aut aliqua damna facere, non solventis in destructionem. Sed si est parvum debitum: detur ei pignus, & distrahatur. Si autem magnum: possessio debitoris, pro valore debiti, per fidejussorem apprehendatur: tradatq; illi, cui debitum dare tenetur.

Villanus

Villanus non pignoretur pro fidejussione Domini.

EX Iure Divino debet observari: quòd iniquitas unius non debet alteri obesse. Hôc Statutô igitur ordinamus: quòd pro pœnâ, obligatione, aut fidejussoria cautione Militis, aut superioris alterius cujuscunq;, Kmetho vel subditus non debet impignorari: vel quovis modo astringi, sed si Miles, aut quivis alius, aliquo & quocunque debito, aut obligatione, vel fidejussione sit astrictus, & obligatus: ille de suis propriis bonis & rebus, prout æquum est, solvat & satisfaciat creditori. *Kazim. Vislic. 1368. Fol. 38.*

Si fideiussor dicat solvisse creditori.

NIcolaus Matthiæ mutuavit decem Marcas: pro quibus Matthias Laurentium fidejussorem dedit· & post aliquot dies, idem Matthias debitor ipsi Nicolao creditori, in absentia Laurentii fidejussoris, eandem pecuniam exsolvit: & ut debuit, restituit. Tempore verò procedente, prædictus Nicolaus creditor Laurentium fidejussorem præfatum traxit, pro dicta pecunia, ad Iudicium, seu ad causam. Et quia idem fidejussor, in Iudicio constitutus asserebat prædictam pecuniam per Matthiam debitorem principalem fuisse persolutam: Nos in tali casu Decernimus, probandam factam solutionem *Kaz. Vislic. 1368. Folio 29.*

Fidejussor convincit principalem variò modò, pro varijs summis.

PRæterea Statuimus: Quòd quilibet fidejussor, illo negante, pro quo fidejussum fuerit, si debitum fuerit 20 Marcarum, solus: si verò fuerit 40, metsecundus: in majori verò pecuniæ quantitate, mettertius, ipsum debitum, pro quo fidejussum fuerat, fidejussor & duo alii firmabunt propriis Iuramentis. *Kaz. Vislic. 1368. Folio 38.*

Fidejussor bovem vel equum sui principalis, obligare non potest.

ETiam decernimus: quòd nullus fidejussor, pro illo, pro quo fidejussit, in Iudicio equum vel bovem obliget, aliàs, si obligaverit: ad restaurationem damnorum, principalis debitor procedet: si præsertim processerit de ejus voluntate. *Idem Fol. 38*

Fidejussionis verbalis præscriptio.

SÆpè fieri edocti sumus multas contentiones, & controversias exoriri inter subditos nostros, ex eo· quia fuit incertum, quoad robur habitura esset cautio verbalis, per fidejussores verbo tenus facta. Volentes igitur eam dubietatem declarare, Statuimus, Consiliariis & Nuntiis terrarum ita petentibus & censentibus: ut hujusmodi fidejussiones, verbo tenus factæ, pro rebus, seu summis, & contractibus quibusvis, non ulterius robur firmitatis obtineant: duntaxat per unum annum & sex septimanas, quibus currentibus, hujusmodi fidejussiones, per illosmet- *Sigis. Crat: 1540.*

ipsos fidejussores, ad Acta Terrestria, Castrensia, sive nostra Regalia inferantur: aut coram nobis recognoscantur. Tunc enim sic ingrossatæ, robur debitæ obtinebunt firmitatis: secundùm terrarum, & Iurium Castrensium consvetudinem.

§ Qui pro rebus, ludô taxillorum amissis fidejubet, ad solutionem adigi non potest. Vide in Titulo, LUDUS TAXILLORUM.

§ Qui fidejubet pro filio non emancipato, aliquid ludô perdente, ad satisfactionem minimè cogendus. Vide in Titulo, LUDUS TAXILLORUM

FILIVS.

§ Filius non emancipatus si ludendo quippiam amittit: Pater ad solutionem non tenetur. Vide in Titulo, LUDUS TAXILLORUM.

§ Pater pro scelere filii non tenetur, Vide in Titulo, PATER.

§ Filii, moriente Matre, maternalia bona à Patre non priùs repetant: quàm aliam uxorem duxerit. Vide in Titulo, PUPILLI.

Filio illegitimo matris vagabundæ caput est solvendum.

Kazim. Magnus Vislic. 1368. Fol. 22.

LAurentius conqueritur de Martino: quòd sibi matrem interfecit. Martinus respondit: quia Laurentius non fuit de legitimo Patre sive toro procreatus: & asserebat eum esse filium vagabundæ mulieris. Nos in tali & simili casu, caput matris exsolvendum, & obtinendum decernimus.

FILIÆ QVÆ HÆREDITANT.

Wladislaus Iagello Cracov. & Varsæ 1423. Fol. 43

VT viam dubiis præcludamus: Interdum contingit, filias post obitum Patris, carentes fratribus germanis, in bonis hæreditariis remanere: quas solent Patrui, vel amici proximiores, nomine tutorio observare in hunc finem: quod ipsas, quibuscunq; conditionibus, sive pactis, de hæreditatibus excludant: volentes ipsis pecuniam, cùm maritantur, assignare. Eisdem igitur de nostra clementia providere cupientes, Statuimus deinceps: Quòd si mariti earum, taliter pecuniis à patruis, aut amicis, vel tutoribus receptis, ex pacto de non receptione bonorum ipsas concernentium astrinxerint qualitercunque: sive per fideiussoriam cautionem, vel alio quocunq; modo, tale pactum intervenerit: aut aliquis fuerit astrictus: illud Decernimus irritum fore, & inane: utq; præfatæ filiæ redeant, ad earum hæreditarias portiones: non obstantibus pactis, aut cautionibus quibuscunq; sed sponte præfatæ filiæ, bona sua hæreditaria (si ipsis placet) vendendi, ut antea, habeant facultatem, & omnimodam potestatem.

§ Filiæ Kmethonum impossessionatorum, cum possessionatis maritis manere debent. Vide in Titulo, KMETHO.

§ Reliqua de Filiabus, Vide in Titulo, VIRGO.

FI-

FISCVS.

§ Nullius Nobilis bona confiscari debent, nisi Iure victi. Vide in Titulo: NOBILIS.

§ Nemo evocare quempiam post Curiam, nisi pro re Fisci, debet. Vide in Titulo, BONA REGALIA. Fol. 45.

§ In redemptione bonorum Fisci, qualiter literæ revidendæ. Vide in Titulo: BONA REGALIA. Fol. 45.

FORA SEV TARGI.

In foro, prohibitiones ne sint.

ITem quoniam in emptionibus, & venditionibus rerum, æqualitas est servanda, Statuimus: ut Civitates nostræ & omnes aliæ, non faciant prohibitiones in foris, pro utilitate sua, & incommodo aliorum, aliqua signa in foro prohibitionem d signantia extendendo: sed unicuique ad forum venienti, liberum sit vendere, & emere rem suam, ad placitum suum. Quòdsi ipsi cives contrarium fecerint: habeat Capitaneus noster ipsos puniendi, in pœnâ trium Marcarum, facultatem.

Kaz. 2. in Nessowa & Opoki 1454 Fol. 95.

In villis, fora non exerceantur.

ITem cùm Christianis, Iura Regni, mercaturas & fora in villis facere, prohibeant: multò minus hoc Iudæis licere censemus, imò sub gravissimis pœnis, ne talia audeant, eis interdicimus, & prohibemus: sub amissione rerum omnium, iuxta antiquum Statutum, confiscandarum.

Sigismundus 1538. B 1.

Ne mercata fiant in villis: & pœna secus facientium. Negotiatores etiam viis publicis eant.

PRovidere volentes indemnitati oppidorum, & eorum subditorum, in quorum præjudicium, mercata in villis fieri consveverunt, Statuimus & decernimus: Vt Capitanei locorum, mercata in villis, per publicas proclamationes, exerceri prohibeant: & maximè; ne in villis, & cæteris locis, quibus fora ex Privilegio non sunt concessa, ulnis & talento, fiat rerum venditio. Secus facientes, per rerum venditioni expositarum receptionem, puniantur, exceptis, frumento, pecoribus, pecudibusque. Ipsi etiam Capitanei prohibituri sunt negotiatoribus: quòd nonnisi viis consvetis, & publicis stratis, telonia & publica loca non declinando, vadant: sub rerum, quas per obliquas vias vexerint, privatione.

Sigismundus 1507 Fol. 7.

Pauperes & bajuli, extra Regnum etiam ad Fora & molendina proficiscantur liberè.

LIceat verò hominibus pauperibus, & in ipsis Regni limitibus constitutis, molere frumenta sua, in molendinis sibi vicinioribus, etiam ex-

Sigis. Cracov. 1540

tra fines Regni noſtri ſita: poſſintq; liberè ire ad fora civitatum, & oppidorum vicinorum, Regno noſtro non ſubjectorum: ad eaq; inferre tantùm carnium, & aliarum venalium: quantùm humeris, ſeu lacertis propriis ſuſtinere, & portare poſſit.

Foralia non exigantur.

Sigiſ: Petr: 1523. Fol: 29. FOralia etiam, juxta antiquam conſvetudinem & Statuta Regni, non exigantur à Nobilitate & eorum ſubditis: cùm frumenta, & res ſuas domeſticas, ad victum ſpectantes vendunt: aut etiam emunt aliquid, pro uſu ſuô domeſticô.

Revenditores Foralia ſolvant.

Ibidem: QVicunque ad revendendum aliquid emunt in civitatibus, vel oppidis: illi Foralia ſolita, & licita, ſolvere tenebuntur. A rebus verò menchanicis, quas ſubditi Nobilium ducunt ad Civitates & oppida, ut puta rotis, ſcutellis, cantharis, & aliis id genus, Foralia moderata accipiantur juxta antiquam conſvetudinem.

§ Reliqua de Foralibus, ex Nobilitate eorumq; ſubditis non exigendis. Vide in Titulo, TELONIUM.

§ Dominus ſi exactorem ſuum non ſtatuerit coram Iudicio: pro eo ſatisfacere teneatur. Vide in Titulo, TELONIUM.

FORMVLÆ INSCRIPTIONVM. Vide in Titulo, INSCRIPTIO.

FLVMEN.

Ad uſum Fluviorum, qui bona Regelia diſterminant, vicini admittantur.

Sigiſ. Crac. 1507. Folio 4 NE graventur ſubditi noſtri viciniâ bonorum noſtrorum, per Capitaneos, Statuimus: Vt cùm fluvius aliquis, noſtra & eorundem ſubditorum bona diſterminat, quæ ipſius fluminis ripis utrinq; adjaceant: liberè admittantur iidem ipſi ſubditi noſtri, ad uſum ejuſdem fluminis: juxta latitudinem bonorum ſuorum adjacentium.

Ne quid in fluminibus publicis navigationem impediat.

Kazim. tertium 1447. Fol. 90. INter cæteras Reip: bl. curas ſolicitat mentem noſtram vehementiùs: ut ſingulas è Regno noſtro damnoſas obſervantias, & abuſus evellamus: & quæ incrementum Reipubl. adjiciunt, plantemus. Sanè etſi flumina noſtra Regni noſtri Poloniæ *Wiſła, Niepr, Styr, Narew, Wartá, Dunájec, Wiſłoká, Bug, Buki, Wieprz, Tyſzmienicá,* & *San, Nida, Proſna*, & quæcunq; alia in Regno noſtro conſiſtentia, cum ſuis alveis Regia noſtra ſunt: nec poſſit illa quiſquam Iure privato vendicare: plures tamen numerô, obſtaculis & ſepibus clauſerunt mercatoribus per illa tranſitum: pluris æſtimantes capturam piſcium, quàm bonum publicũ, & abun-

& abundantiam rerum neceſſariarum. vnde ſolenni deliberatione præhabita, Decrevimus: flumina prædicta, & eorum alveos, aliunde tranſeuntibus, infra & ſurſum. cum quibuſcunque nominibus rerum venalium, eſſe debere libera. Et propterea omnes homines, cujuſcunq; conditionis exiſtant, per præfata flumina facientes aſcenſum, vel deſcenſum, cum rebus eorum & mercibus, cujuſcunq; generis, vel ſpeciei, vel materiei exiſtant, prohibemus occaſione qualicunq;, & ſignanter ruptionis obſtaculorum, ab ſolutionem telonij vel damni cogi: cùm non ſcpibus, ſed retibus piſcandum ſit. Vbi tamen aliquem obſtaculi delectat vtilitas: portas in illo laras faciat: quæ tranſeuntibus liberum præbeant nauigium. Si quis autem hujuſmodi conſtitutionis ſaluberrimæ, temerarius violator extiterit: & aliqua à tranſeuntibus, quocunque colore, vel arte, aut ingenio exigere præſumpſerit: jubemus, ablata ad integrum reſtitui: & tranſgreſſorem, ſine quavis dilatione, in primo termino conventum, pœnâ, quæ dicitur Polonicè *Siedmnadzieſta*, per Capitaneum loci volumus mulctari. Iura autem hæc præmiſſa, & obſtacula noſtra Regia, in quibuſcunq; locis conſiſtant, volumus reſervare in hanc conſtitutionem, à noſtris obſtaculis inchoari Regalibus. ut nulla ſit gravis juſſio: quæ conſtringit & Principem.

Simile Statutum.

Ioan: Alber: Petr. 1496. Fol, 97. APprobantes Conſtitutionem paternam, ſuper navigatione fluviorum ſancitam, Decreuimus: ejus Statutum præſenti noſtro, ſuper fluitationibus, innovandum: ſic videlicet, Quòd etſi flumina Regni noſtri, videlicet *Wiſła, Niepr, Narevv, Warta, Dunajec, Wiſłoka, Bug, Wieprz, Tyſśmienica, San, Drvvancza, Buda, Nida, Proſna, Noteß*, & alia in Regno noſtro exiſtentia, cum alveis eorum, noſtra fuerint: non poſſitque quiſpiam illa Iure priuato vendicare: tamen cùm (vt à Nuntiis, terrarum accepimus) per nonnullos, multò pluris æſtimantes capturam piſcium, quàm uſum publicum, & abundantiam rerum neceſſariarum, ſubditos noſtros (quorum bona, ſupra ripas fluviorum ſituantur prædictorum) adeò fuerint clauſa obſtaculis multis, & ſepibus: ut mercatores nauigantes, illa fluitare non poſſent: Iccirco ad tollendum errorem & impedimenta, circa fluitationes fluuiorum prædictorum liberas, committi ſolitum, atque ſolita, ſupplicibus ſubditorum omnium petitis ſatisfacientes, Statutô præſenti Decreuimus, & Decernimus: fluitationes & nauigationes, in fluuiis præſcriptis, & in cæteris aliis Regni noſtri, alueiſque eorum, ſurſum & infra, cum rebus quibuſcunque venalibus, cuiuſcunque generis, ſpeciei, differentiæ, & materiei fuerint, quomodocunque nominatis vel nominandis, nauigantibus nauigaturiſque, ipſa quoque flumina & alveos debere eſſe libera atque liberos omnes & ſingulos homines, cuiuſcunque conditionis exiſtentes, iiſdem fluminibus aſcenſum aut deſcenſum facientes, cum

rebus eorum vniversis prædictis: Prohibentes præsentî Decretô nostrô, occasione quavis, & præsertim ruptionis obstaculorum, ad solutiones aut teloniorum aut damni, cogendos; præsertim cùm non sepibus, sed retibus piscandum sit: ut tenet usus Vbi autem quempiam habendi obstaculi delectat vtilitas: in & de illo, latiora ostia solito constituat: per quæ pateat tutius & liberius navigium, navigare volentibus. Cujus nostræ Constitutionis, si quispiam temerarius violator fuerit: de navigantibus solutiones aliquas, colore, arte, aut ingenio quocunque exegerit: eas iubemus, & decernimus, integrè restitui: transgressoremque, qualibet excusatione & dilatione cessante, coram loci Capitaneo conventum, pœnâ *Siedmnadzieſta*, per eum ipsum Capitaneum puniri. Quam Constitutionem etiam in nostra obstacula volumus extendi: & ab illis primùm executionem eius inchoari. vt exinde validior videatur esse iussio, quæ constringat & Principem.

Ex Fluviis obstacula tollantur.

Albertus Petric: 1496. Fol. 98. ET quia frustra esset Iura condere, quæ non essent executioni demandata: idcirco Promittimus, Statutum præsens nostrum exnunc promovere ad effectum celeriùs consequendum: & efficere authoritate nostra, ut fluvij purgentur: & illis regnicolæ nostri liberè fluitabunt.

Fluvij sint liberi.

Sigif. Petri 1511 Fol. 16. ITem licèt antiquis Statutis constitutum est: ut fluvij, *VVista*, *VVarta*, & alij, debeant esse liberi, & navigabiles: contumaciâ tamen quorundam subditorum nostrorum factum est: quòd hactenus, propter sepes, quæ obstacula vocant, & molendina in ipsis fluminibus facta, sunt impervij & liberæ navigationi minimè patentes. Ideo Statuimus: ut prædicta flumina, sub pœna sexaginta Marcarum purgentur: & in eis ostia fiant: per quæ naves onustæ, & trabes contextæ, siue strues, quæ vulgò *Trafſti*. vocantur, liberè deuehi possint. quod sub eadem 60. Marcarum pœnâ, hinc ad medium Quadragesimæ fieri debet. Quòd si secus quis facere auderet: tunc ad nostrum Iudicium Citatus, in primo termino, tanquam peremptorio, condemnari debet, in prædicta 60 Marcarum pœna: Cui etiam pœnæ, noua obstacula in iisdem fluminibus facientes, volumus subjacere.

Libera navigatio per Capitaneos defendenda.

Sigismundus Crac. 1532. A 4. POstulantibus terrarum Nuntiis, ut libera sit nauigatio fluuiorum, in Statutis dudum descriptorum, respondendum ex unanimi consensu Consiliariorum nostrorum duximus: Respondemus, Decernimusq; præsentibus: ut fluviorum, in Statutis dudum super hac re confectis expressorum, & aliorum nauigabilium, obstacula, aggeres, & alia quævis impedimenta, cuilibet sursum, deorsumve naviganti, pervia reddantur &

tur: & ut contra secus facientes, per locorum Capitaneos, executio Statutorum, & pœnæ in illis descriptæ extendantur.

SIMILIS. Flumina omnia, (sicut est in Statutis descriptum) ad demittenda frumenta, & omnia labore facta, ac merces, libera esse debent. *Sigis. Aug. Petr. 1550*

Flumina ab obstaculis libera sint.

QVòd hactenus prohiberi id non potest, ut flumina ab obstaculis libera sint: renouando antiquiora Statuta, Statuimus: ut singuli, quicunq; habent obstacula in suis bonis, ad festa Pentecostes, proximè ventura dejiciant exceptô obstaculô, in fluuio San, circa Premisliam: propter sal nostrum. Qui verò id non fecerit: supra pœnas in Statuto descriptas, quas in robore conservamus, centum Marcis puniri debet. quibus solutis, vtiq; obstaculum dejicere tenetur: sub eadem pœna, toties, quoties. Et quilibet, pro eadem pæna, ad Officium Castrense citari potest: atque ibidem eandem peremptorie solvere debet. cùm sit eius rei facilis probatio: ut pote quæ oculis conspici potest. *Sigis. Aug. Petri. 1557.*

Primùm autem omnium Succamerarius, in negotio limitationis, naturalem limitem spectet: nempe rivulum, aut fluvium interfluentem, seu alveum novum & antiquum, aliàs Rzeczysko, hæreditates limitantem.

CRebra altercatione inter nostros subditos, super limitibus, in hæreditatibus ipsorum distingvendis, graves suscitantur quæstiones, quibus augentur expensæ: & labori nimio interdum supponuntur discordantes. Et quia fluvij, & fluviorum alvei, ut plurimùm inter hæreditates, possessiones, & villas fluunt & habentur: vnde si quæ villæ, aut hæreditates invicem conveniunt, aliquô fluviô, vel rivo mediante: si inter easdem hæreditates, non sunt limites de Iure facti: tunc illa quælibet hæreditas, suam teneat ripam illius fluminis, seu rivi, ad illam hæreditatem protensam: & idem fluvius, seu rivus, pro limite semper sit habendus. Fluvius, seu rivus, si etiam omissô primævô alveô, per alia loca suum divertit meatum, seu defluxum, sine ministerio hominis: sed propria virtute naturali: nihilominus eiusdem fluvij primævus alveus, ubi ante decursus aquæ fuit, verus limes hæreditatum illarum erit. In quo antiquo fluvio, seu rivo aliàs antiqui fluvij alveo, homines utramq; villam seu hæreditatem illam inhabitantes: licitè suas facient piscaturas. prout faciebant tunc: cùm aqua suum primævum seu antiquum cursum, in eodem antiquo alveo habuit. Sed si fluvius, seu rivus hujusmodi, per hominis industriam aversus esset ab antiquo cursu, & alveo: ut in alium novum influeret alveum, tunc ille novus alveus hæreditates limitabit. Dabit quoq; sic, ùt antiquus ille alveus dare consuevit, vnam ripam vni hæreditati: alteram alteri, quam alluit. *Kazim. Magnus Vslic. 1368. Fol. 8.*

Quo casû, dum per hominis industriam fit fluminis aversio, vna hæreditatum ipsarum, illa videlicet, in qua remanet antiquus alveus, omnem & integram habeat proprietatem in alveo & ripis antiqui fluuij, seu rivi.

FRATRES.

Frater, frâtris minorennis bona ne alienet. debita verò fratris ex communi solvat.

Kazimirus Iagellon Petrico 1447. Fol. 98.

IN primis siquidem attendentes: quòd plures filij primogeniti, vel seniores, parentibus defunctis, licenter & sine aliquo metu vel respectu, substantiam paternam sumptu prodigo effundunt & quæ in splendorem, & augmentum domûs illorum, parentum virtutibus, obsequiis, vel meritis collecta fuêre, mutuò in incontinentia diminuunt: taliterque fratres, in puerili ætate positi, bonis paternis, quorum eis æqua portio debetur, fraudantur. Quocirca perpetuô Statuimus & decernimus edictô, & inviolabili prohibemus decretô: Ne filius senior, aut primogenitus, possit & valeat bona fratrum suorum, sub quocunq; colore, arte, vel ingenio, ultra portionem eum, tangentem, indebitare, vendere, obligare, vel alienare, dare, distrahere, nisi fortè debitorum onus, per parentes contractum, illud exigeret & expostceret. Sed nec pro solutione hujusmodi debitorum, licebit sibi aliquid vendere, obligare, aut distrahere: nisi ad id seniorum domûs suæ accesserit consilium, consensus, & voluntas: & pecunia ex venditione proveniens, summam debitorum non excedat. Vbi verò parva, aut nulla parentum extiterint debita: tenebitur frarer senior, deductis suis congruis oneribus, impensis, & expensis, censum & prouentus, ex bonis proventibus, fideliter ad solvendum huiusmodi parua debita conuertere: & omnia residua conservare, inter cæteros fratres æqualiter partienda. Si quid autem in contrarium huic decreto nostro factum fuerit: totum id irritum decernimus, & inane. Sic enim æquitatis libra servabitur: si auxilium largimur imparibus: & metum legum, pro parvulis, insolentibus imponemus.

Frater divisus nominâtim, indivisus verò generaliter citari debent.

Kaz. Mag. Vislic: 1368 Fol: 19.

QVamvis negotia mortua & finita, tanquam & quasi contra naturam, suscitare difficile est, & retractare: reperiuntur tamen nonnulli, qui coloribus exquisitis, mortua & finita negotia moliuntur & conantur refricare: in hoc videlicet, quòd licèt aliqui fratres seu sorores, cum fratre sint in bonis paternis ab invicem separati, & diuisi: tamen si contingat, quòd aliquis fratrum eorundem: in quæstione hæreditaria, recipiat contra se sententiam definitivam: postmodum alter ipsorum accedens ad præsentiam Iudicis, allegat se contemptum: & ad eandem quæstionem, tanquam illum, cujus intererat, non vocatum: postulans, ex hoc debere eandem sententiam retractari, & sic hujusmodi sententia, per talem petitionem consuevit tractari Vnde Nos volentes, quòd in hujusmodi litibus certus finis habeatur, Statuimus: Quòd ubi fratres, vel sorores, fuerint abinvicem in bonis paternis divisi & separati: si contingat, unum ipsorum, in hæreditaria quæstione, contra se definitivam sententiam reportare: alteri ipsorum postmodum sit penitus interdicta potestas infirmandi, seu redarguendi sententiam eandem: Sed pro parte hæreditaria duntaxat, ipsum contingente, movendi quæstionem plenam habeat facultatem. Si verò hujusmodi fratres, vel sorores, cum fratre non fuerint in bonis paternis abinvicem separati, & divisi: si ad annos legitimos ætatis pervenerint, & habentes plenam discretionem: Volumus, ut in hæreditate, pro qua quæstio agitatur, vel ventilari speratur, per Ministerialem (ut in alia constitutione docetur) terminus citationis, juxta edictum publicè apponatur, citando: Vt si quis sit, qui habet, vel habere possit aliquod Ius, in dicta hæreditate, vel ad hæreditatem, aut sua quomodolibet interfit, die protunc assignata veniat, & compareat, Ius suum ostensurus, aliàs, si post talem Citationem, eo cujus intererat non comparente, definitiva sententia super eandem hæreditatem proferatur: cuilibet postmodum venienti, & volenti eandem sententiam agere & refricare, seu innovare, ut in casu præcedenti sit interdicta potestas, sed ipsam sententiam decernimus habere perpetuum robur.

Si senior frater causâ cadit: & junior eandem renovare vellet.

Kazim: Magnus 1368. Fol. 20.

FAlco pro hæreditate agebat, contra Henricum: Henricus autem opposita longi temporis præscriptione: ac ipsam præscriptionem, ut debuit, probavit: Iudex autem ipsum Henricum absolvit ab eadem petitione, silentium Falconi imponendo. Posthæc veniens Nicolaus, junior frater Falconis, refricat & innovat eandem quæstionem. Nos itaque finem litibus imponere cupientes Declaramus: eundem Nicolaum, fratrem juniorem prædicti Falconis, non esse audiendum: & sententiam Iudicis transire in rem judicatam.

Fratricidæ, parricidæ, sororicidæ non succedunt in bona occisorum: & infames judicantur.

Kazim. Magnus Fol. 24

ET licèt lex, tam Novi quàm Veteris Testamenti, fratricidium, & alia sæva Crimina, graviter puniat & damnet; tamē quidam, velut hostes proprii sanguinis & honoris, legis pœnam minùs formidantes, fratricidium committunt: sorores etiam, vel proximos occidunt, ut ex eorum morte, bona hæreditaria lucrentur. Volumus itaque, ut unde bona hæreditaria & lucra habere cupiunt, inde damnis afficiantur aut puniantur, in quo peccaverint. ideo omnes regnicolæ, & Nobiles Regni nostri,

stri fratres aut ipsos consanguineos, interimentes, in hæreditaria succedere possessione non valebunt: nec ullum ad eam accessum obtinebunt, quin imo sententiamus ipsos, & ipsorum filios, & privamus omni legitimâ talium hæreditatum portione: in quibus bonis, seu hæreditatibus, alii consanguinei; licèt remotiores in linea, obtinebunt successionem. Quos (in aggravationem culpæ ipsorum, propter immanitatem Criminis) omnes fratricidas, & patricidas, infames pronuntiamus: & inhabiles, ad aliquos honores promovendos.

§ Fratres indivisi, fratrem ad Expeditionem bellicam unum mittere possunt. Vide in Titulo, BELLUM Fol. 24.

FRATERNITAS.

Licèt Fraternitates abrogantur: officia tamen illarum in Ecclesia maneant.

Sigis. Augu. Petr. 1550

QVia Fraternitates jam dudum à prædecessoribus nostris sublatæ sunt: & Nos easdem, etiam juxta priora Statuta tollimus, & in nihilum convertimus, præter ordinem & obsequia Ecclesiarum.

Fraternitates tolluntur.

Wladisl: Iagello. Fol. 47.

AD præcludendam viam Fraternitatibus, quas mechanici observant civitatum, Statuimus: quia Palatinus & Capitaneus, cum aliis Dignitariis terræ illius, singulis annis, in certa die, mensuras tam frumentorum, quàm pannorum, & aliarum rerum terrestrium, quæ ad forum per Kmethones adducuntur, & quæ in Regno inveniuntur, pretio indicere, & corrigere debeant: juxta consuetudinem diutius observatam; ut circa easdem mensuras, & pretia, fraudes non committantur. Et si ampliùs, contra hanc ipsam nostram constitutionem, dictæ Fraternitates, in quibuscunq; civitatibus inter mechanicos inveniantur, seu reperiantur: tunc illi mechanici, inter quos talis Fraternitas fuerit reperta, pœnam septuaginta Marcarum, aliàs *Siedmdziesiat*, cameræ nostræ applicandam, noverint se incursuros.

Fraternitates etiam fuerunt permissæ, si modo Palatini cum Dignitariis pretia rebus ex æquo constituant.

Sigis. Cracov. 1532 A 4

DE Communitatibus, quas Fraternitas, seu *Cechy*, in Civitatibus & oppidis vocant, non visum est Nobis cum Senatu, quicquam immutare, Nam & illæ ipsæ communitates, seu Fraternitates, post veterum Statutorum decreta, ubique reperiuntur hucusque toleratæ: & novis, & antiquis literis, & Privilegiis roboratæ: & subditi cujuscunq; statûs Regni nostri, ex eorum ordinationibus, Privilegiis rationalibus roboratis, nihil incommodi sustinere videntur: ubi per Palatinos, & alios officiales, seu Dignitarios, illis abuti non permittuntur. Quapropter, cum Senatu uni-

tu universo Statuimus, & decernimus: ut deinceps Palatini, cum Dignitariis, & Officialibus, ad hanc Provinciam obeundam sibi adjunctis, provideant, juxta tenorem & decreta Statutorum, de pretio rerum venalium, & salario mechanicorum antea conditorum: ne quispiam contra æquitatem, & dispositionem Statutorum, tam in rebus venalibus, ad communem omnium usum necessariis, quàm in operis, & pretio artificum mechanicorum solvendo, admittatur.

Fraternitates artificum tolluntur.

FRequentibus universæ Nobilitatis, & eorundem Nuntiorum, universorumq; subditorum Regni nostri querelis permoti, Statuimus: Universa Contubernia, quæ & Fraternitates artificum appellantur, omniaq; inconvenientia in eis, in damnum & injuriam subditorum Regni nostri excogitata, in omnibus civitatibus & oppidis Regni nostri, tollenda & amovenda esse, quemadmodum Nos ea, decretô nostrô, in hoc Conventu sustulimus. *Sigis. Petr. 1538. C 3*

De eisdem Fraternitatibus.

QVandoquidem Fraternitates Civitatum, libertatem Nobilium offendunt, Mandamus Palatinis: ut unusquisque, in suo Palatinatu custodiat hoc, & diligens sit; ne ipsæ Fraternitates serventur, in detrimentum libertatis terrestris, Et quicunq; huic edicto adversarentur: tales, Palatini, ad se citare, & pœnâ centum Marcarum, quoties hoc committerent, punire debent, pro quibus, ad Capitaneos pro executione remittant: & Capitaneus tenebitur executionem facere sub amissione Officij, pro quo debet deferri coram nostra Majestate Regia, per Palatinum. Et Palatinus similiter negligens, consimiliter etiam puniri debet. *Sigismundus 1543.*

FRVMENTVM.

SVadente commodo ex libertate commerciorum, inter Regna & dominia vicina proveniente, Statuimus: ut tam subditi Regni nostri, extra Regnum educendi, quàm advenæ undecunq; venientes, apud nostros subditos in Regno nostro emendi, & evehendi omnis grani frumenta, liberam habeant facultatem: prohibitione Capitaneorum, vel Officialium civitatum non obstante, nisi Regni nostri urgens, vel evidens utilitas, aliud suaserit, quod arbitrio & moderationi nostræ, volumus esse reservatum. *Sigismundus Crac. 1532. A 4.*

Nobiles, Bydgostiæ frumenta sua liberè vendant.

TErrigenis Cujavitis conquerentibus nobis, quia per oppidanos Bydgostienses nostros illibertarentur: qui terrigenæ, dum ex rure frumentum, ex mercatu antea facto, cuipiam transferunt in oppidum, mox alij oppidani, non facto mercatu illud recipiebant: in domosq; seu promptuari *Alexand. in Radom. 1505 Fol. 119.*

ptuaria sua deponebant: pro quo tametsi solutiones impendebant: tamen, quia istud facerent in præjudicium, priùs ementis, & in illibertationem Nobilium: Idcirco Statuimus: Quòd Bydgostiæ, sit Nobilibus libera frumentorum venditio, & deductio, sine aliquo aliorum oppidanorum impedimento, quorum coercio, Capitaneo pro tempore existenti sit commissa: sintq; desuper literæ Regiæ, quoties opus erit, pœnam Regalem quatuordecim Marcarum, ex persona contemnente exigendam, continentes comminatam.

Gedanenses, Privilegiô doceant: quòd Nobiles cogantur, illis frumenta sua vendere.

Sigis. Crac. 1513 9. GRaviter questi sunt Nobiles Regni nostri, de magnis difficultatibus: quibus in frumenti venditione premi se à Gedanensibus Civibus & subditis nostris, dicebant, qui plerumq; in has eos angustias adducunt: ut quanti ipsi velint, frumenta distrahere cogantur: dum præcisa est potestas aliis ea, quàm Civibus Gedanensibus vendendi. Horum itaque clamoribus assiduis victi, facturum Nos polliciti sumus: ut in his, quæ proximè habituri sumus, Comitiis, Gedanensibus exhibere Iura sua & Privilegia mandaremus: quibus nixi, liberam, cui velint, frumenta vendendi facultatem, Nobilibus *R*egni nostri non permittunt.

Frumentum mutuatum, intra quatuor annos repetatur.

Kazim. Magnus Vislic. 1368. Fol. 19. FRancisus, Gregorio mutuavit viginti mensuras tritici: quas pluries monitus, non restituit, Gregorius autem quæsivit ab ipso Francisco: quando sibi prædictum triticum mutuâsset: respondit: quatuor annos esse elapsos. Nos ipsi Francisco imposuimus silentium: propter tanti temporis decursum & suam taciturnitatem.

FRVGES SEV SEMEN.

Qui alienas fruges capit die aut nocte, qua pœna puniri debet.

Kazim. Magnus Vislic. 1368, Fol. 28. ITem pro una cassula cujuscunq; grani, in die recepta, pœnam Iudicio, sex Marcarum, & damnum passo, quindecim, alias *Piatnadzieszta*, recipiens solvere teneatur. Si autem tempore nocturno id factum fuerit: tunc furtum esse decernimus, & declaramus.

Si frugum nocturnus fur capiatur, & occidatur.

Kaz. Vislic. 1368. Folio 29. ET licèt Canonica sanctio, depopulationes agrorum magnô odiô habeat: tamen temerarios à malo non avocat: nisi addatur torques collo ipsorum, & temporali disciplina impiè puniantur, propter quòd Statuimus: Vt si alicujus Militis, Prælati, Civis, aut alterius hominis simplicis

plicis familiaris, frumenta Kmethonum, vel quorumcunque, de nocte receperit: licitum sit Domino frumenti, aut suis servis, vel amicis, ipsa defensare: equos rapientium, vel alias res, pro se liberè tollere. Et si tunc quempiam occiderint, impunitè volumus ipsum pertransire: Dominum verò illum, de cujus dominio tales exiverunt depopulatores, in pœnam *Piatnadzieszta* nobis decernimus incidisse. Et si vulneraverint, vel occiderint frumentorum defensorem: solvant vulnera, læso: vel caput pueris, aut amicis, cum pœnis prænotatis.

FVMALIA.

IDeo ob merita fideliaq; servitia facta, & voluntates universitatis ipsorum, (quæ Nobis, & nostris pueris utriusq; sexus, facto fideli omagio, præstiterunt: & in posterum, loco & tempore, fidelia servitia sunt parati, dante Domino, exhibere) eos speciali favore prosequendo: civitates, Castra, possessiones, oppida, & villas, incolas villarum totius Regni Poloniæ inhabitantes, ipsorum Baronum, & Nobilium omnium, absolvimus, liberamus & eximimus: ab omnibus & singulis collectis, donationibus, sive tributis, tam generalibus quàm specialibus, quocunq; nomine censeantur: & ab omnibus servitiis, laboribus, vexationibus, angariis, præangariis, in rebus & personis committendis, purè & simpliciter solutos, & absolutos esse volumus, & exemptos. Sed his tantùm volumus esse contenti: quòd duo grossi usualis monetæ, in dicto Regno currentis, quorum quadraginta octo, Marcam faciut Polonicalem, de quolibet manso vel sorte, locatis vel possessis, singulis annis, Nobis & nostris successoribus, in Festo Beati Martini Confessoris, in signum summi Dominii, & recognitionem Coronæ Regni Poloniæ exolvantur. *Ex Ludovici Privil. Casso viæ dato. 1374. Folio 40.*

§ Idem repetitur in Titulo, LIBERTAS.

Communi moneta vel Pragensi, Fumalia solvantur.

DEcernimus, & edictô perpetuô Statuimus: ut amodo, in dictis terris, Cracovienst & Sandomirienst, non alia, nisi currēs, & communis in Regno moneta, pro hujusmodi exactionibus nostris exigatur, hôc provisô: quòd, si aliqui subditi nostri, in dictis terris, à suis Kmethonibus, pro ipsorum censibus Grossos Pragenses receperint, vel recipere voluerint: illi etiam Kmethones ad solvendum Nobis similes Grossos Pragenses pro exactionibus nostris, per nostros collectores, arceantur. *Ex Privilegio Wladislai prope Czerwiensko Folio 49.*

Kmethones Fumalia dent, non Sculteti, molendinatores, tabernatores, servitores, & hortulani.

ABsolvimus insuper & perpetuô liberamus, omnes & singulos omnium nostrorum terrigenarum kmethones, ab omnibus solutionibus, contributionibus, & exactionibus, vecturis, laboribus, equiturris, Podwodis dictis, angariis, gravaminibus, frumentorum dationibus, dictis *Ex Privilegio Wlad slai Iagell. in Ieszlna, Fol. 51*

Sep vulgariter: præterquam duos groſſos monetæ uſualis Polonicalis, & in Regno Poloniæ communiter decurrentis. Quos quidem duos groſſos, quilibet kmetho prædictorum terrigenarum, de quolibet laneo poſſeſſo, ſolvet: etiamſi illum plures perſonæ poſſideant: Scultetis eorum, & ſervitoribus, (quos ab hujuſmodi ſolutione duorum Groſſorum volumus eſſe liberos, & exemptos) necnon molendinatoribus, tabernatoribus, & hortulanis, non habentibus nec colentibus agros, hoc eſt, manſos, ſeu laneos integros, vel medios duntaxat, exceptis, atq; demptis: ſingulis annis, in futurum, in Feſto S. Michaelis Archangeli, uſque ad diem Sancti Nicolai, ſolvere ſit aſtrictus. Si autem prædictorum molendinatorum, ſive tabernatorum, aut hortulanorum aliquis, integrum laneum agrorum coluerit: tunc ad ſolutionem duorum groſſorum: ſi verò medium laneum coluerit agrorum: ad ſolvendum unum groſſum; ſimiliter monetæ prædictæ, nobis ſint aſtricti. Ad quos quidem duos groſſos monetæ præſcriptæ, aliàs Sereniſſimo Principi Domino Ludovico, Vngariæ & Poloniæ Regi, ſolvere liberè ſe ſubmiſerunt.

Si intra præfixum tempus fumalia non ſolvantur

Ex Privileg. Lagell. in Ieſdlna, Folio 51.

QVòd ſi infra præfixum terminum, Nobis aliqua villa pecuniam hujuſmodi ſolvere neglexerit. Extunc exactor noſter, quem pro tollenda eadem exactione duxerimus deputandum, in eadem villa unum bovem, ratione non ſolutionis, abſq; ſpe reſtitutionis, habebit recipiendi omnimodam facultatem. Si verò infra quatuordecim dies, poſt ejuſdem bovis receptionem, eadem villa, & quævis alia dictam pecuniam non ſolverit: extunc Exactor noſter duos boves: conſimili modô, ſine ſpe reſtitutionis, recipiat atq; tollat.

Cives fumalia non ſolvent.

Wladisl. Iagellon. in Ieſdlna, 1433. Folio 51.

DE Civitatibus autem antiquis, & novis tempore regiminis noſtri locatis, ſic Statuimus: Quòd ille civis ſeu oppidanus, qui civitatem cum uxore, filiis, & familia inhabitat, & agrum ſolus, vel per ſuum hortulanum, aut agricolam colit, non tenetur ad prædictam *Poradlne* penſionem, ſed ſi ante oppidum, vel civitatem reſideret: ſolvat præfatam *Poradlne* penſionem: ac ſi in villa reſideret, non obſtante, quòd ad Ius & Iuriſdictionem ejuſdem oppidi ſeu civitatis pertinere, vel cum eis onera ſufferre perhibeatur.

Rex non expetet à ſubditis, præterquam duos Groſſos.

Kazim. in Nieſzowa. 1454. Folio 93.

ITem pollicemur: quòd amodo non expetemus aliquas ſolutiones, aut contributiones Fertonum, aut ſex Groſſorum à terrigenis, vel eorum hominibus: ſed in ſolutione duorum Groſſorum, de quolibet laneo, debemus eſſe contenti: juxta veterem conſvetudinem.

De

De integro laneo duo Groſſi dentur.

Ioannes Albertus Petr. 1496 Folio 104.

ITem Statuimus: ut moneta in Regno noſtro communis currens, videlicet mediorum Groſſorum, in exactionibus duorum Groſſorum, quæ à nonnullis, Regalia ac *Poradlne*, à nonnullis verò *Podymne*, dici conſueverunt, recipiatur ubique, quarum licèt quidditas ipſa nominis ſignificet, atque indicet ſolutionis conſuetudinem: tamen cùm intellexiſſemus, in aliquibus locis introduci quaſdam privatas conſuetudines, in exactionibus hujuſmodi: quæ fortaſſe in aliquibus locis, de laneo per Fertonem: in aliquibus verò, præſertim in Halicienſi terra, non abſq; præjudicio & gravamine ſubditorum noſtrorum, de qualibet agri parte tantùm, quantùm Exactoribus placuit, recipiebantur: & ſolvebantur: Idcirco, tametſi certis noſtrorum prædeceſſorum Privilegiis, ac eorum & Regni ſtatutis, conſuetudinibus, conſtitutum approbatumq; fuerit: quòd per duos Groſſos debeant ſolvi: tamen Nos ſpecialiter, propter ſuccreſcentes eos errores ſupprimendos, Statuimus: quòd exactiones ipſæ duorum groſſorum, non confusè, vel de domibus, uel de agri partibus, ſed de quolibet agri laneo, ſeu manſo integro, per duos groſſos, monetâ noſtrâ Regiâ in Regno cõmuniter recipi ſolitâ, ſicq; & non aliter ſolvi debeant: in ævum, in omnibus terris, diſtrictibus, & locis terrarum noſtrarum.

Fumaliâ, niſi expreſsè inſcribántur, ſunt Regia.

Sigiſ. Cra. 1510. Fol. 15.

UBi ſpecialis mentio in Privilegiis, vel Inſcriptionibus, duorum Groſſorum facta non eſt: Iuri Regio reſervata eſſe cognoſcuntur.

Monaſteriorum villæ, ut Nobilium, Fumalia ſolvant.

Sigiſ. Petr. 1511. Foliõ 19.

ITem gravaminibus quorundam Monaſteriorum providere cupientes, Statuimus: ut exactionem duorum Groſſorum ita ſolvant villæ, & poſſeſſiones ipſorum: ſicuti villæ Nobilium, eam ſolvere conſueverunt.

Palatini, & aliqui Caſtellani, liberi ſint à Fumalibus.

Sigiſ. Cracov. 1507 Folio 6.

LIcèt univerſi Dignitarii terrarum, & præſertim in Mazovia, ſupplici ter ſupplicaverint: ut liberi ſint, à ſolutione exactionis noſtræ duorum Groſſorum: Nos tamen libertatem ipſam dictæ exactionis non ſolvendæ, in Palatinis duntaxat, & Caſtellanis, locò Palatinorum, Caſtellanatus obtinentinentibus, damus concedimuſque. Volumus tamen, quòd in ſingulis terris & Capitaneatibus, locorum Capitanei, cenſus & proventus quoslibet, tempore prædeceſſorum noſtrorum, & præſertim in terris noſtris Mazoviæ Ducum tempore, per Dignitarios percipi ſolitos, eiſdem Dignitariis terreſtribus exolvant.

FVRES.

Qui in Curia aliquid furatus fuerit.

Kazim. Magnus Fol. 39 INsuper Statuimus: Si in Curia noſtra minutas quaſcunq; res ſubtraxerit: auris periculo & privationi, ſit ſubjectus.

Qui ex templis & Cænobiis capiendi.

Sigiſmundus 1543. IVs commune non permittit defendi ab Eccleſiis ſeu templis, nocturnos ſegetum & fundorum, ſeu agrorum damnidatores: liberarumq; viarum obſeſſores, ſeu prædones: item fures, publicè proclamatos: vel ter in Regiſtris conſcriptos: incediarios: & libertatis Eccleſiaſticæ violatores. Tales enim debent ex templis capi, neq; defendi.

Fur, latro, incendiarius, homicida, raptor virginum, villarum depopulator, & prædo, ubiq; detineatur.

Wladisl: Iagello in Ledina, 1433. Fol. 52 QVi in furto, vel in publico maleficio, utpote incendio, homicidio voluntario, raptu virginum & mulierum, villarum dupopulationibus & ſpoliis, deprehenderentur: ſimiliter qui, de ſe nollent debitam facere cautionem, vel dare, juxta quantitatem exceſſus, vel delicti: iſti detineantur.

In Curiis Nobilium nihil furandum.

Kaz. Vislic 1368. SI verò quis, in curia Militis alicujus, minutas quaſcunq; res ſubtraxerit: auris periculo & privationi, ſit aſtrictus.

Fur, licèt fugiat, reus manet.

Kaz. Vislic. 1368. Folio 9. FVres tametſi captivitatem effugerint: attamen debitum furti, qui in eo fuerint condemnati, ſemper ſolvere tenebuntur.

Fur, utrum ſit per vicinos inſequendus, an non?

Kazim: Magnus 1368. Fol. 20. NAgoth depoſuit querelam, contra ſuos vicinos: Quòd cum equus tempore nocturno fuiſſet ſibi ſubtractus, idem Nagoth cum inſtantia requiſivit, & petiit ſuos vicinos villanos: ut per veſtigia eundem furem ſequi velint, ſibiq; eſſe auxilio: quo à fure equum ſuum habere poſſet: villani verò furem inſequi recuſarunt: & ita Nagoth prædictum furem cum equo amiſit. Nos itaq; in tali caſu declaramus, villanos ad ſolvendum equum prædicto Nagoth condemnandos.

Furti vir bonæ famæ notatus, quomodo expurgetur?

Kazim. Magnus Vislic. 1568. Fol. 24. VT viri famoſi & juſtè viventes, aliqua ſpeciali prærogativâ apud Nos, inter cæteros noſtros fide dignos conſolentur: Statuimus, de Noſtra, Baronumq; noſtrorum voluntate: Vt ſi quis Miles, vel alius vir Nobilis

bilis, cui aliqua quæſtio de eo priùs in Iudicio mota non fuit, de furti vel latrocinii crimine accuſetur: fas ſibi ſit, propter bonam præſumptionem apud vicinos de ipſo habitam, proprii Iuramenti præſtatione, à tali occaſione ſe expurgare.

Qui fures ſervat, & cum eis acquiſita partitur, infamis.

Idem Rex. Folio 26. STatuimus etiam; illum, qui occultè inſidiando inhabitatoribus Regni noſtri, fures, & profugos, aut prodigos ſervat, eis hoſpitium præbet, aut partitur cum eis rapta & malè conquiſita, tales infames eſſe: impareſque viris probis & bonis reputari.

Furti vel ſpolii ter convictus, infamis, ſed non infamis, in uno teſte deficiens.

Kazim. Magnus Vislic. 1368. Fol. 34. STatuendo declaramus: quòd ſi quis tribus vicibus, de furto vel ſpolio, in Iudicio convictus extiterit: etiam ſi rem furtitiam ſeu oblatam reſtituerit: is infamis remaneat perpetuò: nec eidem portæ pateant Dignitatum: nullaq; donaria in veſtibus, aut aliis rebus, penitus conſequatur. Quòd ſi accuſato, de furto, ſed non convicto, adhibitô certô numerô teſtium, fuerit indicta purgatio: & is ſi in unius teſtis teſtimoniô defecerit: propter hoc infamis nullô modô habeatur: ſed paſſo damnũ ſatisfacere teneatur.

Nobilis fur capiatur.

Ex Privileg. Iagell: 1413 Folio 51. NVllus terrigena poſſeſſionatus, pro aliquo exceſſu, niſi Iure convictus, captivandus eſt, illô tamen homine, qui in furto, vel publico maleficio deprehenderetur, exceptô.

Furti accuſatus, ſi contumaciter non paret, quâ pœnâ puniendus?

Kaz. Iagell. Folio 90. OMnium de furto, vel ſpolio culpatorum, & contumaciter in primo, ſecundo, tertio, & quarto termino comparere nolentium, bona theſauro noſtro confiſcamus Regio: Mandantes omnibus Capitaneis, ut de illis ſe Noſtro nomine intromittant: & illorum realem apprehendant poſſeſſionem.

Quomodo fures ac prædones expurgentur.

Kaz. Iagell: Folio 89. LIcèt cuncta jure deteſtamur ſcelera: & omne quod iniquum eſt, Regius horreat auditus: ſed ea maximè, quæ ſpoliatorum & furum aguntur in Repub. dolo, arte, vel violentia, incommoda, Noſtram contrà ſe incitare rigidiorem, hactenus quo multiplicata eſt eorum nequitia, cenſuram, & propterea firmamus edictô: Vt quilibet, cujuſcunque conditionis exiſtat, notatus, culpatus, infamatus, de furto, vel ſpolio, teneatur ſuam innocentiam æquali ordine, vel gravitate, & teſtium numerô, ac ſi nobilitatem ſuam probaturus eſſet, clarificare, purgare, &

demonſtrare, aliàſ, volumus illum, tanquam furem puniendum. Illi autem volumus tantummodo prodeſſe purgationis beneficium: qui ſemel, aut bis, & ad maximum, ter, de furti aut ſpolii fuerit notatus vel culpatus ſcelere, eum autem, qui quarta vice culpatus fuerit, relinquimus legibus plectendum. Purgationem autem hujuſmodi facturus, ſine turba aut tumultu, ſed cum purgatoribus ſuis duntaxat veniat. Si qui verò ultra compurgatores ſuos venire præſumpſerit: omnes decernimus honore privatos.

§ De fure frugum, Vide in Titulo, FRUGES. Fol. 182.

FVRTVM.

Si quis, clam vel vi furtô ablata, reddit.

Kazim: Magnus Vislic. 1368 Fol. 24 EGidius propoſuit cum querela: quòd cùm in via dormiviſſet, Falco ſuperveniens taliter dormienti gladium recepit: & peram in qua fuerant tres Scoti Groſſorum, & quamvis gladium & peram ſibi reſtituiſſet: tamen tres Scotos non reſtituit, ipſos pro ſe uſurpando. Falco verò Reus, quamvis de gladio & pera confitetur: & ſe eadem reſtituiſſe fatetur: tamen prædictos tres Scotos ſe habere negat. Vnde nos attendentes, quòd nullus debet res alienas attrectare, dominô rerum invitô, Egidium in tali caſu Actorem, decernimus ad Iuramentum fore admittendum.

Pro furto, in una Parochia intra annum agas.

Kaz. Mag. Vislic: 1368 Fol: 16. SI aliqui fuerint ejuſdem Parochiæ, ſeu diſtrictus: ut de furto quarũlibet rerum, unus alium ad Iudicium voluerit evocare: Statuimus, quòd infra annum tantummodo, ad hoc faciendum liberam habeat facultatem. Si verò ſecus facere voluerit: annôq; elapsô eandem moveret quæſtionem: tunc accuſatus rationabiliter per idoneos teſtes teneatur, & poteſt ſe comprobare, in facto eſſe innocentem.

Si in remotiore Parochia: intra triennium.

Kaz. Mag. 1368. Fol. 31 CVm furta & latrocinia, propter criminis immanitatem & inflictionem, ſeu formidinem pœnæ, pro delicto commiſſo opponente, per maleficos interdum occultantur, itaq; notitia criminis, brevì non poteſt propalari, & manifeſtari: & ſic furta quandoq; remanent impunita, & cum contra tales actio proponitur, aut opponitur: tunc per exceptionẽ præſcriptionis annualis, volunt & nituntur ſe tueri. In deteſtationem itaq; criminis, & maleficiorum, Decernimus: ut ſi quis de furto, aut latrotinio, in Iudicio accuſetur: ſi accuſatus cum accuſante ſunt ſimul in una villa, vel in una Parochia, audientes ſimul Divina: tunc objectio & exceptio annualis præſcriptionis procedat, & habeant locum, contra agentem de furto. Si autem Actor & Reus ſunt abinvicem diſtantes: nec

nec taliter, ut præmiſſum eſt, vicinitate conjuncti: non alia præſcriptio, vel exceptio, agentem de furto repellit, niſi tantùm triennalis, ut imputent etiam ſuæ pigritiæ omnes deſides & lenti: quin in ſui damni recuperatione, minimè curaverint vigilare.

Nobiles, ſubditos ſuos, pro furto ex Moldavia culpatos, coram Capitaneo ſtatuere debent.

VEterem conſvetudinem ſervando, Statuimus: ut Nobiles terræ Podoliæ, ſubditos ſuos, qui pro furto ex Moldavia culpati fuerint, coram Capitaneo Camenecenſi ſtatuere teneantur. De aliis verò rebus, quæ in Regno committuntur, ſinguli Nobiles ex ſubditis ſuis juſtitiam adminiſtrare teneantur. *Sigiſm. Auguſt. 1557.*

§ De furto piſcium, Vide in Titulo, PISCES.

§ De furto fœni, Vide in Titulo, FŒNUM, Fol. 168.

§ Furti, in via publica commiſſi, expurgatio qualis ſit? Vide in Titulo, VIS.

§ Furta committentes, & è Regno fugientes, ſi poſtea in gratiam Regiam reſtituti fuerint: nihilominus infames erunt: & accuſati, pro damnis ſatisfacere tenebuntur. Vide in Titulo, PROFUGI.

GOLOTA ET INQVILINI.



IN petitione, de Golotis & Inquilinis vagabundis facta, conſtituimus, & Decernimus: ut Statuta, ſuper his jam dudum condita, per Capitaneos locorum diligenter exequantur, ad quos etiam, admonitionis causâ literas dari faciemus. *Sigiſ. Petr. 1532. A3*

Dominus pro ſervo Golota ſatisfaciat.

ITem ſi famulus alicujus, dictus *Golotá*, aut aliàs *Obłomek*, vicino Domini ſui, aut alieni alii damnum intulerit: aut injuriatus fuerit: Dominus ipſius, pro ipſo ſatisfacere teneatur. *Kaz. Vislic. 1368. Folio 28.*

§ Reliqua de Golotis, Vide in Titulo: IMPOSSESSIONATI.

GLADIVS DISTRICTVS.

Gladium ſtringens in præſentia Militis.

UBi verò coram Milite, quis gladium vel cultellum extraxerit, nemĩnem tamen vulnerando: ſit in gratia Militis. Si autem vulnus intulerit: Decernimus; ut manus ſua perforari poterit, & debeat. *Kazim. Magnus Fol. 39.*

Qui in Conventu gladium ſtringat, aliquem vulneret. vel occidat.

Sigism. Bydgoſt. 1520. Folio 26.

STatutô hôc præſenti etiam ſancimus: quòd quicunq; in Conventibus Srixas facientes, gladios evaginaverint, pœnâ Marcarum viginti Polonicalium puniantur. Si verò aliquem vulneraverint: extunc pœnâ Statuti, antea promulgati, puniantur: ſed ſi aliquem occiderint: pœnâ capitis puniantur. Et contra tales, Capitanei locorum inquiſitionem, & executionem facere debent: ſub pœnâ centum Marcarum Polonicalium. Hi verò, qui crimine patrato aufugerint, ex Regno ſunt banniendi: & infames pronuntiandi, prout & infames eos declaramus.

§ Qui gladium præſente Iudicio ſtringit, qua pœnâ plectendus? Vide in Titulo, IUDICIUM.

De eo, qui coram Regia Majeſtate, Archiepiſcopo, & Capitaneo, gladium extraxerit.

Kaz. Mag. Folio 39.

INſuper Statuimus: ſi quiſpiam coram Nobis gladium, vel cultellum extraxerit, & aliquem vulneraverit: ſine gratia puniatur, ſi verò extraxerit, & non vulneraverit: in gratia noſtra conſiſtat. Et idem, ſi coram Capitaneo noſtro, hoc factum fuerit, decernimus obſervandum. Si verò coram Domino Archiepiſcopo, gladium vel cultellum extraxerit: ſive vulneraverit, ſive non: pœnâ *Siedmnadzieſta* puniatur, eidem Domino Archiepiſcopo applicandâ.

GVERRA.

Kazimirus Iagell. 1447 Fol. 91.

NOnnullorum improba temeritas & audacia, ſuas paſſiones & injurias ulciſci volentium, Gverras execrabiles ſæpenumero Regno noſtro excitant: & damna procurant immenſa, propter quod prohibemus præſenti edictô: ne aliquis, cujuſcunq; ſtatûs aut conditionis exiſtat, quâcunq; laceſſitus offensâ, aut injuriâ, vel damnô, audeat ſine noſtro conſenſu belligerare: aut Guerras perſonis extraneis, aut intraneis, movere. Si quis autem contrarium facere præſumpſerit: ad damnorum omnium, quæ Nos, ut noſtri ſubditi propterea contraherent, eum decernimus convictum cogi debere, ſolutionem. Si autem plenaria ſolutio, aut partialis damnorum, propter ejus inchoationem Gverræ, Regno aut perſonis irrogatorum, non ſufficeret: multandũ decernimus in corpore.

Subditi quietè vivant.

EXpedit Reipubl. ut ſubditi quietè vivant, quod fiet: ſi nulli noceant, & in virtutibus coaleſcant, &c. § Vide in Titulo, BELLUM Fol. 24

HÆRE-

HÆRETICVS.

Wladislaus Iagello, contra Hæreticos, & fautores eorum, in Wielun conſtituit.

WLadislaus Dei gratiâ Rex Poloniæ, necnon terrarum Cracoviæ, &c. Princeps ſupremus Litvaniæ, Pomeraniæ, Ruſſiæque Dominus & Hæres, ſignificamus tenore præſentium, quibus expedit univerſis, præſentibus & futuris, harum notitiam habituris: Quòd cùm ſub diſſimulatione præterire non debemus, imò arcemur divinæ legis perpetuis inſtitutis, peſtiferos hæreticorum errores, (quos in Dei contemptum, & in Chriſtianæ religionis detrimentum, & enervationem, politiæq; jacturam, iniqua perverſorum corda conflaverunt) etiam quæcunq; oporteret nos ſubire pericula, à finibus noſtris propulſare: & in gladio dejicere, ut qui cenſura Eccleſiæ non terrentur, humana ſeveritate multentur: maturô conſiliô Prælatorum, Principum, & Baronum noſtrorum habitô, & conſenſu, & etiam de certa ipſorum & Noſtra ſcientia, præſentibus Decernimus: & pro firmo, conſtanti, & pro irrefragrabili edicto, teneri præcipimus: Vt quicunq; in Regno Poloniæ noſtro, & terris nobis ſubjectis, hæreticus, aut hæreſi infectus, vel ſuſpectus de eadem, fautor eorum vel director repertus fuerit, per noſtros Capitaneos, Conſules Civitatum, & alios Officiales, ac quoslibet ſubditos noſtros, ſive in Officiis, ſive extra viventes, velut Regiæ Majeſtatis offenſor capiatur: & juxta exigentiam exceſſûs ſui puniatur. Et quicunq; venerint de Bohemia, & intrant Regnum noſtrum: Ordinariorum ſuorum examini, aut magiſtrorum hæreticæ pravitatis, & ad hoc à ſede Apoſtolicâ deputatorum, vel deputandorum, ſubdentur comprehenſi. Si quis autem incolarum Regni noſtri, cujuſcunq; ſtatus, dignitatis, gradus aut conditionis fuerit, hinc ad feſtum Aſcenſionis Domini proximum, redire de Bohemia neglexerit, noluerit, vel contempſerit: pro convicto hæretico cenſeatur: & pœnis ſubjaceat, quæ hæreticis infligi conſueverunt: nec ampliùs ad Regnum noſtrum revertatur moraturus. Et nihilominus omnia bona ipſorum, mobilia & immobilia, in quibuſcunq; rebus conſiſtentia, publicentur, theſauro noſtro confiſcanda: proleſque eorum, tam maſculina quàm fœminina, omni careat ſucceſſione perpetuò, & honore: nec unquam ad aliquas aſſumatur dignitates, vel honores: ſed cum patribus & progenitoribus ſuis, ſemper maneant infames: nec de cætero gaudeat aliquo Privilegio Nobilitatis, vel decore. Inhibemus etiam, ſub eiſdem pœnis, omnibus mercatoribus, & aliis hominibus, cujuſcunq; conditionis fuerit: ut amodo, & in poſterùm, nullas res venales, præſertim plumbum, arma, eſculenta, & poculenta, ad Bohemiam ducere præſumant, vel portare. Quocirca vobis omnibus, & ſingulis, Capitaneis, Burgrabiis, Procuratoribus, Ma-

Folio 75.

gistris, Civium Consulibus, & aliis Regni nostri Officialibus, & subditis quibuslibet, ad quos præsentes pervenerint, Mandamus: quatenus præsens edictum nostrum custodire fideliter, & firmiter, debeatis: ut ubilibet in Civitatibus, villis, & aliis quibuslibet locis publicis, & privatis & specialiter ubi tractabuntur Iudicia, & ubicunque contigerit aliquam multitudinem hominum confluere, palam vocibus Præconum faciatis proclamare: ut nullus valeat prætendere ignorantiam præmissorum: Harum quibus sigillum nostrum appensum est, testimoniô literarum Datum in Wielun, die Dominica, Iudica me Deus, Anno Domini. 1424.

Confœderatio Principum, tam Spiritualium, quàm Secularium, contra hæreticos, eorumq; fautores.

[Folio 176 NOs Principes Spirituales & Seculares, Barones, & comites, Proceres, Milites, Nobiles, Civitates, totaque communitas Regni Poloniæ, singulariter singuli, & universaliter universi, eodem animo, eadem voluntate, scientia, assensu, & ratihabitione, omnes unanimiter, Significamus tenore præsentium, quibus expedit universis, præsentibus & futuris, notitiam præsentium habituris: Quomodo consideratis nonnullis disordinationibus, quæ in ipso Regno suboriri inceperant, visis literis prædecessorum nostrorum, Posnaniæ, Petricoviæ, & in Iedlna factis, circa easdem literas, & earum articulos (sub quacunq; forma verborum extant confecti) remanere volumus usquequaque, & spondemus: & præcipuè circa hunc articulum: Quòd quicunq; existens indigena Regni Poloniæ, habens in ipso Regno Poloniæ bona, vellet aliquas obedientias contra Ius Terrestre commune, aut etiam Gverras, Nobis & eidem Regno Poloniæ damnosas, alicui movere: sine licentia Domini nostri Regis gratiosissimi, & Consilij sui: & in Iure Terrestri communi nollet contentari: aut etiam hæreticales errores facere vel promovere vellet: contra talem, sive tales, cujuscunque status, gradus, conditionis, & præeminentiæ fuerint, sive Spirituales, sive Seculares, & in eorum destructionem consurgere volumus: & promittimus, sub fide & honore, nostris: absq; dolo, & fraude: nec ipsis auxilio, consilio, & favore patrocinari volumus, sub fide & honore nostris: etiamsi sanguine, affinitate, & quacunque propinquitate forent nobis: aut alicui nostrum conjuncti: nec pro eis loqui volumus aliquod verbum: sed eos, & eorum quemlibet talem, punire volumus, & promittimus: Iura tamen nostra Ducalia, & Terrestria, in nullo, per hoc violando, nec ab eisdem recedendo: Harum, quibus Sigilla nostra, cum subscriptione nominatim nominum nostrorum, in pendulis sigillorum sunt appensa, testimoniô literarum. Scriptum & datum in nova Civitate Korczyn, Feriâ sextâ, ipso die Sancti Marci Apostoli & Evangelistæ, generali tunc Parlamentô celebratô: Annô Domini 1438.

Liberum

Liberum sit unicuiq;, ex Regno, ad bonas literas perdiscendas, proficisci: modo ne novas doctrinas ferat.

IN eo, cum Consiliariis nostris & Nuntiis Terrestribus convenit Nobis: ut liberum sit unicuiq; nostrorum subditorum, de Regno nostro exire ad quamcunq; regionem vellet: videndi, serviendi, & se in bonis moribus ac honestis disciplinis exercendi causâ: & propter literas, ab Ecclesia admissas. Alioquin, si quis rediens ab aliena Provincia, qualescunque novas doctrinas, aut libros propagare, subministrare, & uti illis vellet: iis, juxta antiqua Iura & Privilegia Regni, debet se justificare. *Sigis. Crac. 1543.*

Quæ ad Spiritualium Iudicium pertinent.

IN primis ad Spirituale Iudicium pertinet, Iudicare differentias religionis sanctæ Christianæ: hæreses videlicet, Schismata, blasphemias contra Deum, & apostasias: pro Decimis, septem Sacramentis Ecclesiæ, Beneficiis, Sacrilegiis, & Simonia. *Sigis. Crac. 1543.*

HOMICIDIUM.

Vnus de homicidio accusetur: complices verò expurgent se de obiectis.

ITem si plures, puta duo, vel tres, aut quatuor, de homicidio accusentur: licèt antiquitus, per Iuramentum accusatoris, omnes pœnâ homicidii puniebantur: Nos tamen hujusmodi Iuramentum restringentes, Statuimus: quòd unus tantummodo, per Iuramentum Actoris, de homicidio condemnetur, & puniatur: Consortes verò ejusdem accusati, per probos & idoneos testes, de homicidio & vulneribus, se teneantur expurgare, aliàs, in expurgatione deficientes, puniantur. *Kazim. Magnus Vislic. 1368. Folio 22*

Castellanorum Iudices, olim pro capite judicabant.

STatuimus declarantes: quòd pro quolibet capite, Castellanorum Iudices, quilibet in sua Castellania, judicandi & cognoscendi habeant facultatem. *Kaz. Vislic. Folio 11.*

Qui incerto authore occiduntur, eorum consanguinei, reum quærant.

ITem quacunq; morte causali, vel inopinata, contigerit aliquem de hac migrare luce: puta, de arbore cadendo, vel in aqua mergendo, aut quovis modo: Statuimus; quòd pro tali homine, sic decedente, penitus nulla quæstio moveatur. Item dum ignoratur, quis commisit homicidii immanitatem; Decernimus: quòd Castellania de hoc aliquam non moveat quæstionem: sed consanguinei, & proximiores, culpabilem inquirentes, causam dum poterint, prosequantur: juxta juris formam. *Kaz. Mag. Folio 22.*

Pro Milite olim occiſo, tantum 30 Marcæ, & de vulneratis, aut mutilatis.

Kaz. Vislic. 1368. Folio 22. QVamvis occidens hominem, ſecundùm Dei legum ſanctiones, eſſet capitali pœna plectendus: Nos tamen rigorem illum temperantes, Statuimus: quòd occidens Militem, triginta Marcas parentibus, pueris, vel amicis: mutilans autem in pede, manu, vel naſo, quindecim Marcas: in pollice verò mutilans, octo Marcas: digitum verò quemlibet alium amputans, tres Marcas Groſſorum, ipſi mutilato, vel in digito læſo (ut ſupra dicitur) ſolvere teneatur.

Poſtea 60. Marcis caput Militis redimitur.

Kazim. Magnus Vislic. Fol. 22. UT violentorum audacia refrenetur, Statuimus: quòd dum Miles parem ſibi Militem occiderit, pro capite 60 Marcas ſolvere teneatur.

Si villanus Militem, Scartabellum, vel Militem ex Sculteto creatum, occidebat: quantum ſolvebat?

Kazim. Magnus Vislic. Folio 22. PRo capite Militi famoſo, aliàs *Slachćie*, ſexaginta Marcas: Scartabello, 30. Marcas: Militi autem creato de Sculteto, vel de Kmethone, 15. Marcas, à villano occiſore, Statuimus eſſe perſolvendas.

Pro homicidio, poſtremò duplex pœna irrogatur: & ſeſſio turris decernitur.

Albertus Petric: 1496. Fol: 107 ITem de homicidio Nobilium caſuali, quòd à diverſis diverſimodè refertur caſualiter perpetratum, Statuimus: Quòd homicidæ hujuſmodi, pro capite ſolvant Centum viginti Marcas: & per unum annum & ſex ſeptimanas, victi Iure in turrim deputentur: nec turris correctione ullô modô evadant: etiamſi cum amicis occiſi concordiam inîerint. Si verò talis homicida, timens turris correctionem; de Regno fugerit: ſive poſſeſſionatus, ſive non: infamis ipsô factô perpetuò pronuntietur per Miniſteriales, proclamationibus mediantibus publicandus.

Pro homicidio, in ſui defenſione commiſſo, præſertim in via.

Albertus Petr. 1496. Fol, 107. VErùm quia contingit ſæpenumero, caſualem homicidam minimè eſſe reum homicidij, quod vim vi repellendo evenit: idcirco ſpecialiter declaramus Statuentes, ad eos ipſos Nobiles, & Nobilium homicidas: ut cùm quiſpiam, aut viam, aut tranſitum alterius obſidens, occideretur per illum, cujus tranſitum voluit præpedire, aut euntē moleſtare: in tali homicidio, citato homicidæ ſex teſtes ſufficiant ſe expurganti: & convictus non plus, quàm ſexaginta Marcas communes, pro capite ſolvet, ſine turri.

De

De homicidio in via publica facto.

SEd idem, aut viæ aut tranſitûs publici præpeditor, alium, ſub tutela communis ſecuritatis viæ euntem temere interficiens, centum & viginti Marcas communiter currentis exolvet: punitionemq; turris ſuſtinebit, ordine prætacto. *Albert. Petr. 1496. Folio 107.*

De homicidio, in defenſione bonorum & ſubditorum commiſſo.

PRæterea, tametſi de caſuali homicida, in itinere ſe tuenti, ſic ut ſupra definivimus: tamen inſuper Statuimus: ut alius homicida caſualis, aut bona, aut ſuos defendens ſi committet homicidium, licèt non voluntarium: nihilominus Iure victus, pœnâ carceris non perpeſſâ, centum & viginti Marcas communes, pro occiſo exoluere teneatur. *Albert. Petr. 1496. Folio 107.*

Pœna contra homicidas à Capit. deferendos eſt ſtatuta: ſive ſint poſſeſſionati, ſive non: tamen ad quinquennium duntaxat durabit.

HOmicidia voluntaria, & notoria, quæ poſtpoſito Dei timore, ac cū Noſtro dedecore in Regno noſtro inoleverunt, (ut à temerariis, omni Iuſtitiâ atq; publicâ honeſtate procul pulſâ diverſis modis, in diverſi ac cujuslibet ſtatûs, ordinis, ac dignitatis homines, crebris vicibus impunè, prout hôc trienniô hactenus à tempore noſtræ felicis Coronationis, patrata ſunt) petiti à Conſiliariis Regni, noſtri ſtatûs utriuſq; univerſis, & à terrarum Nuntiis, hic ex omnibus terris congregatis, compeſcere, punire, & removere volentes: de omnium præfatorum Conſiliariorum noſtrorum conſenſu, & approbatione, ad quinq; annos hinc duraturum tale Statutum condidimus, in omnes noxios irremiſſibiliter exercendum: Videlicet cùm contigerit, quòd aliquis homo Nobilis hominem Nobilem in domo, ſive in ſtrata publica, aut in loco aliquo, datâ operâ interfecerit: Promittimus & ſpondemus (veteri Statutô, de ſimili homicidio, tantiſper quamdiu iſtud, ut præmiſſum eſt, durare debet, abrogatô) talem homicidam, cùm primùm à Capitaneo, in cujus Capitaneatu ſcelus patratum fuerit, cum Caſtellano, vel Iudice, vel Succamerario ejuſdem terræ, Nobis Nuntiatum fuerit, ſive aliunde ad noſtram cognitionem venerit, ad noſtram præſentiam, ubicunque tunc cum Curia noſtra feliciter coſtituti fuerimus, literali Citatione advocare. Citatio verò, ab oblatione per duos Nobiles & Miniſterialem, continebit in ſe terminum ſex hebdomadarum. Cumq; talis homicida coram Nobis comparuerit: & de ejus facinore, Nobis (ut præmiſſum eſt) conſliterit: eundem irremiſſibiliter carcere turris, annô & ſex hebdomadarum ſpatiô, puniemus: & punire promittimus: in primô terminô, *Sigiſ. Stat. 1510. Fol. 12.*

tanquam peremptorio, contra ipsum sententiâ promulgatâ, à quo terminô, nequaquam eidem ad terram, seu districtum, appellare licebit. Et cùm homicida (ut præmissum est) carceris pœnam expleverit: tenebitur proximis interfecti centum viginti Marcas pecuniarum, pro capite, in continenti solvere: aut in bona æquivalentia, realem dare intromissionem: aut tamdiu in carcere sedere, quamdiu non solverit. Et si contigerit, quòd homicida citatus coram nobis non compareret: si idem fuerit possessionatus: bonis suis omnibus per Nos, fisco Regio applicandis, privabitur: & deniq; erit obligatus, ad subeundam pœnam præfatam, cùm in manibus inciderit, & cùm punitus per nos sufficienter fuerit: & capitis pretium persolverit: bona sibi per Nos recepta, restitui debent. Similiter si homicida impossessionatus, & citatus pro crimine hujusmodi, per literas Nostras, in Parochia ad quam pertinet, contumaciter coram Nobis non comparuerit: debet publicô edictô infamis pronuntiari: & hostis Patriæ judicari, & quicunq; tali favores præstiterit, ipsum apud se servando, & secum conservationem habendo: infamis habendus est tamdiu, quamdiu se non purgaverit: & eâ pœnâ puniendus, quam ille ferre debuit. Si verò talis homicida, carcere inclusus, ibidem moreretur: non tenebitur successoribus solutionem, pro capite impendere. Capitanei autem, sive oppignoratos, sive liberos Capitaneatus habentes, si Nobis tales homicidas tempestivè non detulerint: à Nobis pœnâ irremissibili punientur: videlicet cogentur illi, qui oppignoratos Capitaneatus habent, solvere Nobis centum Marcas pecuniarum: toties, quoties ante sex menses, Nobis ejusmodi homicidas non patefecerint: facinusq; ipsum subticuerint, liberos autem, Capitaneatu privabimus, Capitaneo verò, se expurgandi propriô Iuramentô, quòd ei de tali homicidio non constiterit, concedemus (ubi id opus esset) facultatem. Super homicidio autem, quod alicui se defendendo, dum invaditur, in aliquem committere acciderit, talem progressum servabimus: videlicet Citabimus homicidam, ad præsentiam Nostram, ubicunq; tum fuerimus eundemq;, cùm comparuerit, juxta qualitatem homicidii commissi, ex arbitrio nostro judicabimus: seu expurgationem eidem decernemus. Si verò citatus non comparuerit: ita puniendum declarabimus, ut est in articulo homicidii voluntarii & notorii præmissum.

De homicidiis, antè commissis, superiori Statutô quinquennali vindicandis.

Sigis. Crac. 1510. Folio 13. DEcernimus etiam, omnium Consiliariorum & Nuntiorum consensu & consiliô, à tempore felicis nostræ Coronationis, usque hactenus, omnes homicidas hujusmodi (ut præmissum est) modô prædictô aggrediendos, & puniendos, ne malefactis temperâsse videamur.

Hoc ipsum superiùs Statutum, contra homicidas, anno 1523. ad quatuor annos renovatur.

Quia

QVia post intermissum Statutum nostrum: de homicidiis, in magnam audaciam & insolentiam, subditi nostri acti, passim homicidia, absq; ulla Dei & humanitatis ratione committunt: nec jam quisque, etiam in templis, nedum domibus, tutus esse potest: volentes hanc enormem licentiam coercere, Statutum ipsum nostrum, in Conventu Petricovien-si, de anno Domini 1510. contrà homicidas editum, sed postea intermissum, in omnibus punctis, & toto ejus tenore, vigori & authoritati pristinæ restituimus: illudq; ad quatuor annos, proximè sequentes, debitæ executioni demandari volumus. Sigis. Petr. 1523. Fol. 30

Rursus anno 1538, istud etiam Statutum, intrà annum exequendum reassumitur: adjuncta in fundo turris sessione.

AD refrenandam licentiosorum hominum audaciam, ad necandos homines plus nimio promptam: de consensu Senatorum Regni, & Nuntiorum terrarum, Statutum super delatione homicidarum reassumendum, & innovandum duximus: illudq; exequemur, ad decursum unius anni eô adjunctô: Quòd homicidæ delati, & per Nos ad pœnam carceris condemnati, pœnam hujusmodi in fundo turris sustineant, ad unius anni & sex septimanarum decursum integrè, à qua per Nos absolvi, & liberari non debent, neque poterint. Et Capitanei locorum diligenter providebunt: ut homicidæ non aliter, quàm in fundo turris, pœnitentiam agant: concordiâ etiam, cum Actore initâ, nihil eos juvante, contra facientes, pœnâ centum Marcarum, parti Actoreæ solvendâ, mulctari, atque Capitaneatu ipso privari per Nos debebunt. Sigis. Petr. 1538. C 1

Superiùs Statutum aboletur: & Statutum Regis Alberti, in usum restituitur.

PEtierunt à Nobis Nuntii terrarum: ut occidendorum hominum pœna non sit ejus asperitatis, quæ præteritô Petricovien si Statutô circumscripta est: Nos eorum precibus victi (quando hoc illis, ut peterent, æquum visum est) decretum anno superiore, Petricoviæ de homicidis, de Nostra Senatorumq; & Consiliariorum Regni nostri sententia factū, interdicimus & abrogamus: atque id valere volumus, quod eadem de re à Serenissimo Ioanne Alberto, fratre nostro, olim Rege, fuit constitutum. Sigis. Crac. 1539.

Homicidia Statutô Regis Ioannis Alberti plectantur: tutores pro capite agant. Palatinatus tamen cum Dignitariis, in Colloquiis scrutabuntur: si in via, hospitio, domo, vel in templo, cædes facta sit, servus etiam pro Domino non punitur.

TAmetsi hortatu Senatorum nostrorum, inter Nuntios terrestres hæc fuit disceptatio orta: ut aliter homicidia voluntaria, & casualia, præ- Sigis. Crac. 1543.

terea in templis, in domibusve commissa, expenderentur nihilominus postremò in hoc stetit: ut Statutum Regis Ioannis Alberti, de eo conditum, in robore conservaretur: hôc eidem adjectô: Quia cùm aliquis occideretur pater minorennium puerorum: tunc tutor, tam inscriptus, quàm consanguineus, aut cognatus, pro capite occiso agere, juxta Iuris formam: & probationem, quæcunq; pueris (cùm haberent annos discretionis) serviret, talem quoq; pro capite eodem facere debet: & postea pueris illis de eadem pecunia capitis rationem reddere, cùm ad annos discretionis pervenerint, tenebitur. Quodsi etiam ille homicida, post facinus perpetratum homicidii moreretur priùs, quàm ad Iudicium attraheretur: tunc pueri, & alii successores ejusdem homicidæ, tantùm evadunt sessionem in turri: sed non recipientes sibi dilationem ad annos discretionis, in primo termino, tanquam peremptorio, citati pro mercede capitis, illi tutori, vel illis a quibus pater vel consanguineus fuerit occisus; respondere tenebuntur. Pro aliis verò causis, cum pater citatione occupatus moreretur: tunc pueri etiam minorennitate sese tueri non poterint, sed si pater non fuisset citatus: pueri obtinebunt dilationem ad annos discretionis: juxta Statutum. Quodsi etiam homicida viveret, & Iure convinceretur: talis in fundo turris sedere debet, nemine excepto: sine indulgentia illius Capitanei, apud quem ille homicida pœnam hujusmodi sustineret. Et ne postea reus, in hac convictione evaderet pœnam: innocens autem patiatur: (communiter enim ditior convincitur, paupere dimisso) in hoc casu, Palatinus illius terræ, in qua hujusmodi parricidium perpetratum fuerit, cum Castellanis, & aliis Dignitariis, ac Officialibus Terrestribus illius terræ, in Colloquiis scrutinium facere debet, de culpa vel innocentia illius homicidæ, ut eâ cautelâ, innocens pro fonte non patiatur. Sic etiam Palatinus, cum Castellanis, Dignitariis, & Officialibus Terrestribus, scrutari debet de tali homicidio: (si quod acciderit) cùm quis defendendo vitam suam occiderit quempiam, in via, in hospitio, vel in domo: de nocentia, vel innocentia ejus: secundùm invasionem, vel inequitationem illius occisi: & si circa occisionem dominus solus fuit, vel non fuit, & ibidem, postea quã cognoverit Palatinus, cum aliis Dignitariis & Honorariis Terrestribus, homicidam condemnabunt ad id: quod ejus culpæ, Iure debetur: hoc est, juxta decretum probationis per Iudicem factum, condemnabunt illum ad turrim. Etenim decernendo probationem Actori cum controversia partem, quæ si ad hoc, & tale scrutinium trahetur: ad Iudicium Colloquii remittere tenebitur. Quodsi aliquando, circa litem Domini, famulus aliquem occiderit: tunc juxta Statutum, Dominus debet culpari, & non servus.

De homicidio innovatur lex Ioannis Alberti, & Sigismundi: præscriptioq; roboratur.

Quia

QVia in Regno nostro multa homicidia invaluerunt: propterea innovando Statutum Regum, Ioannis Alberti patrui, & Sigismundi Patris Nostri, Statuimus: Quia unusquisq; homicida, posteaquam convictus fuerit, annum & sex hebdomadas, in fundo turris sedere debet: & Nos, hujusmodi sessionem nulli remittere debemus. Quibus autem homicidis Capitanei, de eâ pœnâ aliquid remitterent aliàs *zfolgowáliby:* ut ex illis pœna, juxta Statutum Serenissimi Parentis Nostri, Anno 1540 conditum, recipiatur. Quod quidem non solum de his, qui tempore nostri Regni homicidia commiserunt, verùm etiam & de aliis, qui hoc ipsum facinus tempore Serenissimi Parentis nostri commiserunt, intelligi debet: tantùm ut Iure sint convicti, tamẽ præscriptio de homicidio, in robore conservari debet. *Sigis. Augu. Petr. 1550*

Si kmetho kmethonem occiderit, quomodo punitur?

LIcèt antiquitus fuerit observatum: quòd Kmetho kmethonem occidendo, solutis tribus Marcis Grossorum, à pœna homicidii liberabatur: tamen quia hujusmodi pœna non sufficiebat ad debitam delicti correctionem: unde Nos Statuimus: Quòd kmetho occidens kmethonem, pro pœna homicidii, Castellaniæ, in qua homicidium fuerit commissum, vel ei, in cujus Iurisdictione, delictum & homicidium hoc est perpetratum, quatuor Marcas: consanguineis verò, sive amicis proximioribus interfecti, sex Marcas persolvat. Qui si non fuerit solvendo, & captus fuerit: pœnâ capitali puniatur. *Kazim. Magnus Vislic. 1368. Folio 21*

De kmethone occiso, ac divisione pœnarum.

SI verò quispiam kmethonem occiderit: decem Marcas solvere teneatur, quarum sex, uxori, seu pueris: (si superstites fuerint) & residuæ quatuor Marcæ, Domino occisi exolvantur. Si verò occisus fuerit dominorum duorum: tunc dictæ quatuor Marcæ, inter Dominos sunt dividendæ. *Kaz. Vislic. 1368. Folio 22.*

Pro occisis villanis, in Civitatibus Ius Polonicum est dicendum.

ITem Statuimus: quòd Cives Civitatum nostrarum, Nobilium & Spiritualium, pro vulneribus, & homicidio, Ius Polonicum, hominibus villarum nostrarum, Spiritualium & nobilium, ministrare tenebuntur. *Kazim. in Nieszowa. 1454. Folio 95.*

Vt pro Nobilibus, ita kmethonibus occisis, Ius Polonicum est locandum.

DEcernimus: ut deinceps, secundùm antiquas Regni nostri Constitutiones, de occisis seu vulneratis Nobilibus, aut eorum kmethonibus, in omnibus Civitatibus, & Oppidis nostris Regiis, Spiritualiumq; & Secularium Dominorum, non Iudicium Civile, sed Terrestre & Polo- *Sigis. Petr 1538.*

nicum ſervetur, & locetur. Vbi verò Civile Ius fuerit à Civibus, in hac re ſervatum: pœnâ quatuordecim Marcarum pecuniæ Cives ipſi, parti ſolvendâ puniantur, Iure Terreſtri (toties, quoties opus fuerit) peremptoriè exigendâ.

Scrutinium, quod pro homicidio fieri ſolet, Caſtellanus cum Iudicio Colloquiali facere debet.

Sigiſm. Auguſt. Varſav. 1557. SCrutinium pro homicidio, poſt proclamationem partis, Palatinus quiſq; in Palatinatu ſuo facere debet, cum Iudicio terræ illius. Quòd ſi verò Colloquia non celebrarentur: tum Capitaneus, cum Iudicio Terreſtri, in terminis idem faciat, poterit tamen Palatinus, Nobilem poſſeſſionatum, & juratum, ſimiliter Capitaneus, Vicecapitaneum, in locum ſuum locare: Et quando per ſcrutinium, is, qui occidit, demonſtrabitur: tum pro ſeſſione turris, per Regiam Majeſtatem citari debet.

Quando aliquis aſſerens ſe Nobilem, & non ſit Nobilis, occidetur, aut vulnerabitur.

Idem Rex 1557 SI quis, aſſerens ſe Nobilem, & non exiſtens, occidetur: talis caput ſolvi non debet: quando id per ſcrutinium probabitur, quod quidem intelligendum eſt: ſi pro capite illius, tanquam pro Nobili, proclamatio fieret. Et qui pro capite ejuſmodi, Iure experiretur: talis luet, pœnæ Centum viginti Marcas: atq; ſeſſionis, annum & ſex ſeptimanas, pœnam in fundo tolerare debet. Idem de vulneribus intelligendum eſt.

Præſcriptio agendi pro capite.

Kaz. Viſlic 1368. Fol: 31. UT calumniis malorum hominum via præcludatur: conſveverunt enim quidam homines litigioſi, calumniosè viros innocentes de crimine homicidii commiſſi ante multos annos, querulosè accuſare: cujus probatio vel expurgatio, propter facti vetuſtatem, haberi non poteſt: unde Statuimus: Vt ſi quis de crimine homicidii vult accuſare, vel agere cõtra aliquem: pœnam pro capite ſibi cupiens vendicare, & obtinere, antequam tres anni elabentur, à die criminis commiſſi, hoc, in Iudicium deducat, alias tribus annis elapſis, petenti & agenti pro pœna capitis obſtabit Præſcriptio, & exceptio Præſcriptionis.

§ Pro homicidio incerto, Caſtellania non agat: Vide in Titulo, CASTELLANUS Fol. 64.

§ De homicidio Sacerdotum, Vide in Titulo, SPIRITUALES.

§ De homicidio fratrum, ſororum, conſanguineorum: Vide in Titulo, FRATRES. Folio 177.

§ Quando Plebeius occidit Nobilem, aut vulnerat: quâ pœnâ puniendus. Vide in Titulo, VULNUS.

IMPOSSESSIONATI.

Impoſſeſſionati coram Capitaneo reſpondebunt: ac de eiſdem apud poſſeſſionatos arreſtandis.

SI impoſſeſſionatus, ſeu odardus, aliàs *Gołotá*, cuipiam reus eſſet in aliquo: reſpondebit cuilibet in Iudicio Caſtrenſi, pro re qualibet. Item ſi aliquis culpabilem, in aliqua ſua re, impoſſeſſionatum hominem arreſtaverit apud poſſeſſionatum: (quam arreſtationem facere debet, cum Miniſteriali veniens) tunc ille poſſeſſionatus teneatur in una ſeptimana illum imppoſſeſſionatũ, coram Capitaneo ſtatuere, qui impoſſeſſionatus ſtatutus coram Capitaneo fidejuſſores pro ſe daturus, ſeu ſeſſurus: quia parebit Iuri. Et ſi idem poſſeſſionatus, illum impoſſeſſionatum non ſtatuet: tunc ſolus ipſe poſſeſſionatus reſpondebit Actori, pro re, pro qua impoſſeſſionatus eſt culpatus. Ex Conſuet. terræ Crac. Fol: 122.

Contra impoſſeſſionatum, qui arreſtari non poteſt, ponendæ Citationes in Parochia.

ITem ſi homo impoſſeſſionatus non poſſet arreſtari in aliquo loco: tunc in qua Parochia aliquando erat poſſeſſionatus, in illa contra eum debent poni Citationes: ibiq; Miniſterialis clamabit: Quòd cont a talem A. B. impoſſeſſionatum, Citationes ponuntur, quæ talium Citationum in Parochiis poſitio, hæredi bonorum illorum, ubi eſt Parochia, nihil nocere debet. Conſvetudo terræ Crac. Fol: 122.

Impoſſeſſionati Iure victi, niſi illico ſatisfecerint, & receſſerint, capiantur.

QVia victus tenetur victori ſatisfacere de evictione & condemnatis neq; de Iudicio priùs recedat: niſi ſatisfaciat de eo, in quo eſt condemnatus, quidam tamen rebellione, aut inobedientiâ ducti, neſcitur quo animo de Iudicio recedunt condemnati, pro debito nullam ſatisfactionem adverſariis impendentes. Quapropter volumus, quòd tales inobedientes, de malitia ipſorum commodum non reportent, qnin poſtquam victi fuerint in Iudicio, ad manus ſuorum adverſariorum ligati tradantur. Et ſi in Captivitate manentes effugerint: à poteſtate ipſorum ſint liberi, & abſoluti ipsô factô: & omni debito, quod tenentur & obligantur, præter debitum furti: quod ſemper condemnati ſolvere tenebuntur. Kazimirus Viſliciæ 1368 Fol. 9

Impoſſeſſionati comprehendendi ſunt, Iure victi.

QVi verò eſſent impoſſeſſionati, per Officium illud Caſtrenſe comprehendantur: & in turrim conjiciantur, quorum punitio, in arbitrio & gratiâ noſtrâ conſiſtat. Sigiſ. Petr. 1523. Fol. 36

INCENDIARII.

Incendiarii & exuſtores, Iure Polonico non Civili ſunt judicandi: & Eccleſiæ patrocinium nullum ſentiant.

Kaz. Mag. Folio 23. EX lege Imperiali, clara lucenobis conſtat: quòd Incendiarii, & exuſtores domorum, horreorum, aut quorumvis bonorum, voluntarii, morte crudeli & turpiſſima puniantur, quibus etiam inventis, ſi ad Eccleſiam effugiant, patrocinium ex hoc nullum debeant obtinere: propter criminis damnati ſævitiem. Conſueverunt enim hactenus hujuſmodi malefactores, (ut manus Iudicum, juſtitiam exequi volentium, effugiant) ùt plurimùm, in Civitatibus vel villis Teutonicalibus permanere: ut actionem contra illos propoſitam elidant, per Iuris Teutonici defenſionem, & ſic ſæpiùs talium malefactorum crimina remanent impunita. Vnde de noſtrorum Baronum, & Procerum conſilio, Statuimus: quòd accuſati de crimine incendii, ſive exuſtionis, etiam inventi in Civitatibus, aut villis Teutonicalibus, extra forum ipſorum trahantur: & Iure Polonico, coram Iudice competenti, tenebuntur reſpondere: ac ſententiari, ſeu puniri pœnâ dignâ: juxta criminis commiſſi demeritum.

De arvipirio & incendio ſylvarum.

Wladislaus Iagello Cracov. & Vartæ Fol. 47 FRequenter ſolet evenire: quòd Nobiles ſeu Plebeii, Borra, ſylvam, aut Gajum (dictum *Zapuſta*) cujuſcunque, ex induſtria intrantes, aut caſuc, aumate, aliàs, *Pożárem*, ſuccendunt: ſi de hoc per Dominum villæ fuerint inculpati: tales non alio Iure, niſi Iure Polonico, ſicut incendiarii debent Iudicari. Et licèt honori ipſorum per hoc minimè derogetur: nihilominus tamen convicti, ſi fuerit kmetho, & non habet unde ſolvat, redimat ſaltem vitam decem Marcis, ſicut procapite plebeii, dari eſt conſuetum.

Pœna Siedmdzieſiath, hoc eſt 14. Marcarum, pro incendio eſt decernenda.

Kazim. Magnus Fol. 15 UT itaque certa menſura & regula, de pœna (quæ conſuevit noſtro fiſco, ſive noſtræ cameræ applicari) quæ *Siedmdzieſiat* dicitur, habeatur: Statuimus; quòd tantùm in quatuor caſibus infraſcriptis, & non in pluribus, noſtræ cameræ applicetur. Primus caſus eſt, pro incendio: ut dum aliquis de incendio accuſatus, juxta formam Iuris legitimè ſe non poterit expurgare. Secundus caſus: ubi aliquis de violentia, ſeu ſpolio publicæ ſtratæ accuſatus fuerit: & defecerit in ſui expurgatione. Tertius caſus: ubi aliquis Iudicium noſtrum parvipendens, coram Iudicio cultellum, vel gladium præſumpſerit extrahere. Quartus caſus: cùm aliquis judicatus & condemnatus, juſſuſq; ſatisfacere, vel ſufficientem fidejuſſoriam cautionem facere, contempſerit: & de Iudicio, per ſuam rebellionem, diſceſſerit: non præſtita prædicta cautione. Volumus quòd prædicta pœna, in præmiſſis quatuor caſibus, noſtræ cameræ applicetur.

Fur, latro, incendiarius, raptor virginum, depopulator, cautionem fidejuſſoriam facere nolens, capiendus & puniendus.

ILlo tamen homine, qui in furto vel in publico maleficio, &c. Wladisl: Iagello in Iedlna, 1433. Fol. 52

§ Vide in Titulo, FURES. Fol. 185.

§ De ijs, qui ſylvas incendunt: Vide in Titulo SYLVA.

INFAMES QVI SVNT.

§ Qui de Regno profugi, latrocinia exercent. Vide in Titulo, PROFUGUS.

§ Qui Hæreticis patrocinantur. Vide in Titulo, HÆRETICUS. Folio, 191,

§ Qui latrones, fures, in domos recipiunt. Vide in Tit: FUR Fol. 185

§ Qui ter in *Regiſtris* notati fuerint. Vide in Titulo, NOBILIS

§ Qui præter compurgatores, ad Iudicium veniunt. Vide in Titulo, FUR. Folio. 185.

§ Infames ſunt parricidæ, fratricidæ. Vide in Titulo, HOMICIDIUM Folio 193.

§ Infames ſunt omnes, quicunq; perpetratis furtis fugiunt. Vide in Titulo, FUR. Folio 185.

§ Infames ſunt, quicunque furibus hoſpitia præbent. Vide in Titulo, FUR. Folio 185.

§ Infames ſunt, quicunq; quartâ vice de calumnia accuſati fuerint. Vide in Titulo, CALUMNIA. Folio 54.

§ Infames ſunt, qui invaſione domeſtica facta, è Regno profugiunt Vide in Titulo, INVASIO DOMÛS.

§ Infames ſunt omnes, quicunque raptûs convincuntur. Vide in Titulo, RAPTUS.

§ Infames ſunt ſervi, qui Domino jubente maleficos non inſequuntur. Vide in Titulo, SERVUS.

§ Infames ſunt omnes impoſſeſſionati, homicidia perpetrantes, & citati non comparentes. Vide in Titulo, HOMICIDIUM. Folio 193.

§ Infames ſunt omnes, quicunque Conventu turbato, è Regno profugiunt. Vide in Titulo, COMITIA. Fol. 91.

§ Infames ſunt, quicunque Officium, vel Dignitatem, contra Statutum acceptam, moniti non dimittunt. Vide in Titulo, DIGNITAS. Folio 140.

§ Infames ſunt, quicunq; caſtra Regni, contrà Statutum obtinent. Vide in Titulo, CASTRA. Fol. 67.

INHIBITIO

Inhibitiones Spiritualium, ad Secularia Iudicia dandæ non ſunt.

Ioan: Albert Petr. 1496. Fol. 108.

ITem viam diſcordiarum, inter ſtatum Spiritualem & Secularem, occaſione Inhibitionum (quas Prælati Spirituales, in Iure Seculari, ipſorum literis & interdictis facere conſuêrunt) ferventiùs exortarum exoriundarumq; præcludere volentes, Statuimus: quòd deinceps Prælati Spirituales, à talibus inhibitionibus faciendis penitus ceſſent: præſertim pro cauſis, ad Ius Seculare pertinentibus, exceptis cauſis, Iuri Spirituali ſubjectis: de quibus ſe nullatenus Iudicium Terreſtre debeat ingerere.

Qui literas inhibitionis producit, & Iudex Terreſtris aut Caſtrenſis eas ſuſcipit, pœnis 14. Marc. puniatur, niſi forte Reipubl. causâ aliquis excuſetur.

Sigiſm. Petric. 1538. A 5,

VOlumus, ut nullæ in poſterum Inhibitiones ad Iudicia dentur: fiatq; in hoc executio Statutorum Regni noſtri: & is, qui hujuſmodi literas in Iudicium produxerit, pœnâ 14 Marcarum parti adverſæ puniatur. Similiter Iudices, tam Terreſtres, quàm Caſtrenſes, hujuſmodi literis Inhibitionum, in præjudicium partium parentes, & locum dantes, 14 Marcarũ pœnâ plectantur, exceptis cauſis eorum: qui in ſervitiis Reipublicæ, puta Legationis; aut ubi aliquis per Nos exercitui, contra hoſtem noſtrum, etiam extra Regnum, præfectus fuerit, quorum cauſæ, ad unius anni ſpatium (ſi tantô tempore fuerint in ſervitio noſtro) ſuſpendi poterunt: juſſu ac declaratione noſtrâ, per literas Iudicio faciendâ.

De cauſis Secularibus, in Iudicio Spirituali non judicandis.

Alexander Folio 117.

QVamvis in antiquioribus Statutis & Privilegiis, conſtat vetitum eſſe; ne Spirituales Iudices arrogarent ipſis: cauſarum Secularium judicandi facultatem: tamen cùm clamore communi impulſaremur: quia non obſtantibus Conſtitutionibus antiquis, Seculares perſonæ plerumq; evocantur ad Spiritualia Iudicia, pro negotio Seculari: Quapropter ſtatuimus, & decernimus: Quòd Iudices Spirituales, Secularia Iudicia non exerceant, neq; judicent in futurum.

Inhibitiones, ad Commiſſariale Aſſeſſorialeve Iudicium, non dabuntur.

Sigiſ: Petr: 1523. Folio 30.

NOs verò deputabimus Commiſſarios noſtros, qui faciant limites, ac illorum Iudicium Inhibitionibus noſtris non impediemus: Aſſeſſores ſeu Concommiſſarios, nec etiam Reviſores, poſt factos limites deſignabimus: ſed quicquid Commiſſarii noſtri decernent, illud ratum & firmum eſſe debebit. Præterea cùm Commiſſarii noſtri convenient, ad locum

locum limitum: ſive Capitaneus, ſeu tenutarius noſter exiverit, ſive non: eduxerit ſenes, aut non: ipſi Commiſſarii nihilominus limites ipſos proſequi, & finire debebunt: Capitanei noſtri, ac etiam illius, qui queritur de injuriis limitum, contradictione, ſeu Motione, & Appellatione, ac etiam abſentiâ minimè obſtante.

Neque Rex Iudicio inhibeat, niſi quis Reip. causâ abſit.

Kazim. III. Iagello in Korczyn 1451. Fol. 88.

ITem Decernimus: quòd amodo & deinceps literæ, Ius & juſtitiam prohibentes, in gravamen & præjudicium, juſtitiam quærentibus, non dabuntur, nec concedentur: niſi illis, qui in bello fuerint: aut rebus & negotiis Reipubl. intendunt: tempore medio, quo hujuſmodi onera pertulerunt.

Regiæ Inhibitiones ſint nullæ.

Kazimirus in Nießowa 1454 Fol. 93

ITem pollicemur: quòd non dabimus literas prohibitorias Iuſtitiæ: aut has, per quas poſſet impediri, aut differri Iudicium, in præjudicium alicujus partis, Actoris aut Rei. Quodſi aliquando hujuſmodi literas, de Cancellaria noſtra, per importunam alicujus inſtantiam, aut quovis modo emanare contigerit: ſint eo ipſo nullæ: Iudicesq;, per hujuſmodi literas minimè judicare ſint aſtricti.

Cancellaria inhibitiones ne det.

Alexander Petri 1504 Folio 113

LIteræ autem Iuri contrariæ, intelligantur Inhibitiones ad Iudicia: quæ emanant abſq; neceſſitate Reipubl.

Sigiſ. Crac. 1532. B 2.

§ SIMILIS. De Inhibitionibus, Iuri communi & Statutis Regni contrariis non concedendis Mandabimus: ut Cancellariæ noſtræ præſidentes, in contrarium Statutorum, illas nemini concedant, & ſi conceſſerint: illæ juxta Statutorum præſcriptum, nullæ cenſeantur.

Inhibitiones ad Iudicia ne dentur.

Sigiſ. Augu. Petricovia 1550.

QVandoquidem de Inhibitionibus ſunt antiqua Statuta: juxta hæc, tam Cancellaria noſtra, quàm Iudicium, vel Officium, ſeſe conſervare debent. Quodſi aliquod Iudicium, vel Officium, aliter ſeſe conſervaret: extunc pœnâ Statuti deſcriptâ puniri debet.

INSCRIPTIO.

Ætas, diſcretio, & valetudo, conſideranda, in faciente Inſcriptionem.

Sigiſm. Petric. 1523. Fol. 44.

NOtandum, quòd Iudicio præſidẽtes debent diligenter intendere, & conſiderare perſonam recognoſcentem, aliquam Inſcriptionem: ſi habeat debitam ætatem, aut diſcretionem bonam, quodſi aliter: non ſuſcipiatur Inſcriptio. Etiam debent conſiderare, ſi eſt ſanus corpore:

tunc potest scribi, Sanus mente & corpore. Sed si æger corpore existat, compos tamen rationis: prout est in re, scribatur: ita videlicet, Æger & languens corpore, sanus tamen mente, & compos rationis,

Inscriptiones Castrenses evanescunt: si infra annum, ad libros Terrestres non trasferantur.

Albertus 1496 Fol. 97 IN libris & Iudiciis Castrensibus, si quæ inscribentur Inscriptiones, aut ex causa, aut necessitate hominum: illæ ad librum Terrestrem transferuntur ante anni decursum unius, quo decurso, nullius roboris censeantur esse, in libro Castrensi sine translatione relictæ.

Inscriptiones transferantur.

Sigis. Cracov. 1507 Folio 1. IN primis Statutum Ioannis Alberti, quod hactenus non fuit in executione positum, de inscriptionibus in librum Castrensem inductis (utinfra unius anni decursum, ad librum Terrestrem transferantur, alioquin nullius roboris esse censeantur) approbamus: & in futurum ab omnibus observandum decernimus: volentes, ut si quæ deinceps Inscriptiones, seu Resignationes coram Capitaneo factæ fuerint, nisi infra unum annum, in librum Terrestrem transferantur, sint nullius roboris & momenti.

Pœna trium Marc: irrogetur ei: qui inscriptionem Castrensem, ad tempus præfixum non trasferat.

Consvetudo terræ Crac. Folio 120. ITem dum aliquis inscribit alicui, in Iudicio Castrensi Inscriptionem: & promiserit inducere, in librum Terrestrem, aut Regalem: & non compleverit ad tempus, prout se inscripsit: succumbens pœnam Iudicio trium Marcarum, & totidem parti, illud facere teneatur: quod in Iudicio Castrensi inscripsit.

Inscriptiones, quæ coram Capitaneo Majoris Poloniæ, in Palatinatu Posnanienſi, & Calissienſi fiunt, perpetuæ sunt.

Sigis. Crac: 1510. Folio 11. DEcernimus, ad petitiones Nuntiorum Majoris Poloniæ: ut Resignationes, & Inscriptiones, Reformationesq;, coram Capitaneo Majoris Poloniæ generali, more antiquo fiant: in Palatinatibus, Posnanienſi & Calissienſi duntaxat.

Inscriptiones, coram Officio Castri Siradienſis & Lancicienſis, factæ sunt perpetuæ,

Sigis. Crac. 1519. Fol. 24 INscriptiones & Resignationes bonorum, in terra Siradienſi & Lancicienſi, coram Iudicio & Officio Castrensi factæ, sint firmæ & validæ: ac robur perpetuæ firmitatis obtineant, sine quavis introductione in librum Terrestrem, quemadmodum in Capitaneatu Majoris Poloniæ observatur.

In

In terra Gostinenſi, tam libri Castrenses, quàm Terrestres, perpetui sunt.

Sigis: Crac: 1540. IN terra Gostinensi, rationabili quadam ratione adducti, de consilio Senatorum, & Nuntiorum Regni assensu, constituimus & decernimus: ut non secus Castrenses, quàm Terrestres libri, & Inscriptiones in illis factæ, sint authenticæ: & robur habeant perpetuæ firmitatis, quemadmodum id antiquitus fuit observatum.

A cassatione Inscriptionis, unus Grossus accipiatur.

Sigis. Crac. 1532. STatuimus: ut Notarii Terrestres & Castrenses, à cassatione inscriptionis, non nisi unum Grossum, ratione memorialis, & pro nota exigant: sub pœnis, in Statutis prioribus contra eos sancitis.

Inscriptiones in fraudem factæ, quomodo probandæ.

Sigis. Crac. 1507 Fol. 4 SÆpè contingit circumveniri subditos nostros, per Inscriptiones bonorum, & fraudem eorundem, & impedimentum justitiæ contra delinquentes: quapropter Statuimus: ut cùm actio & lis judicialiter alicui intentata fuerit pro quovis delicto: si Reus ille, Resignatione & inscriptione bonorum, in Iudicio se tutari voluerit: & si perpetua fuerit Inscriptio: probabit eandem Inscriptionem, per Iuramentum, cum sex testibus suæ conditioni paribus: Quòd non in fraudem partis, aut administrationem & executionem justitiæ, occasione delicti objecti, illam fecerit, si verò ad certum tempus eadem Inscriptio facta fuerit: cum duobus testibus, nullô dolô factam esse, jurabit.

Si quis alterius nomine inscriptionem faciat falsò.

Sigis. 1518. C 3. QVia impunitas magna dedit hominibus in malum propensis, ad falsitates & collusiones admittendas audaciam: ut non vereantur, per submissas & subornatas personas, ut in Iudiciis, aut apud libros Terrestres, certas recognitiones facerent, nomine earum personarum, quas sæpè contingit longiùs abesse à loco Iudicii, & procurare: in detrimentum, & perniciem ignorantium, quam licentiam refrenare volentes, Statuimus: ut omnes tales, ubi sufficienti testimoniô convicti fuerint, pœnâ Statuti, de Invasione domûs expressâ puniantur.

Procurator, Inscriptiones ne faciat.

Albert. Petrico. 1511, Folio 18. STatuimus: ut Procurator, sive sit possessionatus, sive non possessionatus, licèt habeat sufficiens procuratorium: inscriptiones tamen nec novas faciat, nec de antiquis quietet, nec pecunias tollat inscriptas, sine præsentia sui Principalis, seu Actoris.

Inſcriptiones, lingvâ Polonicâ ſcribi poſſunt.

Sigiſmundus Crac. 1543 UT autem Citationes, ita Controverſias, Decreta, & Inſcriptiones, liberum eſt unicuiq; Polonicâ lingvâ ſcribere, hoc tamen perpetuum ſit: ut tam Inſcriptiones Terreſtres, quàm illa omnia, in loco Iudicii, præſente Iudiciô Terreſtri, in Acta, Polonicè vel Latinè inſcribantur: propterea q; Notarii Terreſtres debent aſſidere Actis ſub amiſſione ſui Officii.

Contra Inſcriptiones factas, locus dicendi non relinquitur.

Sigiſmundus Crac. 1543 POrrò contra Inſcriptiones obligationum, & oppignorationum quarumvis, jam nullus locus, nulli hominum, ne Procuratoribus quidē, ad dicendum erit reliquus: nec quiſquam controverſiam, atq; contradictionem, contra eaſdem inſtituet ac faciet: ſed duntaxat eiſdem Inſcriptionibus ſatisfacere, & eaſdem implere, juxta obligationem tenebitur, nullam motionem Iudicis faciendo: pro quibuſcunque tandem debitis inſcriptæ, & quacunq; tandem tuitione roboratæ fuerint. Sed neq; ullam dilationem, atq; procraſtinationem debitor habebit, niſi fortaſſe, coram Iudicio demonſtraret, & allegaret Quietationem ſui, ratione ſatisfactionis pro eodem debito inſcriptam. In tali enim caſu, ſemel ad futuros terminos, beneficiô dilationis uti debet. Quam quidem ſatisfactionem, & Quietationem ſui, tenebitur comprobare in futuris terminis, ex eiſdem Actis, ad quæ ſe receperit, ſub amiſſione ſuæ cauſæ.

Officium, ad nullum accedat, ad Inſcriptiones ſuſcipiendas, excepto Rege.

Sigiſ. Augu. 1550 CAvendo difficultates omnium, quæ exinde oriri poſſent, Statuimus: ut nullum Officium ad quenquam accedat, propter ſuſcipiendas aliquas Inſcriptiones, aut Recognitiones aliquas: ſed Actibus præſentibus, in præſentia inſcribentis, aut recognoſcentis ſani mente. Quod verò attinet Perſonam noſtram Regiam, id eo modo conſervari debet, prout hactenus conſervatum fuit: quòd liberum ſit in præſentia noſtra, ad ſuſcipiendas Inſcriptiones ad unumquemq; nobis mittere.

Sigiſ. 1534 INSCRIPTIONES OMNES SECVNDVM FORMULAS STATUTI FIANT.

INSCRIPTIONVM VARIÆ FORMÆ.

De forma ac validitate omnium obligationum in genere.

Sigiſmundus Crac. 1543 AD effugiendas difficultates in Inſcriptionibus & Citationibus, (quas vafri homines, & eorum Procuratores, in longum inutiliterque trahere, ſimplicitatem verò Iuris ac juſtitiam impedire ſolent) Cõſtitui-

ſtituimus: quia Inſcriptiones reemptionales, commutatoriæ, donatoriæ, obligatoriæ ad certum tempus, & debitorum in certam diem, fieri ſolitæ, bonorum utendorum inter conjuges, advitalitates, & arendarum, aliæq; hujuſmodi obligationes, ſint juxta formulas ipſarum Inſcriptionũ, in Statuto conſcriptas: ita ut ſi etiam breviter in Actis ſcriberentur, debent tamen valere. Et hoc ita, ut quilibet, vendendo ſua bona, vel quocunque modo inſcribendo, aut oppignorando, Comparens coram Iudicio recognoſcat: Quia bona ſua, hoc eſt, hanc vel illam villam, vendit huic vel illi Nobili, & ſucceſſoribus ejus, hac vel illâ pecuniæ ſummâ: cum omni Iure, proprietate, & dominio: ſicut eandem ſolus habuit: atque dat realem intromiſſionem perpetuò, per Miniſterialem hunc vel hunc; hoc adjecto: (ſicut latiùs in formula Statuti deſcriptum eſt) Quòd ſi prædictus venditor, inſcriptor, alienatorve bonorum haberet uxorem: tunc eam tenebitur, cum amicis ſuis adducere: ut cedat, de reformatione dotis & dotalitii ſui, & hanc receſſionem faciet, & recognoſcet, juxta formulam venditionis, ſuperiùs Statutô contentam, cum conſenſu amicorum ſuorum. Quarum quidem Inſcriptionum tuitionem, ac defenſionem, unicuique liberum erit facere, ſub damnis terreſtribus, vel ſub vadio: prout ſcilicet inter partes contrahentes fuerit conventum. Contra tales verò Inſcriptiones obligationum & oppignorationum quarumvis, jam nullus locus, nulli hominum, ne Procuratoribus quidem ad dicendum erit reliquus nec quiſpiam controverſiam, atq; contradictionem, contra eaſdem inſtituet, ac faciet: ſed duntaxat eiſdem Inſcriptionibus ſatisfacere, & eaſdem implere, juxta obligationẽ tenebitur, nullam motionem Iudicis faciendo: pro quibuſcunque tandem debitis inſcriptæ, & quacunq; tandem tuitione roboratæ fuerint. Sed neq; ullam dilationem, atq; procraſtinationem debitor habebit, niſi fortaſſe coram certo Iudicio demonſtraret, & allegaret: Quietationem ſui, ratione ſatisfactionis pro eodem debito inſcriptam. In tali enim caſu, ſemel ad futuros Terminos beneficiô dilationis uti debet. Quam quidem ſatisfactionem, & Quietationem ſui, tenebitur comprobare in futuris Terminis, ex eiſdem Actis, ad quæ ſe receperit: ſub amiſſione ſuæ cauſæ.

Inſcriptio commutationis bonorum.

Sigiſ. Petr. 1523 Fol. 45 COmparentes perſonaliter coram Iudicio Nobilis N. hæres de N, ex una, & Nobilis N. de N, partibus, ab alterâ, ſani mente & corpore, compoteſq; rationis exiſtentes, publicè & per expreſſum recognoverunt: talem inter ſe feciſſe bonorum hæreditariorum, perpetuam & irrevocabilem commutationem: dantes ſibi invicem bona pro bonis, & terram pro terra: quòd videlicet prædictus N. dedit & commutavit ſua bona hæreditaria, videlicet villam N, cum ipſius villæ totali hæreditate, cum omni Iure, dominio & proprietate, ac titulo hæreditario, cum prædicto N. de N, qui pro ejuſdem N. hæreditariis bonis, videlicet villa N, etiam

cum totali ipsius villæ hæreditate, illi dedit & commutavit bona sua hæreditaria præfata, videlicet villam N, cum ipsius villæ totali hæreditate, cum omni Iure, dominio, & proprietate, ac titulo hæreditario: ita quòd præfatus N, prædicta bona; videlicet villam N. cum suis successoribus tenebit, habebit, & hæreditariè possidebit: ita latè, longè, circumferentialiterque: prout dicta bona, seu hæreditas præfatæ villæ N. in suis metis & limitibus ab antiquo est distincta, & limitata: cum omnibus ad ipsa bona spectantibus, & pertinentiis: nihil excipiendo. Et similiter prædictus N, prædicta bona sua, videlicet villam N. cum ipsius villæ totali hæreditate: cum omni Iure, dominio, & proprietate, tituloque hæreditario: cum legitimis suis successoribus, tenebit, habebit, & hæreditariè possidebit: ita latè, longè, circumferentialiterque: prout dicta bona, seu hæreditas villæ N, in suis metis, & limitibus ab antiquo est distincta, & limitata: cum omnibus pertinentiis ad ipsa bona spectantibus: nihil excipiendo. Et jam præfati commutantes, dederunt sibi invicem, in præfata bona commutata realem intromissionem, & actualem possessionem: & debent tenebunturq; se & eorum successores, invicem, occasione præmissorum bonorum, tueri, defendere, & invicem se eliberare, pacificareq;, ab omni impetitione Iuridica, ab omnibus personis per præscriptiones Terrestres: prout ad aliquam personam præscriptio pertinet: sub damno terrestri, totiies, quoties alteri ipsorum commutantium, vel eorum successoribus opus fuerit.

Inscriptio venditionis bonorum.

Sigis. Cracov. 1523. Folio 44.

COmparens personaliter coram Iudicio, Nobilis N. hæres de N. sanus mente & corpore existens, publicè & per expressum recognovit: Quia bona sua hæreditaria, videlicet villam N. cum totali ipsius villæ hæreditate, & omnibus ad eam pertinentibus, & quovis modo spectantibus, & provenientibus: nihil Iuris, dominii, & proprietatis, & quorũvis usufructuum, prædictus N. in præfatis bonis N. pro se & suis successoribus reservando, seu excipiendo: ita latè, & longè, circumferentialiterque, prout præfatorum bonorum villæ N hæreditas, se in suis metis & limitibus extendit: Nobili N. de N. pro centum Marcis pecuniæ monetæ & numeri Polonicalis, vendidit perpetuè, & in ævum ita prout solus habuit, tenuit, & possedit: nullis exclusis: per præfatum N. & ejus successores, cum omni Iure, dominio, & proprietate ac titulo hæreditario, perpetuè & in ævum tenenda, possidenda, & ad usus beneplacitos convertenda. Et jam exnunc, prædictus N. præfato N dedit realem intromissionem, & actualem possessionem, per Ministerialem terrestrem, N. de N. in prædicta bona, videlicet villam N. & ejus hæreditatem totalem, & debet prædictus N & ejus successores præfatum N. cum suis successoribus, occasione præmissorum, tueri, evincere, & liberare, pacificareque: ab omni impetitione Iuridica, ab

ca, ab omnibusque personis, per Præscriptiones terrestres: prout ad quamlibet personam Præscriptio pertinet: toties, quoties sibi N. opus fuerit: sub damno terrestri, nulla re exquisita ipsum evadendo. Pro quibus damnis, seu vadio, &c. ut supra. Et si venditor haberet uxorem: cujus reformatio extenderet se ad alia bona vendita: constituetur per maritum ad Acta: & cum consensu amicorum ad minus duorum ex linea paterna consanguineorum, consentiet ad talem Inscriptionem: quo ad ejus reformationem.

Inscriptio censûs in vim reemptionis, aliàs Ná widerek, personis.

COmparens personaliter coram Iudicio Nobilis N. de N. hæres, sanus mente & corpore, publicè per expressum recognovit: Quia honorabilibus viris N. de N. &c. Mansionariis Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis, modernis & pro tempore existentibus, duodecim Marcas pecuniæ censûs annui, pro trecentis Marcis pecuniarum monetæ & numeri Polonicalis, perpetuè & in ævum, in vim tàmen reemptionis, aliàs *Ná widerek*, vendidit, & inscripsit: & vendit, & inscribit: in & super bonis suis hæreditariis: videlicet villa N, ac Kmethonibus, tabernatoribus, & aliis quibusvis incolis præfatæ villæ N; Quas quidem duodecim Marcas pecuniarum, prædictus N. & ejus successores, tenebitur seu tenebuntur singulis annis, pro quolibet festo S. Martini, præfatis honorabilibus viris Mansionariis N. & N. modernis & pro tempore existentibus, per proprium Nuntium mittere: & ab illis etiam quotannis, post solutionem Quietationem recipere. Et tenebitur, præsentibusq; se obligat præfatus N, cum kmethonibus ejusdem villæ incolis, ad Acta Spiritualia, Vicarii sive Officialis in Spiritualibus Cracovien. pro festo Sancti Andreæ proximô stare: & se ad solutionem, cum præfatis kmethonibus, præfati censûs annui duodecim Marcarum, sub censuris Ecclesiasticis obligare. Etiam præfatus N. obligat se & suos successores, occasione prætati censûs, ab omnibus Inscriptionibus prioribus, si quæ sunt, & omni impetitione Iuridica, prædictos Mansionarios modernos, & pro tempore existentes, tueri, evincere, & liberare: ab omnibus personis: ita quòd præfati Mansionarii moderni, & pro tempore existentes, possent pacificè & integrè, quolibet anno, præfatum censum duodecim Marcarum, sicut præmissum est, percipere sine quovis impedimento. Quæ omnia superiùs expressa & in præsenti Inscriptione contenta, præfatus N. tenebitur, & sui successores tenebuntur complere: sub vadio centum vel N. Marcarum, prædictis Mansionariis, & eorum successoribus solvendô. Pro quo vadio, citatus, vel successores ejus citati, in primo termino, tanquam peremptorio, stare debet sive debent: nulla re exquisita sive Iudiciaria, sive extrajudiciaria illos evadendo: vel terminum differendo: sub amissione suæ causæ: sed in eodem termino tenebitur & tenebuntur

Sigism. Petric. 1523. Fol. 45.

buntur prædictos manſionarios, ab omnibus impedimentis, evincere, & liberare: & omnibus in præſenti Inſcriptione contentis, ſatisfacere: Quodſi noluerit, aut neglexerit: vel ejus ſucceſſores neglexerint: extunc in inſtanti, pro præfato vadio ſatisfacere tenebitur, ſive tenebuntur. Et ſatisfaciendo pro præfato vadio utiq; omnia contenta in præſenti Inſcriptione, complere debebit toties, quoties præfati Manſionarii, cenſum præfatum, ad tempus prædictum habere non poſſent: & illis dedit realem intromiſſionem; & præfatum cenſum, per Miniſterialem Terreſtrem N. de N.

Formula donationis perpetuæ.

Sigiſ. Crat. 1523. Fol. 46.

COmparens perſonaliter coram Iudicio, Nobilis N. hæres de N. ſanus mente & corpore exiſtens, publicè & per expreſſum recognovit: Quia bona ſua hæreditaria, videlicet villam N. cum totali ipſius villæ hæreditate, ac cum omni Iure, dominio, & proprietate, tituloq; hæreditario, necnon cum omnibus ad ipſa bona pertinentibus, & quovis modô ſpectantibus & utilitatibus univerſis, nihil Iuris, dominii, & proprietatis, & quorumvis uſufructuum, ac utilitatum, in prædictis bonis, pro ſe & ſuis ſucceſſoribus reſervando, ſeu excipiendo: ita latè, & longè circumferentialiterque, prout præfatorum bonorum hæreditas ſe in ſuis metis & limitibus extendit, & prout ea ſolus tenuit, habuit & poſſedit; Nobili N. de N. nepoti ſuo ex fratre germano, dedit, donavit, perpetuè, & in ævum, irrevocabiliterq;: per præfatum N. & ejus ſucceſſores, tanquam veros & legitimos hæredes, prædicta bona tenenda, habenda, & perpetuè poſſidenda, aduſuſq; beneplacitos convertenda. Et jam prædictus N, prædicto N. exnunc dedit realem intromiſſionem, & actualem poſſeſſionem, per Miniſterialem Terreſtrem N. de N, in præfata bona.

Forma obligationis cum traditione poſſeſſionis.

Sigiſm. Petric. 1523. Folio 47

COmparens perſonaliter coram Iudicio Nobilis N. de N. hæres, publicè, & per expreſſum recognovit: Quia Nobili N. de N, bona ſua hæreditaria, videlicet villam N, in trecentis Marcis pecuniæ bonæ monetæ numeri Polonicalis obligavit, inſcripſit: & præſenti Inscriptione invadit, obligat, & inscribit, ad feſtum Nativitatis Chriſti proximè venturum; & à feſtô Nativitatis Chriſti proximô, in defectu exemptionis, & ſummæ præfatæ solutionis ad aliud feſtum Nativitatis Chriſti: & ſic ab anno ad annum, annis ſe ſequentibus: usq; ad plenariam & integram præfatæ ſummæ trecentarum Marcarum exolutionem: & prædictorum bonorum N. exemptionem: per ipſum N. de N, prædicta bona N. tenenda, habenda, & poſſidenda: cum omni Iure, dominio, & proprietate, modô obligatoriô: nihil Iuris, dominii, & quorumvis uſufructuum vel utilitatum, in præfatis bonis N. pro prædicto N. & ejus ſucceſſoribus, uſq;

uſq; ad debitam executionem, penitus reſervando, ſeu excipiendo: ſed ita latè, & longè, prout ſolus prædictus N. tenuit, habuit, & poſſedit. Et jam ſibi prædictus N. dedit, & dat exnunc in præfata bona N. realem intromiſſionem, & actualem poſſeſſionem, per Miniſterialem Terreſtrē N. de N. Et debet tenebiturq; præfatus N. & ſui ſucceſſores tenebuntur ipſum N, & ejus ſucceſſores, occaſione prædictorum bonorum, ab omni impetitione Iuridica, & quibuſvis Inſcriptionibus & Iuribus prioribus, tueri, defendere, evincere, & liberare toties, quoties ſibi aut ejus ſucceſſoribus opus fuerit: uſq; ad exemptionem bonorum prædictorum. Nec debet prædictus N, & ejus ſucceſſores, prædicto N, & ejus ſucceſſoribus, in præfatis bonis obligatis injuriari: aut quovis modo pacificam poſſeſſionem præpedire: ſub vadio aliarum trecentarum Marcarum: pro quo vadio; ſi ſe citari permiſerit, aut ſucceſſores permiſerint: in primô Terminô, tanquam peremptoriô parere tenebitur, & tenebuntur. Et in illô Terminô, intercedere, evincere, eliberare: injuriamque per ſe vel ſubmiſſas perſonas, in præfatis bonis illatam reſarcire: Quodſi in præfatô Terminô intercedere, evincere, eliberare, damnumque reſarcire noluerit, aut neglexerit: extunc pro præfato vadio ſatisfacere tenebitur in eodem Termino; nulla re exquiſita, nec colore excogitato: nec Iudicialiter, neq; extrajudicialiter, abrenuntiando omnibus Iuris remediis, & dilationibus: nulliſq; evaſionibus, modis, vel cautelis, Terminum præfatum differendo: nec quovis modo ipſum N. vel ejus ſucceſſores evadendo. Quod vadium, debet converti in ſummam eſſentialem, ſine corporali juramento: nec poterit quicquam in auxilium, ſibi contra ipſum N, & ejus ſucceſſores accipere, ſub amiſſione ſuæ cauſæ: videlicet ſolutionis præfati vadii: quo ſoluto, utique inſcriptioni præſenti & in ea contentis ſatisfacere: toties, quoties ſibi N, & ejus ſucceſſoribus opus fuerit.

Inſcriptio inſcribendi debiti, ad certum diem obligati.

COmparens perſonaliter coram Iudicio Nobilis N, de N. publicè & per expreſſum recognovit: Quia Nobili N. de N. centum Marcas pecuniarum certi & liquidi debiti, ſive mutuatæ pecuniæ monetæ & numeri Polonicalis, tenetur, præſentibus obligatur, hinc ad feſtum Nativitatis Chriſti proximè venturum, ſolvere, & complere. Caſu quo non ſolverit, aut ſolvere neglexerit: extunc in craſtino ejuſdem feſti Nativitatis Chriſti proximè venturi, debebit, tenebitur, præſentibuſque ſe obligat ſibi N, dare realem intromiſſionem, & pacificam poſſeſſionem, in villam ſuam hæreditariam, ſive obligatoriam, dictam N, per Miniſterialem, quemcunq; ſibi præfatus N. elegerit: etiam ſine alicujus additione officii. Et data ſibi intromiſſione, & pacifica poſſeſſione, debet & tenebitur, ipſum tueri & defendere, & eliberare: ita quòd præfata bona pacificè, & quietè, ab omni impetitione Iuridica, quarumcunq; perſo- *Sigiſ. Petr. 1523. Folio 48.*

narum, posset tenere, & possidere: quæ tenebit, habebit, possidebit modô obligatoriô, in præfatis centum Marcis à præfato festo Nativitatis Christi: vel potiùs ab acceptione possessionis, ad aliud festum Nativitatis Domini proximè venturum: & à festô Nativitatis Christi proximè venturô, ad aliud, annis se sequentibus, usque ad plenariam solutionem prædictarum centum Marcarum: cum omni Iure, dominio, & proprietate: ac cum omnibus utilitatibus, ex ejusdem bonis, seu villa prædicta, provenientibus: nihil excipiendo, & tenebitur dictus N. præfatum N occasione præmissorum, tueri, defendere, & eliberare, sub vadio aliarum centum Marcarum. Quod si tueri, & defendere, & eliberare noluerit, aut neglexerit vel in præfatis bonis, per se, vel summissas personas, quovis modo injuriatus fuerit: & se occasione præmissorum, pro præfato vadio citari permiserit: vel sui successores permiserint: extunc in primo termino parere tenebitur, & tenebuntur: & in illo termino, tueri, evincere, eliberare, bonaq; præfata pacificare, ab omnibus personis, prout ad aliquam personam præscriptio pertinet. Quodsi in præfatô terminô præmissa non fecerit, seu facere neglexerit: aut injuriam si quam intulerit, resarcire nollet: extunc in eodem termino, pro præfato vadio, satisfacere tenebitur, & tenebuntur: nulla re exquisita, nec colore excogitato: neq; Iudicialiter, neq; extrajudicialiter, terminum præfatum differendo: neq; quôvis modo ipsum vel ejus successores pro præfato vadio evadendo: quod vadium, debet converti in summam essentialem, sive principalem, sine corporali juramento, nec quicquam sibi cõtra ipsum aut ejus successores, recipiendo sub amissione suæ causæ. Nihilominus solutô vadiô, præsenti obligationi, & in ea contentis, satisfacere eidem N. & successoribus ejus tenebitur toties, quoties sibi & ejus successoribus opus fuerit.

Inscriptio locationis & conductionis, seu Arendæ.

Sigis. Petr. 1523 Fol. 49 COmparens personaliter coram Iudicio, Nobilis N de N. hæres sive Tenutarius, publicè & per expressum recognovit: quia bona sua hæreditaria, sive obligatoria, videlicet villam N, Nobili N. de N, pro decem Marcis pecuniæ bonæ monetæ, & numeri Polonicalis arendavit, ad tres duntaxat annos, à festo Nativitatis Christi proximo, continuè sequentes: quas decem Marcas, præfatus N, prædicto N. tenebitur solvere ad quodlibet festum Nativitatis Christi, seorsim in loco N. Et præfatus N, tenebitur præfatum N. quietare ad Acta Castrensia, districtûs illius: & sic quolibet anno, usq; ad exspirationem præfatæ arendæ. Quæ quidem bona præfata, videlicet villam N, prædictus N. arendator tenebit, possidebit: illisq; uti fruetur, vigore præfatæ arendæ: & nullo alio Iure: cum omni Iure, dominio, omnibusque usufructibus, ad prædicta bona quoquo modo spectantibus: & utilitatibus ex iis provenientibus usq; ad decursum trium annorum, à receptione possessionis, vel potiùs ad certum tempus, prout supra. Et jam præfatus N. dedit sibi arendatori realem possessionem in præfata bona: tenebiturq; ipsum tueri, protegere, in præfatis bonis arendatis, ab omni impetitione Iuridica, usq; ad exspirationem præfatæ arendæ, sub damno terrestri. Et hic idem stans præfatus N. arendator etiam recognovit se arendâsse prædicta bona, apud præfatum N, juxta continentiam præsentis Inscriptionis. Quæ bona, recognovit non alio genere, tantummodo Iure arendæ prædictæ, se tenere & possidere.

Inscriptio inter conjuges ad tempora vitæ.

COmparentes personaliter coram Iudicio, Nobiles N de N & N. de N. Conjuges sani mente & corpore existentes, & usi amicorum cõsiliô, publicè & per expressum recognoverunt: quia omnium bonorum suorum hæreditariorum, & obligatoriorum, mobilium & immobilium, quæ nunc habent, & in pòst, habebunt, invicem & mutuò concesserunt sibi usufructum, ad tempora vitæ: tali videlicet modô: quòd si præfatum N prius, quàm prædictam N. mori contigerit, extunc ipsa N. bona omnia, tam mobilia quàm immobilia prædicti N. obtinebit & possidebit cum omni Iure, dominio, & proprietate nihil excipiendo: illisq; utifruetur ad tempora duntaxat vitæ suæ. Post mortem verò prædictæ N. bona præfata tam mobilia quàm immobilia, totaliter, pleno Iure, ad successores prædicti N. devolventur: sine quovis impedimento, & contradictione successorum præfatæ N. Et similiter si contigerit prædictã N, priùs mori, quàm ipsum N, extunc præfatus N. bona omnia tam mobilia quàm immobilia præfatæ N obtinebit, & possidebit: cum omni Iure, dominio, & proprietate: & omnibus eorundem bonorum pertinentibus: illisq; utifruetur ad tempora vitæ duntaxat suæ. Post mortem verò prædicti N. bona præfata quæcunq; ipsam N. concernebant, ad successores prædictæ N. totaliter devolventur, sine quovis impedimento, & contradictione successorum præfati N. *Sigis. Petr. 1523. Folio 45.*

Inscriptio verò cessionis, hæc est.

COmparens personaliter coram Iudicio præsenti, Nobilis A. de B. spõte, publicè, ac expresè recognovit: quia de omni Iure suo ac Inscriptionibus suis perpetuis, vel obligatoriis, in Actis quicunq; contentis à quibuscunq; personis, quacunq; ex causa, in & super bonis C. habitis, unà cum tuitione in eodem Iure, ac Inscriptionibus contentâ, latiùs in se canente, nihil Iuris, dominii, & proprietatis, ac usuumfructuum, ex eisdem Iuribus ac bonis prædictis, sibi & suis successoribus relinquendo: sed prout ea solus habuit, tenuit, & possedit, Nobili D. E. & ejus successoribus cessit: prout jam exnunc cedit, & resignat: aliaq; omnia ipsius Iuris, ac Inscriptionum suarum beneficia, bonorumq; dominium, ac utilitates universas, in eundem D. & ejus successores transfudit perpetuò

petuò & in ævum. Et jam ipse A. eidem D. dat realem intromissionem, & actualem possessionem, tam in hoc ipsum Ius seu Inscriptiones: quàm in bona prædicta, per Ministerialem terrestrem quemcunq; jam exnunc de Iure additum ad intromittendum præfata bona C. vigore ipsius Iuris cessi, ac Inscriptionum originalium, tenenda, habenda, & utifruenda perpetuò ac in ævum, (vel alioqui usque ad exemptionem ejus, vel successoribus ipsius, realiter faciendam.)

Iudex cum Subjudice observare debent: ut Inscriptiones diligenter inscribantur.

Sigis. Petr. 1518, Fol. 23 IVdices cum Subjudicibus provideant: quò Inscriptiones justè & diligenter per Notarios, in libros inscribantur: & non mutentur, ad quod & ille, qui actionem habebit, & res sua illi erit curæ, intendat.

INTERCESSIO.

§ Vide in Titulo, COADIUTOR.

INTERDICTVM QVADRIDVANVM.

Iaroslaus Gnesnensis Archiepiscopus, de Interdicto servando.

Folio 54. SVper Interdicto servando taliter Decernimus: quòd cum ex casu qualicunq; evenerit in Civitate Cracovienſi Interdictum Ecclesiasticum teneri & observari: Civitas Kazimiria, juxta flumen *Wistá*, eidem Interdicto non debet subjacere: & è converso.

De eodem Bodzanta Episcopus Cracovienſis.

Folio 58 ITem super Interdicto servando taliter decernimus: quòd cùm ex casu qualicunq; evenerit in Civitate Cracovienſi Interdictum Ecclesiasticum teneri & observari: Civitas Kazimiria, quæ est quasi contigua, juxta flumen *Wistá*, eidem Interdicto non debet subjacere: & è converso.

De cessatione à Divinis, propter Excommunicatos.

Iaroslaus Folio 54. STatuimus insuper: quòd ubicunq;, vel ad quamcunq;, Excommunicatus à Iure, vel Ecclesiam, seu civitatem ingressus fuerit: tunc cessetur à Divinis, ipso tamen de Ecclesia, aut cimiterio recedente, Divina licitè referventur, & resumentur.

De eodem, Bodzanta Episcopus Cracovienſis.

Folio 58. STatuimus insuper: quòd ubicunque, vel ad quemcunque locum, Excommunicatus à Iure, vel ab homine, venerit ad Ecclesiam: vel civitatem ingressus fuerit: tunc cessetur à Divinis, ipso tamen de Ecclesia, Civitate, jam recedente, Divina licitè resumentur.

De

De interdicto triduano non servando, Iaroslai Archiepiscopi Gnesnensis.

INter cætera Decernimus, & statuimus expresse: Quòd Interdictum triduanum, quod aliàs servatur per omnes Ecclesias, propter adventũ alicujus excommunicati, extunc per quempiam, & exnunc nullatenus debeat teneri, & observari, ne pluritas plebis devotæ, propter crimen unius obstinati, salutaribus Divinis officiis privetur: & sua orbetur devotione. Vbi autem sententia sedis Apostolicæ fuit: cui nos legem dictare non possumus: volumus; quòd forma Mandati, in rescripto posita, diligenter servetur, & exequatur: clausulâ, de Interdicto superiùs triduano præmisso, non obstante. *Folio 54.*

De eodem, Bodzanta Episcopus Cracovienſis.

INter cætera Decrevimus, & Statuimus expresse: Quòd interdictum triduanum, quòd aliàs servabatur per omnes Ecclesias, propter adventum alicujus Excommunicati, exnunc per quempiam nullatenus teneri debet, nec observari, ne pluritas plebis devotæ, propter crimen unius obstinati, salutaribus Divinis officiis, & sua devotione orbetur. *Folio 58.*

De excommunicatis in Parochia.

ITem etiam volumus: quòd propter Excommunicatum unum, qui venerit ad locum quemcunque, Parochiani non debent carere Divinis: Papali duntaxat Excommunicationis sententiâ & Interdicti, obstante. *Folio 58.*

INTERROGATIO.

ADjicimus hoc etiam: quòd quando super judicato dubitaretur: & ad Iudicem interrogandum, partes se reciperent: & si ipse Iudex in memoria teneat, qualiter judicavit: statim sententiam dicere, vel in crastinum differre teneatur, nisi jam esset libris Actorum inscripta.

De tempore, ad interrogandum accipiendo.

ITem cùm Iudex accipiet ad interrogandum aliquam dubietatem, aliàs rem ulterius protrahere non poteſt: nisi ad tertios Terminos, sed in tertiis Terminis, interrogationem dicere teneatur: Iudex verò Castrensis, in sedecim septimanis debet expedire Interrogationem, & pro eo potest Iudex moneri, si non expediverit Interrogationem, tempore mediô, ad interrogandum habitô & præteritô. Cùm autem fit Interrogatio, partes nec Interrogationi interesse, nec eam audire debeant. *Confirmata terræ Cracov. Folio 1416*

§ Abrogata hæc est lex: Vide in Titulo, DELIBERATIO.

STATUTA INTERREGNVM.

Sub Interregno, fines Regni à Nobilitate defendantur.

Ex Confœderatione dicta Kaptur.

INsuper, si qui extra fines Regni, positi, Ecclesias, seu bona Ecclesiæ, aut confinia Regni nostri, Rege nondum coronato molæstare præsumpserint: volumus promittentes sine dolo & fraude, cùm ad hoc specialiter requisiti fuerimus, juxta posse facultatesque nostras, unanimiter illa defensare.

§. Vide in Titulo, ELECTIO REGIS.

Sub Interregno, nihil rapiatur de thesauro.

Sigis. Crac. 1507 Fol. 3

EX thesauro, si quis aliquid extulerit, rapuerit, aut quovis modo in usus proprios converterit, præsertim sub Interregno: fraudis, & peculatûs reus judicetur.

INTROMISSIO.

Ab intromissione, Capitanei, & eorum Burgrabii munera ne accipiant.

Albert. Petr. 1496. Folio 109.

ITem quoniam subditis nostris, vel ex re judicata, sive aliàs perlucris, uti judicialiter dici consvevit, sive per emptionem, aut resignationem, donationem, devolutionem, aut alia ratione, bonorum intromissiones petentibus, Officiales nostri, videlicet locorum Capitanei, Vicecapitanei, & Burgrabii eorundem, consueverant à qualibet intromissione solutiones extorquere insolitas: cùm videlicet, pro parte Capitanei decem Marcæ, & pro parte Burgrabii, una Sexagena Polonicalis, per eos, qui intromittebantur, jussu Capitaneorum dari consueverant: Nos cernentes istud introductum esse sine Iure, quinimo cum gravamine subditorum nostrorum, Decrevimus & Statuimus: Vt cùm Capitanei nostri salariis, & introitibus specialibus, ac in certis locis, de mensa nostra proventibus Regalibus fuerint (prout sunt) dotati ubique: quorum ratione, sicut ad exercenda debita eis annexa officia, sic ad omne justitiæ ministerium eis incumbens, & dandas eas Intromissiones, obligantur: propter quodammodo in perpetuum, prædicti Capitanei, & Burgrabii eorundem, in universis Regni nostri terris pro tempore existentes, aut prædicta, aut alia forsan exquisita, vel exquirenda salaria, vel munera, pro Intromissionibus, à subditis nostris exigere, extorquereque non debeant. A quorum solutione, eosdem subditos nostros, in hac parte, de speciali nostræ benignitatis gratiâ absolvimus æviternè, tamen volumus: ut circa easdem intromissiones, debita Ministerialiũ salaria solvantur: juxta solitum.

De eodem Alexander Rex.

Alexan. in Radom. 1505. Fol. 116.

CApitanei introligantes in bona, de brachio Regali, non percipiant decem Marcas: neq; Burgrabii Sexagenam, aliàs juxta Statutum Alberti Regis, quo istud prohibetur, se conservent.

De eodem.

Sigism. August. 1550.

VOlentes cavere, ne gravetur Nobilitas, renovamus Statutum: ne Officium Castrense aliquid recipiat, ab Intromissione.

Intromissio per Ministerialem danda.

Consvetudo

QVandocunq; aliquis acquirit bona aliqua hæreditaria, sive titulô perpetuô, sive obligatoriô, aut ex re judicata, sive alio quocunq; módo: de necessitate Iuris, per Terrestrem Ministerialem proprium ab Officio Terrestri receptum, debet induci & intromitti, in talia bona manifestè; ut nullum lateat, novi domini in illis bonis possessio: qui aliquod interesse habere se prætendat, ad eadem. Et hæc Intromissio, ex recognitione Ministerialis debet inscribi, & induci in librum Terrestrem, seu Castrensem, in districtu proprio: ubi prædicta bona consistunt. A qua Intromissionis Inscriptione, omnis Præscriptio & diuturnitas Terrestris, in omnibus bonis perpetuò acquisitis, accipit initium & firmitatem. Quæ quidem Intromissio licet ab antiquo non observabatur communiter: de consensu tamen communi omnium approbata est, & instituta: initiumque, vigorem, & necessitatem, præsertim in omnibus perpetuitatibus, ab anno 1543. accepit, & habebit in perpetuum.

Victori in bona Intromissio danda, præsertim si se debitor Intromissionem daturum in defectu solutionis recepit.

Consvetudo terræ Cracs. Folio 124

CÙm aliquis citatus fuerit, pro quacunque re, pro qua non inscripserat se: ipse autem citatus, nolens admittere se damnificari, dat circa Iudicium Intromissionem, tunc susципienda est Intromissio per citantem. Sed si citatur aliquis pro re, vel pro debito inscripto: sic quòd Inscriptionem fecerat: Quia debuit solvere, non dando Intromissionem: sed principale, seu originale debitum soluturus effet, prout se inscripsit: talis si citatur, neque in termino satisfacit, si Intromissionem Actori dare vellet, (cui dandæ Intromissioni, ipse Citatus in sua Inscriptione abrenuntiavit) Decernendum est: Quòd Citatus non aliter, quàm cum triplici pœna trium Marcarum, Intromissionem dabit in re debita usq; ad satisfactionem, & pro ipsa re principali, & pro pœnis faciendam, quam intromissionem Actor, cum triplicata trium Marcarum pœna, recipere teneatur.

§ Idem Vide in Titulo, DEBITUM.

INVASIO DOMVS.

Qui invadit domum alterius manu violenta, & vulteratur, vel alios vulnerat in domo.

Kaz. Vislic. Folio 17. PEtrus depoſuit contra Ioannem, quòd ſibi quatuor inflixiſſet vulnera: Ioannes verò fatetur hoc ſe feciſſe: ex eo, quia manu armata domum ejus invaſiſſet: & in ea invaſione, matrem, aut ſororem, vel uxorē, ſeu filiam ſibi vulnerâſſet: quod vulnus, refert, per Miniſterialem, conſpectum, vel viſum fuiſſe: obtulitq; ſe probaturum: tamen Miniſterialis interrogatus per Iudicem, negavit ſe prædictum vulnus vidiſſe, vel conſpexiſſe. Et quia poſt negationem ipſius Miniſterialis, idem Ioannes mox prædictum vulnus, Matri ſuæ illatum, per alios idoneos teſtes, qui dictum vulnus viderunt, & conſpexerunt, ſe offerebat probaturum: Nos in tali & ſimili caſu Decernimus: eundem Ioannem, ad producendum teſtes, de calumnia, fore admittendum.

De domûs violatione, & in ea vulneratione, ac homicidio, & violatoris complicibus.

Albert. Petr. 1496. Folio 106. ITem cùm frequentiùs violatores domorum ſuas defenſiones Iudiciarias deponerent, in multitudine cautelarum: per quas nonnunquam rei abſolvebantur ab inſtantiis Actorum; unde Statuimus: Quòd ſi quis intrans domum alicujus, manu violenta, hoſpitem aut uxorem, aut filium, aut familiarem ipſius interfecerit: aut etiam enormiter vulneraverit: talis, ſi citatus fuerit ad Iudicium Caſtrenſe, non aliter convinci debeat: niſi teſtibus decemocto nominatis, è quibus, electis ſex Nobilibus bonæ famæ, & poſſeſſionatis, illius diſtrictûs, aut Palatinatûs, ubi tale crimen fuerit patratum, Actor cum eiſdem præſtitô Iuramentô, actionem obtinebit: & Reus, uti violator ſecuritatis domeſticæ, vitâ privabitur. Complices verò antiquam retineant Conſtitutionis Iuriſdictionem, animadverſionemque. Ne tamen quiſpiam perſonam juſtam, & innocentem, pro tali, aut alio crimine calumniosè culparet, exindeq; culpatus deputaretur turri recludendus: in tali caſu, Nos & ſucceſſores noſtri, priuſquam deputandum in turrim feſtinaverimus, ſcrutabimur, & ſcrutabuntur: ſcireq; debebimus, & debebunt, veram poſitionem rei, culpæ & calumniatoris, quo in calumnia compertô: Nos ut talem, ex debito authoritatis noſtræ, infamem pronuntiabimus: & inſuper in facie cauteriſari mandabimus. Sed ſi violator ipſe, patrato crimine de Regno fugerit: ipsô factô infamis pronuntietur, & habeatur: in collo, ſi ejus copia eſſet, puniendus.

Si quis culpatur: quòd familiaris ſuus domum violaverit.

Ioan: Albert Petr. 1496. Fol. 107. CÙm verò aliquis homo, cujuſcunq; ſtatûs exiſtens, inculpatus fuerit: Quòd ipſius familiaris, violentiam domeſticam fecerit: ut ſcilicet deſcriptum eſt, hoſpitem, uxorem, filios, aut familiarem ejus invadens, manu violenta in domo eadem interfecerit: in eo caſu illum violatorem, apud ſuum dominum, per Nobiles & Miniſterialem arreſtari decernimus. Cum quo, taliter culpato, dominus ſuus Ius miniſtrare tenebitur, & ſi perſonaliter requiſitus, Ius miniſtrare denegaverit: extunc pro eo reſpondebit dominus, ſecundùm Iuris ordinem:

Si ſervitor violator domûs fuerit.

TAlis autem familiaris, ſi aufugerit: per Nobileſque arreſtatus non fuerit: Dominus ſuus pro ipſo citatus, non aliter ſe innoxium de crimine tali expurgabit: niſi Iuramentô per eum, cum duobus teſtibus ſimul præſtitô: Quòd videlicet nec ſuo ſcitu, nec conſenſu, neq; mandato, aut voluntate, crimen id eſt commiſſum: neq; dedit occaſionem aufugiendi ſervitori. *Ioan: Albert. Petricovia 1496. Fol. 107*

INVENTA RES.

Si inventor inventa negat: juret.

ITem Martinus depoſuit contra Nicolaum: quòd cùm agros coluiſſet proprios, burſa eidem cecidiſſet: in qua fuiſſent tres Scoti: Nicolaus verò ſeminans, burſam invenit eandem, cum eiſdem tribus Scotis: & eos, monitus reſtituere non curavit: Nicolaus autem negavit, ſe prædictam burſam inveniſſe, vel pecuniam habuiſſe. Nos itaq; in tali caſu edixiмus: ut idem Nicolaus propriô ſe Iuramentô expurgaret: quòd non invenit, nec habuit pecuniam eandem. *Kazim. Magnus Vslic. 1368. Fol. 30.*

IVDEX ET SVBIVDEX.

Iudex & Subjudex, Rege in terram adveniente, teneantur ad curiam Regis venire, & judicare, exceptis cauſis de hæreditate: quas Regi, vel Baronibus referent judicandas.

QVia ex multiplicitate Iudicum, (prout experientia nos edocuit) in cauſis ſuper eodem facto, variæ & diverſimodæ plerumq; ſententiæ proferebantur: ideo volentes certum numerum ſtatuere Iudicum, & occurrere varietati prædictæ, Statuimus: quòd unus in Cracovien. & alter in Sandomirien, terris, Iudices noſtri habeantur, ita quòd dum Nos contigerit alicujus terrarū earundem limites ſubintrare: volumus quòd Iudex & Subjudex terræ, intra cujus limites morabimur, in curia noſtra de cauſis judicare & cognoſcere teneantur, declarantes poteſtatem eorundem Iudicum: Quòd deinceps in quibuslibet cauſis magnis, etiam hæreditariis, terminos ultra tres ſeptimanas non poſſint, nec valeant aſſignare. Sed cùm quæſtio fuerit hæreditaria; Iudex, vel Subjudex, eandem quæſtionem, teneatur nobis referre, cujus cognitionem, in Noſtra *Kaz. Mag. Vislic: 1368 Fol: 10.*

ſtra Baronumq; noſtrorum præſentia, volumus & decernimus pertractari. Et ſi aliquo impedimento fuerimus præpediti: tunc ſex, vel ad minùs quatuor Baronibus, per Nos Iudici & Subjudici adjungendis, ipſe Iudex cum Subjudice, una cum dictis Baronibus, eandem quæſtionem, ſeu cauſam hæreditariam, definiendi & cognoſcendi, habeant plenam facultatem.

De eiſdem cauſis.

CAuſæ Iudiciariæ Iudici, juxta Statutum committantur.

Nullus Iudex poteſt effici Capitaneus illius terræ, cujus eſt Iudex.

Iagell. in Czerwienſko 1422. Folio 48.

ITem cùm ex hoc non modica ſubditis noſtris contingant diſpendia: ſi Iudices in terris, in quibus præſunt Iudiciis, in Capitaneos præficiamus: propterea exnunc & in antea, nolumus aliquem Iudicem illum, terræ illi in Capitaneum præponere: in qua, Iudicio præſidet, & Iudicii obtinet poteſtatem.

Iudex, & Notarius Caſtrenſis, & Vicecapitaneus, ex Iudice vel Notario Terreſtri, neſint: & ſint poſſeſſionati.

Sigiſ. Aug. Petr. 1550

QUia quodlibet officium, habet ſua negotia: ampliùs non debent tenere Iudices, & Notarii Terreſtres, Caſtrenſia Iudicia, vel Notariatus unà cum Terreſtribus, ſed tamen Iudex Caſtrenſis, & Vicecapitaneus, poſſeſſionati eſſe debent.

Iudex Caſtrenſis electus, in primis terminis Caſtrenſibus, coram Capitaneo vel Vicecapitaneo juret.

Sigiſ. Aug. 1550.

IVdices Caſtrenſes ſint Iurati: & in primis Terminis, Iuramentum præſtent: ſub pœna privationis Officii: coram Capitaneis, ſeu Vicecapitaneis locorum.

Iudices ſecundùm Conſtitutiones judicent.

Kaz. III. in Nieſowa 1454

IVdices terrarum Regni noſtri, Conſtitutionibus innixi, & ex ipſis eruditione ſumpta, in judicando conſervent ſtateram æquitatis.

Iudices Caſtrenſes ſint juràti.

Sigiſmundus Crac. 1543 B 1.

IVdices Caſtrenſes ſint jurati juxta tenorem Statuti, ſuper eo conditi, & officia illis incumbentia, diligenter curent: & per ſemetipſos expleant.

Iudices in ſuis terris reſideant.

Ioan. Albert. Petr. 1496. Folio 105,

ITem cùm nonnulli ſubditi noſtri, aut domicilia propria, aut ſervitiorum ſuorum officia terris in aliis obtinentes, Iudicatus terrarum, in quibus non reſident, occupare, & officii miniſteria negligere ſæpenumero

mero viderentur: Nos ſuper hoc conſulationem habentes generalem, cum Prælatis & Baronibus univerſis, Decrevimus ſtatuendum: ut in ſingulis terris Iudices terrarum reſidere, & juſtitiam miniſtrare petentibus, per ſe, & perſonaliter, teneantur, alioquin ſi interim Iudiciis, non præeſſent, nec in terra reſiderent: extunc annô decurſô, Iudex novus, per Nobilitatem terræ illius eligatur; juxta conſvetudinem antiquitûs conſtitutam.

Officiales Iudicii in Conventu eligantur.

OFficiales Iudiciorum eligantur in Conventionibus Terreſtribus: juxta conſuetudinem diu obſervatam: aliàs, juxta Conſtitutiones, in Ioannis Alberti Regis Privilegio ſcriptas: electiq; præſtent, noſtri præſentis Statuti vigore, Iuramentum: nec habeãt ſuu ſtatutos, excepta infirmitate: ſub amiſſione Officiorum. *Alexand. in Radom. 1503 Fol. 118.*

Iudex poſt reſponſionem Rei, ſententiam ferat.

POſt reſponſionem verò Rei, ſuper Propoſitione Actoris, Iudex amputatis controverſiis, & altercationibus ſuperfluis, unicuiq; partium faciat juſtitiam. *Kazimirus Folio 94.*

De Iudicibus perſonaliter judicaturis.

ITem decernimus: quòd Iudices & Subjudices, propriis in perſonis, & non per cameratios, Iudiciis tenebuntur præſidere pro ſummis centu Marcarum, triginta Marcis extend ntibus, nullo pacto judic bunt. *Kazim. III. Folio 88.*

§ Abrogata hæc eſt lex, in parte. Vide in Titulo, IUDICIA. *Sigiſm. Petric. 1519.*

Iudices in primis Terminis coram Palatino vel Caſtellano jurent, quorum ſententia retractata famæ non nocebit.

IVdices Terreſtres & Caſtrenſes, Subjudices, & Notarii ſint jurati: & in primis Terminis Terreſtribus Iuramentum præſtent: ſub pœnâ privationis Officii: Terreſtres videlicet Iudices, ac Subjudices, coram Palatinis ſuis, aut Caſtellano illius terræ: Caſtrenſes verò Iudices, coram Capitaneis aut Vicecapitaneis locorum, ſententia tamen eorum, ſi quãdo retractata fuerit, honori & bonæ exiſtimationi ipſorum non nocebit. *Wladislaus Iagello Cracov. & Vatz ie 1423.*

§ SIMILIS. Iudices Terreſtres, necnon Subjudices Terreſtres, ſint jurati: juxta tenorem Statuti, ſuper eo conditi.

Iudex cum Subjudice, deinceps per ſe judicent.

ACbonum & conſultum eſſe videtur: quòd Iudex ac Subjudex particularibus perſonaliter Terminis, cum poſſint præſideant, ſicut in Majori Polonia eſt conſuetum. *Sigiſmundus Crac. 1537*

Iudex & Subjudex ac Notarius ſive Camerarius judicent quater in annos niſi infirmitas & Reipub. negotium impediat.

Ioan. Albert Petr. 1496. Folio 96.

IN primis quoniam crebriusculè contingit, Iudicia non teneri Terrestria: propter absentias eorum, è quorum authoritatibus, generalis dependet administratio Iustitiæ: idcirco statuendum putavimus, & Statuimus: Vt in singulis terris Regni nostri, Iudicia Terrestria quater in anno celebrentur, quibus Iudiciorum Terminis intersint, & eis præsideant illi, qui ad Iudicia celebranda, ratione Dignitatis aut Officii pertinent. Si verò non interessent, neq; alium à se substituerent: nihilominus Iudex cum Subjudice, Terminos & Iudicia judicabunt: non obstante absentia illius & illorum, qui interesse debuit & debuerant: & similiter Camerarii sui, Camerariorum eorundem. Tamen ad minus, Iudiciis & Terminis eisdem, Iudex cum Subjudice ac Notario, interesse teneatur, pro quibus, si aliquis eorundem trium Officialium Terrestrium non venerit, aut omnes non venerint: extunc puniendus, puniendiq; erunt 14. Marcarum pœnâ, fisco Regio irremissibiliter applicandâ: vera infirmitate, & Reipubl. negotiis exceptis: si eis impediti, ad Iudicia venire non possent, vel eisdem non interessent.

Quando Iudex non potest redargui.

Kaz. Mag. Fol. 32.

INsuper Statuimus: quòd in nostra præsentia, vel coram nostro Capitaneo, vel quando generales Termini tenentur, Palatinis vel Baronibus præsentibus, Iudex judicans non possit de malo Iudicio redargui: cùm non ipse solus, sed cæteri & plures judicant supradicta.

Iudices non habeant substitutos, infirmitate excepta.

Alexan. Radom. 1505. Folio 118. Sigis. Crac. 1532. B1.

OFficiales Iudiciorum non habeant substitutos: excepta infirmitate: sub amissione Officiorum.

§ SIMILIS. Iudices Terrestres, necnon Subjudices, juxta tenorem Statuti, super eo conditi, Officia illis incumbentia diligenter curēt: & per semetipsos expleant.

Iudex, Subjudex ac Notarij, à Nobilibus eligantur.

Sigism. August. Petr. 1550.

UT in omnibus rebus libertas nobilium conservetur: libera electio Iudicis, & Subjudicis, ac Notarii, illis esse debet. Nos autem nemini alii tale officium dabimus: nisi uni ex his quatuor viris, qui quidem ab omnibus generaliter fuerint electi: & Nobis patentibus literis illorum, declarati.

Iudex à partibus inquirat: an habeant adhuc aliqua munimenta.

Sigis. Petr. 1523.

DEbebit autem Iudex præsidens, à partibus comparentibus, ante sententiæ prolationem inquirere: an haberent aliqua sua munimenta, vel documenta, defensionesq; juridicas, ad causæ prosecutionem opportunas, ne homines simplices ruditate sua, in causis suis succumberent.

De Iu-

De Iudice inculpato,

Kazimir. III. Fol. 87.

SI quis contra Iudicem quenquam attentaverit, eumque inculpaverit, aliàs *Russy:* extunc, solummodo illa causa, in qua Iudici derogavera, non debet judicari, aliæ verò omnes causæ, coram eodem Iudice vertentes iudicentur, eo non absente.

Iudex in causa sua alium surroget, Succamerariô excepto.

Sigism. August. Vars. 1557.

QVodsi aliquando evenerit, quòd Iudex vel Officialis tam Terrestris quàm Castrensis, haberet actionem apud Iudicium, vel Officium suum, cum quavis personâ: licebit illi in locum suum, ad judicandum illam rem, Nobilem aliquem in illa terra possessionatum, sine surrogatione Regiæ Majestatis collocare, qui quidem Nobilis, non tenebitur Iuramentum præstare. Exceptô tamen Succamerariô: si quis cum eo g

taneum vel Burgrabium detineantur incarcerandi: usq; ad satisfactionem, & solutionem pœnarum suprascriptarum.

De pœna eorum: qui manu armata, ad Iudicia, & Conventus generales & particulares, veniunt.

Sigismundus 1507 Fol. 5. QVamvis in Constitutionibus novis, divæ memoriæ Sereniſſimi Ioannis Alberti prædecessoris & germani nostri chariſſimi provisum fuerit: quâ pœnâ afficiendi sint, qui cum insolentia & manu potenti, ad Iudicia veniunt: tamen quia non solùm in Iudiciis, sed etiam in conventionibus generalibus & particularibus, ac Conventibus, qui de Nostro, vel Consiliariorum nostrorum mandato fiunt, variæ contentiones, & ex his etiam seditiones, impedientes ac interrumpentes eorundem Conventuum publicas consultationes, oriri consveverunt; Statuimus & decrevimus: (quò majori severitate huic incommodo amovendo consulatur) Quòd si quis in armis, vel cum armis, insidias & seditionem ad violentiam præferentibus: ad præfatos Conventus aut Iudicia venerit: tanquam pacis communis violator, pœnâ capitis puniatur, quam si fortè fugâ evaderet: bona ejus confiscentur. Et hoc Statutum ad personas cujuslibet statûs, conditionis, & præeminētiæ extendimus: præsertim verò in Capitaneos, qui cum aliorum securitati providere debeant: si quid tale in oppositum, & contra hoc Statutum commiserint: merito eadem pœnâ, aut etiam severiori, puniendos esse decernimus.

Iudicia certis in locis sunto.

Kazimirus in Vislica 1368 Fol. 12 QVia plerumq; habentes Iurisdictionem, à casu, & pro libito suæ voluntatis, consveverunt ad Iudicium acceptare, vel eligere sibi loca quælibet indeterminatè: & ideo, ut quisque suis terminis sit contentus, Statuimus: quòd Cracovienſis Castellanus, in tribus duntaxat locis, Cracoviæ, in Andrzeiow, & in Wieliczka, sua debet & tenetur Iudicia pertractare, aliàs, tanquam non à suo Iudice, quicquid factum fuerit, vel judicatum, nullam habeat facultatem, idq; de omnibus Iudicibus fieri statuimus.

Quis modus & ordo sit servandus, in personis vocandis ad Iudicium.

Kazim: Magnus Vislic. Folio 11. ET ut faciliùs & sine clamore, vel strepitu, causarum expeditio habeatur, Statuimus: Quòd ad locum audientiæ, in quo Iudices præsident, non secundùm merita personarum, nec secundùm maioritatem, vel minoritatem causarum, sed secundùm ordinem litigantium, tantùmodo Actor vel Reus vocati accedentes, per Iudices audiantur, & expediantur. Ordinem autem, in vocando ipsos litigantes, ad præsentiam ipsorum Iudicum, taliter duximus describendum: Quòd scriptor causarum, sub pœna privationis sui Officii, non aliter quàm secundum ordinem Citationum, litigantes per Ministerialem vocandos pronuntiabit,

ita

ita quòd qui prius ad causam provocaverit, prius nominetur, & expediatur: & sic deinceps, videlicet qui secundô locô, similiter locô sequenti: & taliter, donec ad extremos procedatur. Quodsi altera partium vocata, se præsidentibus non exhibuerit: sive quovis casu fuerit impedita: & tribus vicibus evocata: tunc mox pars adversa, quæ fuerat præsens, de audientia removeatur, & alii litigantes, secundo loco inscripti, nominentur: & ad audientiam evocentur. Et nihilominus pars, quæ fuerat absens, & tribus vicibus evocata, si circa extremam horam meridiei, Iudice quasi surgere volente, iterum & secundò tribus vicibus evocata, non curaverit parere: extunc condemnetur. Si quis autem eo tempore, quo Iudices præsideant, ad locum in quo præsident, præterquam ad petendam Citationem, vel de speciali ipsorum Iudicum licentia & mandato, quavis præsumptione vel temeritate, intrare præsumpserit: absq; aliqua remissione, pœnâ, quæ dicitur *Piatnadzieſta*, per Iudices puniatur.

De securitate Iudiciorum.

Sigismundus 1538. Cap. AD præcludendum viam audaciæ hominum, (qui ad Iudicia, ubi summa pax & tranquillitas esse debet, non solùm ipsi armati, sed etiam magnis catervis stipati, venire: atque ibidem in locis Iudiciorum, non solùm rixas aut contentiones, sed etiam pugnas & bellum facere, præsumunt) Statuimus: ut in omnibus Iudicii locis, ubi Iudicia aguntur, toto tempore Iudiciorum, atq; ante Iudicia octo diebus, & pòst, aliis octo diebus, plena & omnimoda securitas fiat, ad ea ipsa Iudicia veniendi: & in illis negotia sua curandi: domumq; propriam tutò cuilibet redeundi. Quodsi quispiam hujusmodi libertatem, & securitatem publicam, sub præscripto tempore, quomodocunque, & in quacunque persona violaverit: talis puniri debet, non secus, quàm si salvum conductum nostrum Regium violaverit.

Quod Statutum tenendum est, de securitate Iudiciorum editum.

Sigis. 1539. QVoniam interest omnium, ut ad Iudicia tutò venire, atq; absq; ullo metu versari in illis liceat: (cùm non alibi pax major, & tranquillitas requiratur: quàm ubi Iudex, & aliæ Publicæ Personæ præsunt: alii verò pro justitia, Ius petunt) Volumus: hac de re Decretum nostrum observari: quod anno Domini 1507. Cracoviæ factum per Nos fuit, tempore felicis Coronationis nostræ, quod verò Petricoviæ, in proximè præteritô Conventu ea de re factum, abrogamus & tollimus.

De violentia in Iudicio commissa.

Kaz. Fol. 87 UT violentiæ & invasiones, in Iudiciis secludantur, & viæ calumniatoribus amputentur, Decernimus: Si quis ausu temerario, Iudicium invaserit, & violentiam commiserit in causa sua, quam coram Iudicio

habet, vel habiturus erit, secundùm pœnam statutam punietur: & duodecim septimanis mancipetur, & carceribus recludatur.

Iudicium olim, tantùm pro parvis summis judicabat.

Kazimirus tertius in Korczin 1451. Fol. 88.

ITem Decernimus: quòd Iudices & Subjudices, pro summis centum Marcarum, triginta Marcis extendentibus, nullô pactô judicabunt.

Sed jam Iudicium omnes causas judicat.

Sigis: Petr: 1523. Folio 33.

VOlumus autem, ut liceat unicuique, alium quempiam, pro quacunq; summa pecuniæ, vel injuria hæreditaria, & personali, aut bonis quibuscunque, toties, quoties, citare ad Iudicium Terrestre, ubi citatus parere, respondereq; tenebitur & debebit: non excipiendo se ad Terminos generales, ob summæ magnitudinem, vel potiùs licebit Iudicibus Terrestribus, etiam pro magna summa judicare: cùm licebit unicuique partium appellare.

Nemo ad Iudicium cum strepitu accedat.

Kazim. Magnus Vislic. 1368. Folio 13

PLerumq; fit: quòd aliqui, propter causas consanguineorum, vel familiarium suorum, ad Iudicia venientes, per strepitum & importunam suam acclamationem, & infestationem, sententiam seu victoriam causarum reportare consveverunt: unde super hoc providere volentes, Statuimus: quòd deinceps nemo, cujuscunq; status vel conditionis existat, propter causam consanguinei vel familiaris, aut servitoris, ad Iudicium venire tali modo, non servata quadam reverentia, & discretâ decentiâ, præsumat. Quodsi quis contrà facere præsumpserit, pœnâ quæ dicitur *Pietnàdzieśtá*, per Iudices puniatur, nostræ cameræ applicandâ.

Iudicium tantùm ad petendam Citationem accedatur.

Kaz. Magn. Vislic: 1366 Fol: 11.

SI quis autem eo tempore, quo Iudices præsideant, ad locum in quo præsident, præterquam ad petendam Citationem, vel de speciali ipsorum Iudicum licentia & mandato, quavis præsumptione, vel temeritate intrare præsumpserit: absq; aliqua remissione, pœnâ, quæ dicitur *Pietnadzieśta*, per Iudices puniatur.

De inhonorato Iudicio.

Consvetudo terræ Crac. Folio 122

ITem, si quis Iudicium inhonoraverit: aut posuerit se in mensa, ubi judicatur: pœnam trium Marcarum succumbet, pro qua debet satisfacere, sub alia pœna quatuordecim Marcarum, à Iudicio non discedendo.

Iudicia ex Statutis judicentur.

Kazimir. III. in Nieszowa & Opoki. 1454. Fol. 94

HVjusmodi autem Iudicia judicentur ex libro Statutorum Regis Kazimiri divæ memoriæ: & ex Statutis, *in Warta* confectis.

§ SI-

§ SIMILIS. Iudices terrarum, Regni nostri Constitutionibus innixi, & ex ipsis eruditione sumpta, in judicando conservent stateram æquitatis. *Idem Rex*

De Iudiciis, à mane ad horam nonam tractandis.

PRava consuetudine noscitur esse observatum: quòd sine temporum & horarum differentia, & distinctione, per Iudices Iudicia celebrabantur: & ita plerique non aliter ad causas veniebant pertractandas, quàm post prandium repleti, & inebriati: propter quod, Iudicium parvi pendebatur, & debilitabatur: reverentiaq; Iudicis minimè observabatur: nec ad veritatem aliquis habebatur respectus. Itaq; decernimus, & volumus: ut certis temporibus, sive horis, & cum debita animi discretione, Iudicia pertractentur & observentur: & quòd deinceps Iudices, diebus Terminorum, & ad præsidendum consuetis, à manè usq; ad horam nonam, sive ad meridiem, in quibuslibet causis debeant præsidere, & causas pertractare. Et si primo die Terminorum, ad horam meridiei, omnes litigantes, in causis & litibus ipsorum, non poterint expediri, quòd absque alicujus causæ vulneratione, aut abbreviatione, diebus proximè sequentibus præsidendo, duntaxat ad horam prædictam, omnes & singuli litigantes, debitô modô, secundùm ordinem infrascriptum, expediantur. *Kaz. Mag. Fol. 11.*

De Iudiciis, tempore proclamati Conventûs generalis.

QVoniam abusu quodam inolevit: Iudicia Terrestria non celebrari, mox ut literæ de Conventu generali statuto emittuntur: (quod fit cum magna justitiæ negligentia) proinde Statuimus: ut deinceps futuris temporibus, non obstantibus literis hujusmodi, & Conventûs generalis publicatione, Iudicia Terrestria ubique celebrentur: usq; ad Conventum particularem, in unoquoq; Palatinatu institutum. *sigis. 1538. c 3.*

De eo, qui aliquem in Iudicio, vel coram Iudicio vulneraverit, vel dehonestaverit.

STatuimus etiam: quòd si aliquis in Iudicio cultellum extraxerit, neq; aliquem vulneraverit: ut talis deniq; in gratia nostra consistat, si verò gladium vel cultellum extraxerit & vulneraverit aliquem: pœnâ, quæ dicitur *Siedmnadzieśta*, puniatur: & illi, quem dehonestaverit, pœnam *Pietnadzieśta*, solvere teneatur. *Kazim. Magnus Vislic. Fol. 11.*

§ Iudicia quater per annum celebrentur. Vide in Tit. TERMINI.

§ Reliqua de Iudiciis, quæ vulgò Termini, aliàs *Roki* vocantur: Vide in Titulo, TERMINI.

IVDICATÆ REI EXEQVVTIO.

§ Vide in Titulo PROCESSUS IURIS, quo in loco, & Sigismundi Processum Iuris, & antiquum reperies.

IVDÆI.

Iudæi fora in villis non faciant.

Sigiſmundus 1538. B 1. ITem, cùm Chriſtianis, Iura Regni, mercaturas & fora in villis facere prohibeant: multò minùs hoc Iudæis licere cenſemus: imò ſub graviſſimis pœnis, ne talia audeant, interdicimus eis, & prohibemus: ſub amiſſione rerum omnium, juxta Statutum antiquum, confiſcandarum.

Modus mercandi, Iudæis ſtatuitur: & pactis, cum Civitatibus initis, ſtent.

Idem Rex A 6, VOlumus præterea: ut Iudæi non habeant liberam mercandi in omnibus rebus facultatem: ſed modum per Nos ſtatuendum, in mercimoniis ad victum quærendum, ubiq; in Regno noſtro teneant, & diligenter obſervent: atq; etiam pacta, & conventiones, quas cum nonnullis Civitatibus majoribus Regni noſtri habent, in toto teneant.

Vadia Iudæis conceſſa, ad communitatem ſunt referenda.

Idem Rex B 1, QVòd etiam ad providendum ſecuritati eorundem Iudæorum, & ad compeſcendam licentioſorum audaciam, eiſdem Iudæis in aliquibus locis contulimus vadia, ad magnas ſummas ſe extendentia, quæ quidè non ad ſingulares & privatas perſonas, ſed duntaxat ad communitatem, aut aliam multitudinem civilem, per conſpirationem, tumultum, & ſeditionem, ad perniciem & interitum Iudæorum excitatam, extendi debere volumus & declaramus.

Folio 163. Iudæorum libertatis & Iuris Privilegium, per Boleslaum Ducem Majoris Poloniæ, protavum Kazimiri Magni Poloniæ Regis, in Kaliſz, in craſtino Aſſumptionis Virginis MARIÆ, Anno Domini M. CC LXIV. editum: tandem Cracoviæ in die Beatorum Dionyſii & ſociorum eius, Anno Domini M. CCC. XLIII. per dictum Magnum Kazimirum Regem Poloniæ, & ejuſdem Boleslai pronepotem, confirmatum, quod Nos Alexander Rex, non confirmando confirmatione ſpeciali, ſed ad cautelam defenſionis contra Iudæos, Privilegiis Regni, in iſtum codicem congeſtis aſcribi mandavimus: atq; ſic ejus ſequitur tenor.

Folio 164 IN Nomine Domini Amen. Ne decreta Regia, cum fluxu temporis à memoria deciderent hominum: dignè prudentum ratio ſtabilivit, ea apicibus literarum, propter notitiam futurorum commendare. Quapropter Nos Kazimirus, Dei gratiâ Rex Poloniæ, necnon terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Pomeraniæ, Dominus & Hæres, notitiæ univerſorum tam præſentium, quàm futurorum, præſentibus declaramus: Quòd cùm Noſtram, noſtrorumque Baronum præſen-

præſentiam accedentes, viri idonei noſtriq; fideles, Iudæi terrarum noſtrarum, nobis Privilegium Ducis Boleslai, divæ memoriæ quondam Ducis Poloniæ, Protavi noſtri chariſſimi, ſuper Iuribus ſuis oſtendiſſent, ſupplicârunt humiliter: ut ipſum Privilegium noſtro Regio inſigni innovare & confirmare dignaremur. Privilegii autem ejuſdem, de verbo ad verbum talis tenor extat.

IN Nomine Domini Amen. Humani generis actiones, niſi vigeant vòce teſtium, aut teſtimoniô literarum, celeriter tranſeunt: & prorſus à memoria relabuntur. Igitur Nos Boleslaus, Dei gratiâ Dux Majoris Poloniæ, notum facimus tam præſentibus, quàm futuris, ad quorum notitiam devenerit præſens ſcriptum: Quòd Iudæorum noſtrorum, per totum diſtrictum noſtri dominii, conſtitutorum Statuta & Privilegia, quæ à Nobis obtinuerunt, de verbo ad verbum, prout in ſequenti ſerie continentur, taliter duximus declaranda.

Contra Iudæos, non debet admitti ad teſtimonium Chriſtianus: niſi probet per Iudæum, & Chriſtianum.

PRimum quidem Statuimus: ut pro pecunia, aut pro quacunque re mobili vel immobili, aut in cauſa criminali, quæ tangit perſonam, aut res Iudæi, nullus Chriſtianus contra Iudæum, niſi cum Chriſtiano & Iudæo, in teſtimonium admittatur.

Si Chriſtianus pro Pignoribus citat Iudæum, & ille non confitetur: Iudæus per juramentum evadat.

ITem: ſi Chriſtianus Iudæum impetit, aſſerens, quòd ei pignora ſua obligaverit: & Iudæus diffitetur: & Chriſtianus, ſimplicibus Iudæi verbis fidem noluerit adhibere: Iudæus jurando ſuper æquivalente ſibi oblato, ſuam intentionem probabit: & tranſeat abſolutus.

Si pro minori pecunia, aſſerit Chriſtianus ſe Iudæo pignus obligâſſe: Iudæus per juramentum probet.

SI Chriſtianus obligaverit Iudæo pignus, aſſerens; quòd Iudæo pro minori pecunia obligaverit, quàm Iudæus confiteatur: jurabit Iudæus ſuper pignore ſibi oblato, & quod, Iuramentô probaverit, Chriſtianus ei ſolvere non recuſet.

Si Iudæus dicat: Chriſtiano ſe aliquid mutuâſſe: Chriſtianus, juramentô ſe expurget.

ITem: ſi Iudæus Chriſtiano, teſtibus non aſſumptis, dicat, ſe pignus mutuâſſe: & ille negaverit: ſuper hoc Chriſtianus, ſolius ſui Iuramentô ſe expurget.

Iudæus pro pignore omnia potest recipere: exceptis vestibus sacris, & madefactis sanguine.

IVdæus recipere poterit nomine pignorum, omnia quæ sibi fuerint obligata; quocunq; nomine vocentur: nulla de his requisitione facta, exceptis vestibus sanguinolentis, & madefactis, & sacris vestibus: quas nullatenus acceptabit.

Iudæus contra Christianum jurabit: quòd nesciebat pignus furatum, aut violenter ablatum, dum obligabatur ei.

ITem: si Christianus impediret Iudæum: quia pignus, quod Iudæus habet, ei furtim, vel per violentiam sit ablatum: Iudæus juret super illo pignore: quòd cùm recepit, furtim ablatum, vel raptim, ignoraverit: hoc in suô Iuramentô implicitô, quantô sit pignus hujusmodi obligatũ, probabit, & sic expurgatione factâ, Christianus sortem & usuram ei persolvet: quæ medio tempore accreverunt.

Si Christianus apud Iudæum aliquid impignoravit, & Iudæus suum cum illo amisit: jurabit Iudæus, & absolvetur à petitis.

SI autem Iudæus, per casum incendii, aut per furtum, aut per vim, res suas, cum ablatis sibi pignoribus amiserit: & hoc constiterit: & Christianus, qui hoc obligaverit, nihilominus eum impedit: Iudæus Iuramentô se propriô absolvet.

Civitas nihil agat cum Iudæis: nisi Princeps, vel Palatinus, pro reatu verò personæ, solus Princeps judicabit.

Folio 165. ITem: si Iudæi inter se de facto discordiam moverint, aut guerram: Iudex Civitatis nostræ, nullam Iurisdictionem sibi vendicet in eosdem sed Nos tantummodo aut noster Palatinus, vel ejus Iudex, Iudicium exercebit. Si autem reatus vergit in personam: nobis tantummodo, hic casus reservabitur judicandus.

Pro vulnere Iudæi, pœna debetur Principi, & Palatino, ac læso.

ITem: si Christianus Iudæo vulnus qualitercunque inflixerit: reus, Nobis, & Nostro Palatino pœnam solvat, (secundùm quod nostram poterit invenire gratiam) nostræ cameræ deferendam: & vulnerato satisfaciat pro curatione vulnerum, & expensis; ut Iura terræ nostræ requirunt, & exigunt.

Prò capite Iudæi pœna debetur Principi, videlicet confiscatio bonorum.

Item

ITem: si Christianus Iudæum occiderit: dignô Iudiciô puniatur: & omnia rei mobilia & immobilia, in nostram transeant potestatem.

Pro plaga Iudæi non sanguinolenta, pœna debetur Palatino, & læso satisfactio.

ITem: si Christianus Iudæum cæciderit: ita tamen, ut sanguinem non effundat: per Palatinum requiretur, secundùm terræ nostræ consuetudinem, ab eodem: & percusso seu læso satisfaciat, quemadmodum in terra nostra est consvetum. Si verò pecuniam habere non poterit: idem pro commisso, sicut justum fuerit, punietur.

De telonio, à Iudæis exigendo.

UBicunq; Iudæus dominium nostrum transierit, nullus ei aliquod impedimentum præstabit: nec molestiam inferat, aut gravamen. Sed si aliquas merces, aut aliquas res duxerit, muta debeat ex eis provenire: per omnia mutarum loca. Ipse quoq; Iudæus non nisi debitam solvat mutuam: quam solveret unus civium civitatis illius: in qua Iudæus eo tempore commoratur.

§ Idem vide in Titulo, TELONIUM.

De ductione Iudæorum mortuorum

SI Iudæi, juxta suam consuetudinem, aliquem ex mortuis suis, aut de civitate in civitatem, aut de Provincia in Provinciam, aut de una terra in aliam duxerint: nihil ab eis, per Notarios nostros volumus extorqueri. Si autem Notarius aliquid extorserit: ut prædo, volumus; puniatur.

De dissipatione Cemiterij Iudæorum.

ITem: si Christianus cemiterium eorum, quocunque modo dissipaverit, aut invaserit: volumus, ut secundùm terræ nostræ consuetudinem & Iura, graviter puniatur: & omnia sua cameræ nostræ proveniant, quocunque nomine nuncupentur.

De violentia Scholæ Iudæorum.

SI aliquis temerariè jactaverit super scholas Iudæorum: nostro Palatino duo talenta piperis, volumus; ut solvat.

De pœna Iudicis contra Iudæum.

ITem: si Iudæus Iudici suo, in pœna pecuniaria, quæ *Vandel* dicitur, reus inventus fuerit: pœnam talenti piperis, quæ ab antiquo est imposita, solvat eidem.

De contumacia Iudæi: quâ pœnâ puniatur.

SI Iudæus per edictum ſui Iudicis, vocatur ad Iudicium: & primò, & ſecundò non venerit: pro utraq́ue vice pœnam, quæ conſveta eſt ab antiquo, perſolvat, ſi ad tertium edictum non venerit: pœnam quæ ſequitur, ſolvat Iudici memorato.

Si Iudæus Iudæum vulneraverit.

ITem: ſi Iudæus Iudæum vulneraverit: pœnam Iudici ſuo, ſecundùm terræ noſtræ conſvetudinem, ſolvere non recuſet.

De occulta Iudæi interfectione

SI Iudæus clam fuerit interfectus: ut per teſtimonium conteſtari non poſſit is, qui eum interemit: ſi poſt Inquiſitionem, ſuſpectum habere cœperint Iudœi: Nos Iudæis contra ſuſpectum Iudæi occiſorem, patrocinium juſtitiæ adhibemus, Iure mediante Rei.

De violentia manuali in Iudæum.

Folio 166. ITem: ſi Chriſtiani alicui Iudæo manus injecerint violentas: ſecundùm quod Ius terræ noſtræ exegerit, punientur.

De poteſtate Iudicis Iudæorum.

ITem: Iudex Iudæorum, nullam cauſam ortam inter Iudæos, in Iudicium deducat: niſi fuerit per querimoniam invitatus. Item Iudæi circa Scholas vel ubi elegerint, debent judicari.

De accreſcentia uſurarum.

ITem: ſi à Iudæo Chriſtianus pignus ſuum abſolverit, uſuraſq́; non perſolverit: eaſdem ſi infra menſem non dederit, illis uſuris accreſcant uſuræ.

De hoſpitatione in domo Iudæi.

ITem: nullum volumus in domo Iudæi hoſpitari.

De literis, & poſſeſſione bonorum Iudæi immobilium.

SI Iudæus, ſuper poſſeſſiones, aut literas bonorum immobilium, pecuniam mutaverit: id quoq́; ille, cujus res eſt, probaverit: Nos Iudæo & pecunias, & literarum pignus abjudicari ſtatuimus.

De Iudæorum pueris.

ITem, ſi aliquis, vel aliqua, puerum Iudæis abduxerit: volumus condemnetur, ut fur.

De poteſtate Iudicis Iudæorum, ſcilicet de pignore judicandi.

Item

ITem: ſi Iudæus receperit à Chriſtiano pignus: & per ſpatium anni tenuerit: ſi pignoris valor mutuatam pecuniam non exceſſerit: Iudæus Iudici ſuo pignus demonſtrabit, ſi verò pignus bonum non fuerit: Palatino noſtro, vel ſuo Iudici oſtendet: vel poſtea vendendi habebit poteſtatem. Si idem pignus, antequam annus tranſierit, ſuo Iudici demonſtrabit: ſiquidem pignus apud Iudæum, diem & annum remanſerit: nulli ſuper hoc poſtea reſpondebit.

Iudæi non judicentur die feriata ſua.

VOlumus: ut nullus Iudæum, ſuper ſolutione pignorum, in ſuo feriato die audeat coarctare.

De ablatis pignoribus Iudæis, per aliquem.

ITem: quicunque Chriſtianus, per vim abſtulerit pignus ſuum à Iudæo, aut violentiam in domo ſua exercuerit: ut diſſipator noſtræ cameræ, graviter puniatur.

Iudæorum exceſſus, in Scholis judicentur eorundem.

ITem: contra Iudæum, nonniſi in Scholis, vel ubi judicantur omnes Iudæi, in Iudicio procedatur, exceptis Nobis, & noſtro Palatino: qui eos poſſumus ad noſtram præſentiam evocare.

De impetitione Iudæi per Chriſtianum, pro puero interempto.

IVxta Conſtitutiones Papæ: In Nomine noſtri Patris Sancti diſtrictiùs prohibemus: ne de cætero Iudæi ſinguli, in noſtro dominio conſtituti, debeant culpari: quòd humano utantur ſanguine, cùm juxta præceptũ Legis, ab omni prorſus ſanguine ſe Iudæi ccntineant univerſi. Sed ſi aliquis Iudæus, de occiſione alicujus pueri Chriſtiani, per Chriſtianum fuiſſet culpatus: tribus Chriſtianis, & totidem Iudæis, convinci debet: & poſtquam convictus fuerit: tunc ipſe Iudæus, tantummodo pœnâ quæ ſequitur, puniatur, crimine pro commiſſo. Si verò ipſum teſtes ſupradicti, & ſua innocentia expurgabit: pœnam Chriſtianus, quam Iudæus pati debuerat, non immeritò ſuſtinebit.

Æqualis pecunia, ſive debitum, ſemper Iudæo reddatur, cum uſura.

ITem ſtatuimus: ut quicquid Iudæus mutuavit, ſive aurum fuerit, ſive denarii, ſive argentum, idem ſibi ſolvi vel reddi debet: cum uſura debita, quæ accrevit.

De equis Iudæis obligatis.

VOlumus: ut Iudæi equos qualeſcunque generaliter omnes, manifeſtè, atq́; in luce diuturna, pro pignore recipiant. Si autem aliquis equus, apud Iudæùm, furatus per Chriſtianum aliquem inveniretur: Iudæus ſe juramentô propriô expurgabit, dicens: Quia eundem equum manifeſtè, & in die, pro tanta, quantam dedit pecuniam, impignoratum habuit: & credebat non furatum.

De falsa moneta, quærenda apud Iudæos.

Folio 167. ITem inhibemus, ut Monetarii in noſtro dominio conſtituti, Iudæos cum falſis denariis, vel rebus aliis, abſq; noſtro Nuntio, vel noſtri Palatini, ſeu abſq; civibus honeſtis, quoquomodo detinere, vel capere non præſumant.

De clamore Iudæi, in nocte, pro violentia.

STatuimus: quòd ſi Iudæus aliquis compulſus nimia neceſſitate, nocctis tempore clamaverit: & ſi vicini Chriſtiani præſtare non curaverint auxilium opportunum, nec venerint ad clamorem: quilibet vicinus ſuus Chriſtianus, triginta ſolidos teneatur.

De comparatione & emptione victualium.

STatuimus etiam: ut Iudæi vendant omnia liberè, & emant: panem tangant ſimiliter ùt Chriſtiani; prohibentes verò, pœnam noſtro Palatino, pro eo ſolvere tenebuntur. Et ut omnia quæ præmiſſa ſunt, perpetuæ robur obtineant firmitatis, præſens inſtrumentum, cum teſtium annotatione, ipſis pro cautela dedimus, cum Sigilli noſtri munime roboratum. Hujus verò rei teſtes ſunt, Comes Albertus Palatinus Caliſſienſis, Comes ſimul Caſtellanus Gneſnenſis, Comes Iankalis, Comes Matthias Caſtellanus Ledineñ: & alii complures Barones terræ noſtræ. Actum in Civitate Kaliſz, in craſtino die Aſſumptionis MARIÆ Virginis, Anno Domini 1264. octavô Calendas Septembris. Nos igitur, Iure ipſorum diligenter conſiderato, & inſpecto Statuto Prædeceſſorum noſtrorum, confirmare eò magis, quàm monere aliqualiter decernentes, bene meritis ipſorum deſideriis favorabiliter inclinati; Exnunc prædicta omnia innovamus, roboramus, & ratificamus, in titulum perpetuæ firmitatis. In horum autem evidentiam, præſentes ſunt noſtrô Sigillô inſignitæ. Actum Cracoviæ, die Beatorum Martyrum Dionyſii & ſociorum ejus, Anno Domini 1334. præſentibus his Nobilibus noſtris, Spicimiro Caſtellano Cracovienſi, Niſcinio Sandomirienſi, Nicolao Palatino Cracovienſi, Andrea Venatore, Krzywoſande Succamerario Cracovienſi, & aliis multis fide dignis. Datum per manus Sbignei, Præpoſiti & Cancellarii noſtri Cracovienſis.

Parentes filiorum contractibus, circa aleam, aut cum Iudæis factis, non obligantur.

Kaz. Vislic Folio 25. UT noxius ludus taxillorum abjiciatur: per quem ſæpius juſti Patres, propter filiorum exceſſum, de bonis eorum pelluntur: & abſque illorum commeritis, ad nimiam deducuntur paupertatem: Statuimus: ut ſi filius quiſpiam, utriſque parentibus vivis, & ſanis, ludô amiſerit aliquam pecuniæ quantitatem: prædicti ludentis parentes non tenebuntur ipſi victori, pro ipſorum filiis, vel filio, ad pecuniæ perluſæ ſatisfactionem. Idemque dicimus de Iudæis: ſi mutuarent pecuniam tali filio, ſuperſtitibus dicti filii parentibus, & ſanis: quòd videlicet ejus parentes non

non teneatur de mutuo: nec aliquo modo compelli debeant, nec poſſunt. ſic etiam dicimus, de omni contractu inito cum filio familias: quòd non valet, cùm ſit in paterna poteſtate conſtitutus: (juveturque Senatuſconſulto Macedoniano) propter quod non habet alicujus rei dominium, vel aliquam poſſeſſionis traditionem.

§ Idem repetitur in Titulo, TAXILLUS.

Iudæi exigant uſuras ſeptimanatim, ſi verò ad literas obligatorias pecunias dent: ad nullam uſuram tenebitur mutuatarius.

Kaz. Viſlic Folio 26. CUm in uſurarum voragine ſit inſatiabilis appetitus: extorſionique pecuniarum, quidam terminum non imponunt: proinde ſtatuit noſtrorum Baronum, & Nobilium authoritas: Quòd Iudæi, Fidei noſtræ Chriſtianæ veri inimici, Chriſtianis pecunias ipſorum mutuantes, non plus de uſura, qualibet ſeptimana exigere debent: niſi tantùm unam quartam, aliàs unum groſſum à Marca, debent & tenebuntur, cum gratiarum actione recipere. Et ſi aliqui Iudæi per novas deceptiones, ad literas obligatorias pecunias eorum mutuarent: & per duos annos ſuum debitorem ſuſtinerent: pro uſura accreſcente, & pro ſumma principali, debitorem ad Iudicium non provocantes: extunc ipſô factô uſuram, ultra duos annos accreſcentem, amittere debent: in ſorteq; principali, & ſumma capitali ſola, & abſq; ullis uſuris, debent eſſe contenti: neq; per eandem literam obligationis, obligantem poterint ad majorem ſummam compellere: neque obligatus tenetur ſtare, vel obſervare ipſis ſuam obligationem, vel promiſſum, ultra hoc ſe extendens.

Iudæi ergo pecuniam ſuper literas ne dent, præter pignus.

Kaz. Viſlic. Folio 36. POrrò cùm Iudaicæ pravitatis intentio ſuper hoc verſetur: ut Chriſtianorum bona & divitias ſemper deprimant, & evellant: convenit igitur non immeritò ſtatuere: ut nullus Iudæus ampliùs, alicui Chriſtiano, in Regno noſtro amodo conſtituto, ſuas pecunias, ſuper literas obligationis præſtet aut mutuet, ſed tantùm ad pignus ſufficiens præſtare valebit: ſecundùm conſvetudinem antiquitus reſervatam.

Wladislaus Iagel. 1423 Folio 45. § SIMILIS. Perverſa Iudaica perfidia, cùm ſemper ſit & eſt Chriſtianis contraria & inimica: & non ſolùm in fide, nec in corpore, verùm etiam in direptione bonorum, & facultatum attractione, quàm ſtudioſiſſimè intendit: quamvis in Conſtitutione ejuſdem Capituli, quod incipit, Porrò &c. ſit eis prohibitum: quòd dare non debeant hominibus, cujuſcunque ſtatus aut conditionis exiſtant, pecunias ſuper literas & Inſcriptiones, ſed tantùm ſuper vadia & pignora: tamen hoc ipſi minimè advertentes, pecunias ſuper literas & Inſcriptiones dare non ceſſant: etiam contra Iura & Canonica, & Civilia, quæ arctiſſimè hoc prohibent: Ideo volentes noſtris ſubditis terrarum noſtrarum ſubvenire gratioſè (prout ex religione Chriſtiana tenemur, & debemus) de cætero, Prohibemus: ne Iudæi, ſuper literas & Inſcriptiones pecunias mutuent:

ſed ſolùm ſuper pignora, ut ſuperiùs in eodem Capitulo eſt expreſſum: Si quis igitur Iudæorum, tales literas de cætero, aut inſcriptiones exhibuerit, aut ſuper eaſdem pecunias dederit: extunc tales literæ, aut Inſcriptiones, debent eſſe nullius valoris, vel roboris: nec recipiens pecunias hujuſmodi, tenebitur procedere ad earundem ſolutionem.

Iudæi, trienniô præſcribunt in Obligationibus, & Inſcriptionibus: ſed nihil ſuper bona dent, quorum & libertates, Iuri divino & Terreſtri contrariæ, abrogantur.

Kazimir. III. in Nieſzowa 1454. Fol. 95 ITem: cùm infideles non debeant ampliori prærogativâ gaudere, quàm Chriſti Dei cultores: nec ſervi debent eſſe melioris conditionis, quàm filii, Statuimus: quòd Iudæi potiantur Iuribus, juxta Conſtitutiones Warthenſes, prout alii Nobiles terrarum noſtrarum, quantùm ad Præſcriptiones: ut videlicet utantur Præſcriptione trium annorum, in obligationibus, & Inſcriptionibus ipſorum. Nec poterint dare aliquam ſummam pecuniæ, ſuper obligationem aliquorum bonorum, aut ſuper literas Inſcriptionum, quòd ſi dederint: contra hujuſmodi prohibitionem Statuti, eo ipſo pecuniam perdant: Obligatioq; & Inſcriptio hujuſmodi eo ipſo ſint nullæ. Literas etiam quaſcunq;, ſuper libertate ipſis Iudæis in Regno noſtro degentibus, per Nos, poſt diem Coronationis noſtræ conceſſas, & Iuri divino, ac Conſtitutionibus Terreſtribus contrarias, penitus revocamus, abolemus: eaſq; nolumus alicujus roboris, vel momenti fieri. Quam revocationem, & obligationem eorum, in Regno noſtro per proclamationem publicam omnibus innoteſcere faciemus: hæc omnia rata, grataq; habere promittimus: & inviolabiliter obſervare, & ab aliis obſervari faciemus: Præſentium noſtrarum, quibus Sigillum noſtrum appenſum eſt, teſtimoniô literarum. Actum in Nieſzowa die Sababthô proximô, poſt feſtum Sanctæ Elizabeth: Anno Domini 1454.

Iudæi arbitriô Cancellariorum, Regias literas ſolvunt.

Sigiſ. Crac. 1511. Fol. 16 IVdæi ſolvent literas, juxta arbitrium & voluntatem Cancellariæ noſtræ. § Idem in Titulo, CANCELLARIA.

Pignora non conſpiciantur per ſeniores Iudæorum: ſed in libros eorum inſcribantur.

Sigiſ: Petr: 1532. B 1 DE conſpiendis per ſeniorem Iudæorum pignoribus, ad Iudæos illatis, non videtur nobis factum conveniens: cùm ſinguli pignorantes, id maximè vitare, & cavere ſoleant: ne in egeſtate, & indigentia ſua, cuipiam detegantur: ſed Mandabimus, ut res oppignoratæ, & dies earum oppignorationis, ſecundùm veterem conſvetudinem, in libros Iudæorum inſcribantur.

De eodem, Iudæi pignora inſcribant in libros.

Sigiſ. Petr. 1538. A 6. CÆterùm pignora debebunt inſcribere in libros: ſecundùm Statutū noſtrum, Cracoviæ in Conventu Regni generali, Anno Domini 1532 editum.

Iudæus

Iudæus ſi non ſiſtit evictorem, ſuſpendatur.

QVoniam verò nimia furum licentia, & pluralitas, eò maximè creviſſe videtur: quòd fures ipſi habeant, rerum, furtô ablatarum, apud Iudæos tutam venditionem: cui malo ut obviari poſſit, ex conſilio Senatorum Regni noſtri, & poſtulantibus Nuntiis terrarum noſtrarum, Decrevimus decernimuſq;: Vt ſi Iudæi, pro re furtiva ad ſe delata, evictorem ſtatuere non poſſent, aut nollent: in Iudicio ad hoc citati, pœnâ furcæ, ipſi, ut culpæ participes & conſcii, puniri debeant. *Sigiſ. Petr. 1538. A 6.*

Iudæi neq; teloniis, neq; ullis officiis præſint.

STatuimus inviolabiliter obſervandum: Iudæos teloniis quibuſcunque præfici non debere, neq; poſſe: indignum, & Iuri Divino contrarium cenſentes, ejus generis homines aliquibus honoribus & officiis, inter Chriſtianos fungi debere. *Sigiſ. Crac. 1538 A 6.*

Glaucis mitris inſigniti prodeant in publicum: ſub pœna unius Floreni, niſi forte in itinere ſint.

ET quoniam Iudæi, relictô veteri inſtitutô, projectis ſignis, per quæ à Chriſtianis dignoſcebantur, veſtitum Chriſtianis per omnia ſimilem ſumpſerunt: ut inter Chriſtianos dignoſci non poſſint: Statuimus perpetuò obſervandum: Vt omnes & ſinguli, ubique in Regno noſtro, Iudæi, ſigna, hoc eſt, Bireta, aut Capellos, ſeu aliud capitis tegmentum coloris glauci, aliàs *Zotte*, ubilibet locorum deferant: viatoribus exceptis. Per viam enim & itinera, licebit eis ſigna ejuſmodi deponere, aut occultare. Quodſi quiſpiam ex Iudæis, uti tranſgreſſor hujus legis, non deferens capitis tegmentum glauci coloris, Palatino loci, aut ejus Vicepalatino, ſeu Iudici, ſecundùm morem terræ cujuslibet, delatus & ibi convictus fuerit: ſolvere tenetur toties, quoties Conſtitutioni contravenerit præſenti, unius Floreni pœnam, cujus medietas Palatino, ſeu Vicepalatino, ſeu Iudici, & alia medietas inſtigatori cedere debet. *Sigiſ. Petr. 1538. A 6*

Nobilium Iudæi, in Regia defenſione nihil ſibi promittant.

QVi Nobiles in Oppidis, aut in villis ſuis, Iudæos habent: per Nos licèt, ut ſoli ex eis fructus omnes, & emolumenta percipiant: Iuſq; illis, arbitratu ſuo dicant: verùm ex quibus Iudæis, nullum ad nos commodum pervenit, eos uti, Iudæorum Iure non permittimus, per Nos & anteceſſores noſtros conceſſô: neq; de injuriis eorum deferri ad Nos volumus, ut ex quibus nullum commodum ſentimus: hi etiam nullum in Nobis præſidium habeant collocatum. *Sigiſ Crac. 1539*

Qualiter Iudæi jurare debent.

STatuimus: quòd nullus Iudæus juret ſuper Rodale ipſorum: niſi ſit pro magnis cauſis, quæ ſe extendunt uſque ad quinquaginta Marcas argenti: vel ſit ad noſtram præſentiam evocatus, pro minoribus verò cauſis, jurare debet ante Scholas, ad eſtium dictæ Scholæ. *Sigiſmundus Crac. 1539*

Forma Iuramenti Iudaici, contra Chriſtianos.

Alexander Fol. 163. QVòd Iudæus debet converti contra Solem ſeorſum, & ſtare nudipes ſuper unam ſedem, indutus palliô, aut chlamyde: & pileum Iudaicũ debet in capite habere, & ſi lapſus fuerit ter: totidem amittit Fertones, ſi quartò: manet reus in cauſa. Tunc dicat is, qui ſibi Iuramentum narrare debet, ſeu prædicere: Helia Iudæe, ego te moneo, per has tres literas, & per hanc legem, quam Dominus dedit Moyſi, in tabula lapidea, in monte Sinai: quòd liber ille, aut Rodale hoc, verum & juſtum ſit; ſuper quod tu Iudæe jurare debes: huic vero Chriſtiano, pro tali culpa, ſive cauſa, pro qua duxit te ad Iudicium.

Et prædicetur ei Iuramentum ſic:

QVòd tu in hac cauſa non es reus: pro qua hic Chriſtianus te culpat, ita te Deus adjuvet ille & idem: qui cœlum & terram fecit, aerem, & rorem, montes cum vallibus, flores, & gramina. Et ſi tu reus ſis: quòd te lepra & venenum invadat: quæ precibus Eliſæi, Naaman Syrũ dimiſit, & Giezi invaſit. Et ſi tu reus ſis: quòd te ignis cœleſtis comburat, & morbus invadat caducus, & fluxus ſanguinis. Et ſi tu reus fueris: quòd tu pereas in anima tua, & in tuo corpore, & in tuis rebus: & ut tibi accidat, ſicut uxori Loth accidit: quæ mutata fuit in ſtatuam ſalis, quando Gomorra & Sodoma periit: fiat & tibi. Et ſi tu reus es: ut nunquam ad ſinum Abrahæ venires: ubi Chriſtiani, Iudæi, & gentiles, ante creatorem omnium rerum reſurgent. Et ſi tu reus es: quòd te lex Moyſi deleat in monte Sinai, quam Dominus dedit Moyſi: quam ſolus Deus digitô ſuô ſcripſit in tabula lapidea. Et ſi tu reus es: quòd te confundat omnis ſcriptura, quæ ſcripta eſt in quinq; libris Moyſi. Et ſi tuum Iuramentum, non eſt juſtum, nec mundum atq; verum: quòd te Adonay deleat, ſuæ Divinitatis potentiâ: & te ſuſcipiant diaboli, & deducant te in æternam damnationem in ſecula ſeculorum, Amen.

IVMENTVM.

Qui interficit jumentum.

Kazim. in Viſlica 1368 Fol: 34. STatuimus inſuper: quòd interficiens jumentum indomitum cujuſcunque, quatuor Marcas: poledrum verò interficiens, tres Marcas: & ubi jumentum, ictu vel plaga, culpâ alicujus læſum fuerit ad dorſum, Marcam cum dimidia: & pro poledro ſecundi anni, quinque Marcas, hujuſmodi plagam vel ictum inferens ſolvere teneatur, ubi verò tertii, quarti, vel quinti anni poledrum, vulgariter *Zrzebcá* occiderit: juxta, quod, paſſus damnum, ſuper æſtimatione ejuſdem poledri occiſi, Iuramentô ſuô firmaverit, ſatisfacere teneatur.

Iumenta indomita quamdiu ſub cuſtodia tenenda.

Kaz. Mag. Folio 35. STatuimus: quòd omnes habentes jumenta indomita, à Vigilia Sancti Adalberti, uſque ad feſtum S. Michaelis, illa, ſub cuſtodia paſcere teneantur,

neantur, aliàs qui ſecus fecerit, æſtimatione damni convictus, Iudicio, & damnum paſſo, cum pœna unius Marcæ, ad ſolvendum ſit aſtrictus, ſed denique ipſa jumenta, damnum patiens ad ſuam domum pellere non præſumat.

§ Iumenta ex damnis abacta, qualiter tenenda. Vide in Titulo: Pecus

IVRAMENTORVM FORMÆ.

Iuramentum electi Regis.

EGO A. Dei gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, &c. Dominus & Hæres, Iuro, ſpondeo, & promitto, ad hæc Sancta Dei Evangelia; quòd omnia Iura, libertates, Privilegia, literas, immunitates Regni mei Poloniæ, Eccleſiaſticas & Seculares, Eccleſiis, Regno quoq; Poloniæ, ejuſdemq; Prælatis, Principibus, Baronibus, Nobilibus, civibus, incolis, & quibuslibet perſonis cujuſcunque ſtatûs & conditionis exiſtentibus, per divos prædeceſſores meos, Principes, Reges, & quoſcunque dominos ac hæredes Regni Poloniæ, præſertim verò per divos, Kazimirum antiquum, Loiſch, Wladislaum avum, Wladislaum Patruum, Kazimirum Patrem, & Ioannem Albertum, germanum, meos, Reges Poloniæ, juſtas & legitimas, donatas, manu tenebo, ſervabo, cuſtodiam, & attendam: in omnibus conditionibus, atq; punctis: & omnia illicitè ab eodem Regno alienata, aut diſtracta, pro poſſe meo, ad proprietatem ejuſdem Regni mei aggregabo, terminos etiam Regni mei Poloniæ, non minuam: ſed pro poſſe meo, defendam, & dilatabo. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. *Alexander Folio 161.*

Iuramentum conſiliariorum Regni

EGo I. Iuro: quia Sereniſſimo Principi & Domino, Domino A. Regi Poloniæ, fidelis ero: pro ejuſque Majeſtate, & Reipub. Regni ſui, fideliter conſulam: Secreta, quæ mihi per ſuam Majeſtatem, & Conſiliarios ejus dicentur, contingentia vel M. Regiam, vel Rempub. aut utrumq; nemini in jacturam Regiam, & Reipub. pandam, & pro poſſe meo utilitates ſuæ M. Regiæ, Regni & Reipub. augmentabo. Quicquid verò ſcivero, intellexero, aut ſenſero, ſuæ M. Regiæ, Regno, & Reipub. nocibile & damnoſum, præcuſtodiam: & ne fiat, me opponam: & illud avertam. Sic me Deus adiuvet, & hoc ſacrum Evangelium, aut hæc ſancta Crux. *Folio 161.*

Iuramentum Migiſtri Pruſſiæ.

EGo L. Magiſter generalis Ordinis Sanctæ Mariæ Virginis, Theutonicorum Princeps, & Conſiliarius Regni Roloniæ, Iuro: quod ab hac hora, & deinceps, fidelis ero, Sereniſſimo Principi Domino K. Regi, & ſucceſſoribus ſuis Regibus, & Regno Poloniæ: & profectum illorum fideliter procurabo: & in negotiis Regis & Regni, fideliter conſulam: & ſecreta, quæ mihi qualitercunque communicata fuerint, in eorum detrimentum, nulli pandam: pacem inſuper perpetuam, in omnibus ſuis conditionibus, & articulis, obſervabo & cuſtodiam. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Crux. *Folio 161.*

Iuramentum Conſiliariorum terrarum Pruſſiæ.

Folio 162. IVro, quòd nunquam, ſcienter ero in conſilio, auxilio, aut facto, in tuam læſionem, injuriam, aut contumeliam, aut honorem, quem habes: aut habiturus es, & ſi contrà, aliquid audivero: pro poſſe meo, ut non fiat, impedimentum præſtabo: aut tibi, quantò citiùs potero, nuntiabo, ſecreta mihi manifeſtata, ſine tua licentia, nemini pandam: vel per quod pandantur faciam, ſimiliter tibi & Reipub. conſulam: prout videbitur magis expedire, & nunquam ex perſona mea aliquid faciam ſcienter: quòd pertinet ad tuam, & *R*eipub. contumeliam, vel jacturam.

Conſiliarii terrarum Pruſſiæ, in medio conſilii ſic jurant.

Folio 162 EGo A. juro Sereniſſimo Domino, Domino Regi Poloniæ, &c. & Succeſſoribus ſuis, fideliter conſulere: pro honore, & ſtatu ſuo Regali, ac proventibus ſuæ Majeſtatis: ac pro communi bono terrarum Pruſſiæ, & Regni Poloniæ: conſilium ſuum ſecretè tenere: & eum in omnibus præcuſtodire. Sic me Deus adiuvet, & hæc Sancta Crux.

Iuramentum Miniſterialium, quando tonduntur per Palatinum.

Folio 163 EGo B. exnunc & in antea, fidelis ero Sereniſimo Domino meo Regi &c. negotia Iudiciorum, mihi commiſſa, & credita, & Citationes, fideliter faciam ſuper quibuſcunq; negotiis, poſtquam in teſtimonio requiſitus fuero, fideliter recognoſcam: non amore, odio, pretio, vel favore: ſed pro Deo, & juſtitia: nec ero conſentiens cuiquam malitiæ: quæ poſſet quoquo modo opprimere veritatem, obediens etiam ero Iudicio Regali, omnia mihi commiſſa, per Dominos Palatinos, & alios Officiales Iudicii Terreſtris, fideliter recognoſcam, nec promovebo falſam cauſam: & omnia mihi commiſſa, fideliter, abſq; dolo & fraude promovebo. Ita me Deus adjuvet, & omnes Sancti.

Conſules Civitatum earundem, & terrarum, ac Nobilium communitas, in ſolio Majeſtatis jurabunt formâ infraſcriptâ.

Folio 163 EGo N. juro: quia Sereniſſimo Principi & Domino, Domino A. Regi Poloniæ &c. & ſuis legitimis Succeſſoribus Regibus, primòq; coronatis, fidelis ero: ſuæq; Serenitatis honorem, ſtatum Regium, & commodum *R*eipub, Coronæ, & terrarum Pruſſiæ, pro poſſe meo, procurabo: ſuam Serenitatem de omnibus damnis, quæ ſcivero, aviſabo, & ea manifeſtabo fideliter. Sic me Deus adjuvet. &c.

Iuramentum Iudicis & Subjudicis.

EGo A. juro: quia iuſtè, ſecundùm Deum, Ius ſcriptum, æquitatem, & partium controverſias, judicabo: Recognitioneſq; ſuſcipiam, divitis & pauperis, amici & inimici, civis & peregrini diſcrimine ſublato: & neque favorem, neque odium, neq; præmium, neque pœnas, mihi propoſita curabo: ſed in judicando, ſolum Deum, & Ius ſcriptum, æquitatem, partium controverſias, & *R*ecognitiones, in hiſq; omnibus, conſcientiæ meæ judicium ſequar, & audiam: aliaque negotia, mihi incumbentia, fideliter & pro poſſe meo faciam. Sic me Deus adjuvet, & ſancta Crux Chriſti.

Iuramentum Notarii.

EGo A. juro: quia iuſtè, ſecundùm Deum, Ius ſcriptum, æquitatem, & partium controverſias, judicabo: conſulam Iudici: fideliterq; partium Recognitiones, controverſias, affectiones, ſeu poſtulationes Iuridicas, vel Iudicis Decreta, in librum Actorum Terreſtrium, inſcribam, & inſcribi curabo: divitis & pauperis, amici & inimici, civis & peregrini diſcrimine ſublato, & neq; favorem, neq; odium, neque præmium, neq; pœnam, mihi propoſita curabo: ſed in judicando, conſulendo, & ſcribendo, ſolum Deum, & juſtitiam ſanctam, & æquitatem, partium *R*ecognitiones, controverſias, ac Iudicis ſententias, in hiſque omnibus conſcientiæ meæ judicium ſequar, & audiam: aliaq; negotia mihi incũbentia, fideliter, & pro poſſe meo peragam. Sic me Deus adjuvet, & ſancta Crux Chriſti.

Capitanei & Tenutarii Caſtrorum Pruſſiæ, ſic jurant.

EGo B. juro: quia fidelis ero, in Caſtro tenutæ meæ: illudq; ſervabo fideliter, Sereniſſimo Principi & Domino, Domino &c. Regi Poloniæ, & ſuis legitimis ſucceſſoribus Regibus Poloniæ: tranquillitatem & ſecuritatem viarum, & juſtitiam tuebor: & generali, ſeu Supremo terrarum Pruſſiæ Officiali obediens ero. Sic me Deus adjuvet, & hæc S. Crux. Folio 163

Iuramentum Burgrabii Gedanenſis.

EGo N. juro: quia fideliter Ius Regium tuebor: & quicquid ad Ius & perſonam Majeſtatis Regiæ pertinet, attendam, & attentabo; agam & procurabo: ut æquè bene pauperi, ſicut diviti juſtitia miniſtretur. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Crux.

Iuramentum Notarij Exercitûs.

EGo N. juro: quia Sereniſſimo Domino *R*egi, & Regno Poloniæ, fideliter ſerviam: omnia damna in exercitibus, & ſtipendiariis equitibus, & peditibus, ſuæ Majeſtati & Regno Poloniæ, imminentia, diligenter providebo, & cuſtodiam: omnes equos, tam per damnificatos, quàm ad ſtipendium ſervitii conductos, & conducendos, veraciter conſcribam, & hæc omnia diligenter, & fideliter faciam: nec eadem negligam, vel omittam cauſâ timoris, odii, amoris, favoris, vel lucri, vel damnorum gratiâ: ſed omnia damna Majeſtatis *R*egiæ & Regni cuſtodiam: & ea Majeſtati *R*egiæ vel Domino Capitaneo exercituum Regni, fideliter revelabo. Sic me Deus adjuvet, & ſancta Chriſti Crux.

Iuramentum, quod Valachi præstare consueverunt Regi, & Regno Poloniæ.

Folio 162. NOs Barones Vasalli, & tota terra Moldaviæ, præstamus omagium, nostro, & totius communitatis terræ Moldaviæ nomine, Serenissimo Principi, Domino Kazimiro, & successoribus Regibus Poloniæ, & Coronæ Regni Poloniæ: promittimusq; & juramus omnem fidelitatem, subjectionem, & obedientiam, in perpetuum, Serenitati suæ, Regno, & Regibus Poloniæ. Ita nos Deus adjuvet, & sancta Crux.

Iuramentum Palatini Moldaviæ, quodq; olim Stephanus Woywoda, Kazimiro Regi, & Regno Poloniæ, in loco Campestri circa Colomiam, feriâ quintâ in crastino Exaltationis S. Crucis, Anno Domini M. CCCC. LXXXV. præstitit.

GRatiosissime Rex, ego omagium præsto, & iuro, ac etiam promitto fideliter sine dolo, & fraude, vestræ Serenitati, successoribusque Serenitatis vestræ, Regibus, & sacræ Coronæ Regni Poloniæ, cum omnibus terris, Baronibus, & hominibus meis, fidelitatem: esseq; fidelis & obediens Serenitati vestræ, successoribus, & Coronæ Poloniæ Regni, Sic me Deus adjuvet, & Sancta Crux.

Iuramentum Ducis Zathoriensis.

EGo Dux Zathoriensis juro: quòd fidelis & obediens ero, cum omnibus subditis Ducatûs mei, & cum Ducatu meo, Serenissimo Principi, Domino A. &c. Regi Poloniæ &c. gratiosissimo, & ipsius successoribus Regibus, & Regno, ac Coronæ Poloniæ: pro bono statu M. Regiæ & Reipubl. Regni Poloniæ: & pro utilitate M. Regiæ & Regni consulam: & quæ sentio M. Regiæ, successoribus, & Regno Poloniæ nocitura, præcustodiam, & pro posse meo avertam: ac omnia fideliter ad partem Maiestatis Regiæ, & Regni Poloniæ, agam: fideliter & obedienter, mandatis Maiestatis Regiæ & successorum suorum, parebo: & ea implebo. Literas meas, juxta contractum, per olim Serenissimum Dominum Ioannem Albertum, inter me & Regnum, factum, sub meo & subditorum meorum Sigillis, dabo M. Regiæ ad thesaurum Regni: subditosque universos meos, ad jusjurandum iuxta contractum, inducam: & iurari, aliaq; quæ ex condictamine debeo facere, faciam. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Crux.

Iuramentum terrigenarum Ducatûs Zathoriensis.

EGo P. iuro: quòd fidelis ero Serenissimo Principi, & Domino, Domino Alexandro, Dei gratiâ &c. gratiosissimo, & Regno ac Coronæ Poloniæ: & post mortem Ducis Ianussii, Zathoriensis, Domini mei gratiosi, neminem alium, quàm ipsum Dominum Alexandrum Regem, & successores Poloniæ, pro Domino suscipiam: & me sibi subjiciam: ac pro posse meo procurabo omne bonum: & avertam omne malum, quod scivero immi

imminere Regiæ M. & suo Regno Poloniæ: omniaq; faciam fideliter, obedienter, & diligenter: quæ ad subditum bonum & fidelem pertinent. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Crux.

Iuramentum Capitaneorum.

EGo B. juro: quia fidelis ero in Castro A. B. illudq; servabo fideliter, Serenissimo Principi & Domino, Domino Sigismundo Regi Poloniæ: & Successoribus suis legitimis, Regibus Poloniæ: tranquillitatem, securitatem, ac justitiam tuebor: aliaq; munia, mihi, seu Capitaneali officio incumbentia, sine dolo & fraude exequar. Sic me Deus adjuvet, & Christi Iesu sancta Crux.

§ Iuramentum Iudæorum, Vide in Titulo: IUDÆI.

§ De Iuramento Factorum, Vide in Titulo: FACTOR.

§ Iuramenta quæ decernuntur à Iudiciis, aut in Comitiis, ad districtum remitti debent, exceptô, si aliquis ibidem Iurare vellet.

IUS.

Iure Theutonico, qui abusus sit, jam amplius eo uti non potest.

CVm secundùm Patrum Sanctorum decreta, lex decernat, illos amittere Privilegii auoctritatem, qui concessa sibi non utuntur potestate: plures sunt nostri milites, Ius Theutonicum habentes in multis ipsorũ villis, ex nostrâ aut prædecessorum nostrorum gratiâ eis factâ: & tamen Iure Theutonico omisso, secundùm Ius Polonicum, se regunt in quibusdam; Statuimus: quod si in aliqua villa, abusi sunt Iure Theutonico: amplius, contra agentes, per Ius Theutonicum non poterint se defensare. Quapropter volumus: quòd si crimen est commissum: illo Iure, quo villa eadem usa fuerit, illud tenebitur judicare simul & terminare. *Kazim. Magnum Vislic. 1368. Folio 23*

In Regno Poloniæ, unum sit omnibus Ius.

CÙm sub uno Principe & capite, eadem gens, Iura diversa habere non debeat: ne sit tanquam monstrum, diversa habens capita: expedit Reipubl. ut uno & æquali Iure, tam Cracovienses, quàm etiam Majoris Poloniæ inhabitatores, & cæteræ Regni nostri terræ, utantur & judicentur. *Kaz. Vislic. 1368 Folio 32.*

§ SIMILIS. Cæterùm, cùm omnibus terris, quas Regni ambitus comprehendit, velut unicus Princeps & Dominus, dominemur: non est æquum, ut variis modis judicandi, populus nobis subjectus, & sub nostro existens regimine, in varios ritus Iudiciorum dilabatur, propterea perpetuô edictô Statuimus: ut omnes & singuli homines, & subditi Regni nostri, cujuscunq; conditionis, statûs, gradûs, aut dignitatis fuerint, causas in Iudiciis nostris Terrestribus proponentes, vel proponere volentes, singulariter singuli, & universaliter universi, eodem Iure, modis, consvetudinibus, & ritibus Nobilibus per Regnum nostrum potiantur: nec audeant Iudices, sedibus & tribunalibus Iudiciorum nostrorum præsiden- *Wlad. Iagellone propè Czerwienisko 1423. Folio 49.*

sidentes, alios modos, ritus, & consuetudines, circa terminos & sententias obſervare: niſi illos, quos præfati Domini Kazimiri, prædictus liber, & consuetudines doceant, & informent, ad quem ſemper recurrant. Quicquid autem per ipſos fuerit aliter judicatum, & ſententiatum: irritum remaneat, & nullius roboris, vel momenti.

Ex Privileg. Wlad. Iagell. in Iedlna Folio 52.

§ SIMILIS. Item pollicemur: quòd omnes terras noſtras Regni Poloniæ, etiam terrarum Ruſſiæ includendo, ad unum Ius, & legem unam communem omnibus terris reducemus: reducimuſque, adunamus, & unimus, tenore præſentium mediante.

IVSPATRONATVS.

Qui ſacerdotia Iuriſpatronatus Regii vel Regnicolarum impetrat: bona ejus confiſcentur, & ipſe proſcribatur.

Albert. Petr. 1496. Folio 101.

SI quiſpiam beneficia Iuriſpatronatus Regii, aut ſubditorum noſtrorum, in præjudicium & derogationem Iuriſpatronatus noſtri, & ſubditorum eorundem noſtrorum, ex cauſa quacunq; impetraverit: Statuimus, decernimus, & mandamus; omni bonorum ſuorum, communium & privatorum, mobilium & immobilium Secularium: ærario ſeu fiſco vel menſæ noſtræ applicandorum privatione, Eccleſiaſticorum verò arreſtô, confiſcatione, & extra Regnum noſtrum bannitione, immediatè puniendum.

De eodem.

Alexand. in Radom. 1505 Fol. 117.

NE quiſquam, cujuſcunq; generis vel conditionis exiſtat, audeat beneficium quodcunq; noſtri Iuriſpatronatus, quandocunq; impetrare, vel oblatum à quovis ſuſcipere, ſine noſtro conſenſu: ſub incurſu præfatæ pœnæ exilii, & confiſcationis ſuorum bonorum, & parentum, ac propinquorum ejus.

Iuriumpatronatus impetratores, in bonis ſuis, & amicorum, plectuntur.

Alexan. in Radom. 1505. Fol. 118.

FIt nonnunquam, quia Corteſani & Curſores Romani, Beneficia, per terrigenas de bonis eorum, ad conſolationem amicorum viventium & mortuorum, fundata impetrant: ſicq; non mediocribus jacturis, pauperem Nobilitatem, pro ſui defenſione Iuris, impendentem, afficere conſveverunt: Quapropter decernimus: quòd impetrantes Beneficia apud ſedem Apoſtolicam, Iuriſpatronatus noſtri, & Dominorum, Nobiliumq; Secularium Regni noſtri, puniantur in perſona, & in bonis, ſimiliter amici, & conſanguinei impetrantium eorundem.

Iuſpatronatus, niſi expreſsè inſcribatur, Iuri Regio raſervatur.

Sigiſ. Crac. 1510. Fol. 15.

UBi ſpecialis mentio, in Privilegio, vel Inſcriptione, de Iurepatronatus, facta non eſt: Iuri Regio reſervatum eſſe cognoſcitur.

Iura-

Iurapatronatus à Spiritualibus obtenta caſſantur.

IVrapatronatus, quæ ſibi Spirituales, in certas perſonas expedire ſolent, deſtruximus, & caſſavimus: ſic, quòd nullam vim habere debeant. *Sigiſm. Auguſt. Petr. 1550.*

IVSTITIONARIVS.

Iuſtitionarius in nulla terra inſtituendus.

ITem ſpondemus: quòd in nulla terra totius Regni Poloniæ, Iuſtitionarium conſtituere nolumus, vel quomodolibet ſurrogare. *Iagello in Privileg. Iedlna, Fol. 51*

KMETHO.

Kmethones fugitivi reſtituantur.



TAque Kmethones fugitivi, tàm per Capitaneos, quàm per Officiales Ciuitatum, propter concordiam ſervandam, reſtituantur, præter inquilinos. *Sigiſmundus Crac. 1505*

Kmetho, vel Scultetus, à Domino profugus, & quater ad Iudicium vocatus non tamen rediens.

CÙm autem Scultetus, vel Kmetho de agro, ſeu hæreditate ſua, abſq; culpa Domini ſui fugerit: talis profugus debet per Dominum, in Iudicio majori, & bannito ter, & ex ſuperabundanti quartò, ut ad ſuam redeat hæreditatem, evocari, qui ſi non redierit, taliter vocatus: Dominus villæ, cum proteſtatione, poterit, ſuam hæreditatem per alium locare: contumaciâ illius non obſtante. Et ſi is profugus, minas incuſſerit poſſeſſoribus agrorum, qualeſcunq;: tenebitur Dominus, ſub quo degerit, requiſitus, Ius Polonicale poſcentibus, cum eo miniſtrare, aliàs ille, ſub quo fuerit contradicens, pœnam *Piatnadzieſta* incurret toties, quoties contra hanc Conſtitutionem fecerit quoquomodo. *Iagel. Cracoviæ 1423. Folio 46.*

De libertate, alicui Kmethoni per Dominum conceſſa.

QVia libertas, ad hoc per ſapientes eſt reperta: ut ſylvæ & nemora, ubi modicæ ſunt utilitates, vel proveniunt, extirpentur: & ad ampliores utilitates reducantur: Vnde ſi quis Kmetho, in Sylva, ubi villa locari debeat, libertatem accipiat: non poterit de ſuo agro, niſi illum extirpaverit, ſe movere, quo extirpato facere poterit: quod, Ius terreſtre, aut illius hæreditatis, exquirit, & depoſcit, circa ſuam motionem. *Iagel. 1423 Folio 46.*

Kmethones, unum diem, plùs minùſve, ſeptimanatim laborent.

ITem, commoditatibus ſubditorum noſtrorum conſulere volentes, de omnium Conſiliariorum noſtrorum ſtatûs utriuſq; ac Nuntiorum terrarum Regni noſtri conſilio & conſenſu, Statuimus & decernimus perpetuò obſervandum: Quòd omnes & ſinguli coloni ſeu Kmethones omnium & ſingularum villarum, tam noſtrarum, quàm ſubditorum noſtrorum *Sigiſ Thorunie 1520. Ex Regiſtris Cancellariæ Regiæ.*

ſtrorum, cujuſcunq; ſtatûs exiſtentium, qui priùs diem in ſeptimana non laboraverunt, Nobis & Dominis ipſorum: de quolibet laneo, unum diem ſeptimanatim laborent: & ad laborandum ſint aſtricti, demptis his colonis: qui cenſu pecuniario, aut frumentario, ſeu quacunq; alia contributione ſeu datione, Dominis ſuis, labores, jam antea recompensârunt. Et hôc ſpecialiter provisô: quòd hæc Conſtitutio non extendat ſe, contra hos colonos, qui ratione poſſeſſi agri, plures fortaſſe dies in ſeptimana, Dominis ſuis, & Nobis laborare conſueverunt. Nam hæc lex, pro his tantùm conſtituta eſt: qui minùs, quàm diem, in ſeptimana, Nobis & Dominis ſuis laborare ſoliti erant.

Sigiſm. Bydgoſt. 1520. Folio 26. § SIMILIS. Statuimus, & ordinamus: quòd omnes Kmethones omnium villarum noſtrarum Regalium, Spiritualium & Secularium ſubditorum Regni noſtri, ſecundùm Decretum Conventionis Torunen. generalis, proximè præteritæ, debent Dominis ſuis laborare unum diem in ſeptimana, exceptis villis noſtris, deſuper Privilegiatis: quæ expreſsè ſpeciali Privilegiô docerent: quòd locô laborum, cenſum pecuniarium auxerunt, tales duntaxat Privilegiis gaudebunt: alii, ut præmiſſum eſt, laborabunt.

Vnus aut duo tantùm Kmethones, unô annô abire poſſunt: quandoque omnes.

Kaz. Viſlic 1368. Folio 24. Cùm ex ſeparatione ſubditorum, bona dominorum ſuorum, ſæpiùs annihilantur, & deſertantur: nullâ præſertim legitimâ causâ, ad hoc perſuadente: ob id, viſum fuit Nobis, ac noſtris Baronibus, huic periculo non ſegniter obviantibus, cum quibus unà, ſtatuimus: Quòd non plures Kmethones, aut incolæ, de una villa inſimul, ad aliam villam poſſint recedere, niſi unus aut duo: præter Domini illius villæ, in qua degunt, voluntatem, niſi in caſibus hîc exceptis: Vt ſi Dominus villæ opprimat filiam, aut uxorem ſui Kmethonis: aut ſi pro exceſſu, ſeu culpa hæredis, ibidem villani bonis ipſorum deprædantur: vel in ſententia excommunicationis, per annum durant ſui Domini, ex delicto. In talibus caſibus, non tantùm tres, aut quatuor, villæ ejuſdem incolæ, abire poſſunt: ſed & omnes ibidem habitantes recedant, quò unicuiq; placebit.

Kmetho, à Domino ſuo profugus, infra annum repetatur, & quando & quomodo, illi recedere liberum ſit.

Kazim: Magnus Viſlic. 1368. Folio 36. PRæterea declarando ſtatuimus: quòd cùm à nobis, ſeu à quocunque alio Domino, nobis ſubdito, Kmetho aufugerit, abſq; culpa ſui Domini: idem kmetho fugiens, nullum Ius acquirat tamdiu: donec Domino ſuo, de manſione ipſius non conſtabit, ſecus, ſi Domino ſuo de manſione ipſius conſtiterit, & infra annum ipſum non repetîerit: extunc poſt annum, ſi ipſum repetere voluerit, minimè, hoc ſibi facere licebit. Qui profugus, ſi propter auſteritatem, ſeu rancorem Domini ſui, redire timens, etiam Iure convictus noluerit: extunc Decernimus: quòd idem fugiens

giens, Domino ſuo, tres marcas pro pœna, & cenſum annualem integrè, quem aliàs ſolvebat, ſolvere tenebitur: & per hoc à Domino ſuo, fugitivus liberabitur antè dictus, hoc tamen in Iure Terreſtri, non Theutonico, intelligi volumus. Quando verò in Iure Theutonico, kmetho reſedet: idem fugere, ſeu recedere non poteſt: niſi hæreditate vendita, vel locò ſui, kmethonem æquè divitem collocet: aut agris ex toto extirpatis, hyemalibuſque & æſtivalibus ſeminatis, Domino reſignando, recedere poterit pro libito. Adjicientes: Quòd ſi kmetho hujuſmodi, in noctis tempore receſſerit fugitivè; res quaſcunq; in domo dimiſerit fugiendo, Dominus ipſius pro ſe poteſtatem habeat retinendi, & nihilominus Dominus, qui kmethonem hunc fugitivum ſecum retinere præſumpſerit, priori Domino reſtituere tenetur: cum omnibus rebus, quaſcunque attulit ad eundem: & cum pœna, quæ dicitur *Piatnadzieſta*. Culpæ verò, propter quas licitum ſit fugere kmethoni à Domino, ſunt iſtæ: Prima, cùm Dominus propter ſuum excommunicatur delictum: & ob hoc Kmethones, Eccleſiaſticâ privantur ſepulturâ. Item ſecunda, quando Dominus villæ, in quocunq; loco villæ, ſuam villanam oppreſſerit violenter. Et cùm primùm de hoc conſtiterit: nedum parentes oppreſſæ, verùm etiam omnes villani, ubi hoc ſcelus commiſſum fuerit, quacunq; hora, recedendi liberam habeant facultatem: nec oppreſſor hujuſmodi, ſeu Dominus villæ, ipſum detinere audeat, ſeu in aliquo moleſtare. Idem liceat kmethonibus facere: cùm ob culpam Domini ſui, pignora fuerint de illis recepta, tunc abſq; quolibet impedimento, poſſunt fugere ab eodem. Sed præmiſſis culpis non exiſtentibus, kmetho, nequaquam recedat à Domino ſuo: niſi domô bonâ relictâ, & decenter ſeptâ: ſolùm in neceſſitate Domini, juxta conſuetudinem hactenus obſervatam. Et ſi antea libertatem habebat: tot annis Domino ſuo ſerviat, ab ipsô minimè recedendo: quot annorum libertate gaudebat, & hoc, quando in Iure Polonico ſedet kmetho. Quando verò kmetho Iure Theutonico eſt locatus: idem nequeat recedere ullô modô: niſi tot annis cenſum exolvat: quot annis habuit libertatem, nec tunc hoc ſibi liceat: niſi æquè divitem, locò ſui, kmethonem conſtituat: & agris ſuis in toto excultis, ſeu extirpatis, & ſeminatis hyemalibus & æſtivalibus: tunc recedere permittatur.

Profugi ab omnibus Præfectis reſtituantur: ſub pœnâ ſex Marcarum.

ITem Statuimus: ut tenutarii bonorum noſtrorum, Cives civitatum noſtrarum, & terrigenæ, ac etiam Spirituales homines, profugos, illis, à quibus fuerint requiſiti, reſtituant: & ad eorum reſtitutionem, teneantur, ſecundùm Iuris Terreſtris conſuetudinem. Quodſi requiſiti non fecerint, nec profugos reſtituere curaverint: extunc luant pœnam trium Marcarum, profugos petenti, & Iudicio trium, & nihilominus ſolutâ pœnâ hujuſmodi, profugos reddere ſint aſtricti. *Kaz. Mag. in Nieſſowæ & Opoki 1496 Fol. 95*

De mittendis Kmethonibus, consuetudo cujuslibet terræ observetur.

Albert. Petric. 1496. Folio 98. ITem de missione kmethonum, (pro qua diversi diversimodè, & quisq; pro suæ terræ consvetudine, optabat, per Nos definiri) volumus & Decernimus: consvetudines, super mittendis eis observatas, non esse immutandas, sed observandas ubique.

Vnus kmetho, de una villa in aliam transferri potest.

Albert. Petric. 1496. Folio 103. ITem: innitendo Constitutioni Magni Kazimiri Regis, prædecessoris nostri, Statuimus: ut quemadmodum ex consuetudine fieri consuevit, sic etiam perpetuò observetur: quòd non plures, quàm unus kmetho, annis singulis, se de una villa in aliam transferre poterit jure atq; licitè, ubi verò quispiam, kmethonem unum prædictum mittere nollet: in pœna succumbet consveta: quæ antiquitus in terris singulis, in hac parte, contra secus facientes decerni consvevit.

Lex de fugitivis, etiam in Russia observetur.

Sigis. Crac, 1507 Fol. 7. AD supplicationem terrarum Russiæ, volumus & Decernimus: ut de omnibus fugitiuis, Statutum Regis Alberti observetur.

Fugitivi, tam per Capitaneos, quàm per Cives restituantur: præter inquilinos.

Sigis. Crac. 1510. Fol. 9. UT concordia inter omnes passim conservetur, Statuimus: ut coloni, qui desertis agris, à Dominis suis, ad inquilinatus Civitatum & oppidorum fugiunt, cùm reperiuntur, Dominis suis, vel per Capitaneos, vel Civitatum Officiales, restituantur: sub pœnis Regalibus, vel cogantur, desertos agros aliis possessoribus idoneis, locò sui, collocare. Reliquos verò inquilinos, sine injuria cujuspiam manentes, tolerandos decernimus. Statutum autem, quod de filiis kmethonum, antehac conditum est, in robore relinquimus.

Kmetho profugus restituatur, & non redimatur decem Marcis.

Sigismundus Crac. 1543 SI quis alicui acciperet Kmethonem possessionatum, vel hæredem, vel etiam ad aliquem Kmetho profugeret: tunc debet illum restituere cum bonis ejus omnibus: & non poterit illum Kmethonem redimere decem marcis pecuniæ, vel ullâ aliâ summâ, quodsi noluerit eum restituere, nisi ex decreto Iudicii: tunc cum pœna, in Statuto descripta, tenebitur eum restituere, cum uxore, & pueris, & cum bonis illius omnibus. Quodsi Kmetho moreretur: tunc illius omnia bona debent restitui, cum uxore, & pueris, nec non cum pœna.

Filii

Filii Kmethonum, si plures fuerint: unus tantummodo ad servitia, & præsertim ad studia literarum, seu artificiorum, sub literis testimonialibus Capitanei, vel Domini sui, mittatur, alioqui, si unus sit: undecunq; extradatur.

Ioan: Alberti Petr. 1496. Fol. 99. ITem: providentes licentiositati, tam adolescentum plebeiorm, quàm desertationi bonorum: cùm, adolescentibus de villis à propriis parentibus exeuntibus, villæ desertantur: propter defectum laboratorum, in agris locandorum: & insuper aliqui, sub colore artificiorum discendorũ, à patribus euntes, ad stipendia & societates malas se conferunt: sic quoque furantur, prædantur, & in moribus depravantur; Statuimus: quòd tantummodo unus filius, de villa à patre recedere possit ad servitia: & præsertim ad studia, aut literarum, aut artificiorum: reliqui maneant in hæreditate cum patribus. Cùm verò recessurus esset: licentiam, & literas testimoniales, à Dominis locorum, accipiat: cum quibus, tanquam emancipatus, iret ad artificia, vel servitia.

§ Istud quoq; Statutum decernimus: ad bona mensæ nostræ Regalis, & Spiritualium, & Secularium personarum, nullis exceptis; sic quòd Capitanei, tenutariiq; bonorum nostrorum, licentiam, & literas testimoniales dent recedenti; in aliis verò bonis, Domini locorum istud faciant. Et si unicus fuerit ille, in hæreditate maneat, & laboret in domo cum parentibus: vel in eadem hæreditate, quam parentes incolunt, aut domicilium, aut servitium, aut victum acquirat. Quodsi aliquis adolescens villanus, præter istud decretum fugiens repertus fuerit: sive in Civitatibus & Oppidis, sive alibi ubicunque: ille, Domino loci illius, à quo fugit, sine Iuris strepitu restituatur sub pœnâ quatuordecim marcarum, & nihilominus illi, qui eum retinuerint, pœnâ toties, quoties secus fecerint solutâ, ad restitutionem sint astricti.

Filii Kmethonum, discendarum artium vel artificiorum gratiâ, ante duodecimum annum mittantur.

Prælati Petric. 1503. Folio 111. ITem: quòd Kmethonum filii, similiter non poterint de hæreditate, in qua parentes eorum morantur, sine scitu & consensu Domini sui, recedere: nisi qui discendarum literarum gratiâ, anno quocunque, ante duodecimum suæ ætatis annum, vel anno quocunq; ætatis, causâ artificiorum exire voluerint, qui etiam, Dominis suis requisitis, id facere debent. Et qui exiverint, Dominis nescientibus vel invitis: perdant sortem patrimonii sui: & deniq; restitui debent.

Eadem lex confirmatur.

Sigis. Crac. 1510. Fol. 9. STatutum, quod de filiis Kmethonum antehac conditum est, in robore relinquimus.

Statutum Ioannis Alberti Regis, de filiis Kmethonum dimittendis, ad futurum Conventum suspenditur.

Sigism: Bydgost: 1511. Folio 20.

ITem: moderationem Statuti, Sereniſſimi olim Domini Ioannis Alberti Regis, Fratris & prædeceſſoris noſtri, de filiis colonorum, de villis abſque conſenſu Dominorum & hæredum non dimittendis, quòd nonnullis Conſiliariis noſtris, parum æquum, & libertati communi contrarium videtur, ex juſta cauſa, de voluntate & conſilio Conſiliariorum noſtrorum, ad futurum Conventum generalem, ſuſpendimus.

De Filiabus Kmethonum in Matrimonium collocatis.

Sigiſ. Bydgoſtiæ 1511. Folio 20.

DE filiabus verò eorundem Kmethonum, ſeu colonorum, propter Matrimonia (quæ libera eſſe volumus) Statuimus. Quòd ſi quis non poſſeſſionatus duxerit filiam alicujus Kmethonis poſſeſſionati: apud illam in poſſeſſione manere debet, & ſimiliter impoſſeſſionatæ filiæ, apud poſſeſſionatos maritos remaneant, in Matrimonio collocatæ. Idem de viduis obſervandum decernimus.

Kmethones Hortulani, & eorum filii, à Dominis ſuis profugi capiantur per Capitaneos, aut Civile Officium.

Sigiſmundus Crac. 1532 A 3.

COnſulentes commoditati rei communis domeſticæ, Regni noſtri; (quæ plerùmq; fugitivorum colonorum, ſeu Kmethonum, vel filiorum eorum malitiâ, ita defraudatur: ut multi ſubditorum noſtrorum, ex defectu laborantium, & ſervitiorum, in laboribus neceſſariis negligantur) Statuimus & decernimus: Vt quicunq; colonus, ſeu Kmetho, Hortulanus, ſeu quivis alius ſubditus, ſeu filii eorum, invitô & inſciô Domino ſuô, in alienas Provincias fugientes ſe transferant, per Capitaneos & eorum vices gerentes, deniq; per Officiales Civitatum & Oppidorum, ad quæ devenerint, capiantur: & capti, operis ſervilibus adhibeantur tamdiu: donec Dominus detenti, vel detentorum, illos inventos repetîerit. Repetente enim Domino, ſubditum, & docente illum eſſe ſuum, Capitanei & eorum vices gerentes, vel Civitatum & Oppidorum Officiales, illum extradere debebunt irrecusè: receptis priùs ab eo, qui ſubditum ſuum repetîerit, duodecim groſſis, quos illi, pro opera & diligentia, in detinendô ſubditô, adhibita, ſolvendos eſſe decernimus.

Pro Kmethone fugitivo, in Iudicio Caſtrenſi procedatur.

Kaz. Iagell. in Nova Civitate 1451. Folio 88.

ITem volumus & Decernimus: ut cauſæ pro Kmethonibus fugitivis, in Iudicio Caſtrenſi, coram Capitaneis experiantur: ſicut illorum, qui recepti fuerint violenter.

Pro Kmethone fugitivo, deinceps coram Iudicio Terreſtri, aut poſitione Actorum, peremptoriè agatur.

Albert. Petric. 1496. Folio 98.

PRo fugitivis tamen, tametſi videatur ſatis ſupèrq; definitum in Statuto Magni Kazimiri: quod teneri decernimus: tamen quia non videtur quicquam deſcriptum eſſe; qualiter in citando procedendum eſſet, idcirco Statuimus: ut pro Kmethonibus fugientibus, à die data præſenti-

ſentium, in futurum citentur, qui citandi ſunt, ad Iudicia terrarum, in quibus Iudiciis Terreſtribus, in primo termino, tanquam peremptorio, comparere & reſpondere citati tenebuntur. Et ſi termini non celebrarentur tunc, cum terminus ipſe penderet partibus: nihilominus (non obſtante abſentia Iudicis, Subjudicis, & aliorum Dignitariorum, Officialiumq;, Iudiciis præſidere ſolitorum) Notarius & Camerarii, qui intereſſent poſitioni Libri, fugitivi Iudicium judicabunt, ſententiabuntque.

Profugi, in peremptorio termino repetuntur: terminus tamen vera infirmitate differri poteſt.

Albert. Petric. 1496. Folio 108.

ITem: licèt jam de Iudiciis Kmethonum, miſſis vel non miſſis, nonnihil definiverimus: tamen quia reſtat definiendum de fugitivis, idcirco decernimus & Statuimus: Quòd ſi kmetho cujuſpiam ſubditorum noſtrorum, Spiritualium & Secularium, fugæ mediô ſe transtulerit in bona alterius, ſive etiam noſtra: Nos per eum, aut ejus nomine, cujus kmetho erat, requiſiti exiſtentes, demandaturi ſumus Capitaneo, Burgrabio, aut Tenutario Noſtro, ad quemcunq; kmetho profugit, kmethonem reſtitui, Iure mediante, quod quidem miniſtrari volumus Polonicum; ſecundùm Statuta antiquiora: & ſub pœnis in eis ad id deſcriptis. Eô quòq; modô, ad ſecundùm idem Statutum, ſub pœniſq; illis, Statuti antiqui, quilibet Regni indigena, cujuſcunq; ſtatûs & conditionis exiſtat, profugum Kmethonem reſtituere teneatur, videlicet Iure Polonico locato: & ſecundùm illud, eum ipſum kmethonem repetenti, juſtitiam miniſtrando, ſine dilatione. Et ſi pro eodem profugo kmethone, citari contingat, quempiam Nobilem, aut alium ſubditum noſtrum, cujuſcunq; præeminentiæ, dignitatis, conditioniſque exiſtentem: citatus in primo termino, tanquam peremptorio, reſponſurus eſt, cui dilationis induciæ aliter concedi non debeant: niſi quis, ejus nomine, vera infirmitate expoſcente, eas concedi flagitaret. Cui etiam Legi atq; Iuri, Capitanei noſtri ſubjacebunt: ſic quòd Iure convicti, uti terrigenæ, pœnis in antiquis Statutis contentis, pro kmethone profugo, puniantur non mittendi à loco Iudicii, niſi priùs pro pœnis cautionem præſtiterint ſeu ſtatuerint ſufficientem. Si verò à Iudicio receſſerint, pœnis non fidejuſſis: decernimus, pœnâ majori noſtrâ quatuordecim marcarum, puniendos, ad cujus ſolutionem, Nos, illum compellemus, impendendam, ſimul cum kmethonis reſtitutione realiter faciendâ.

Pro Kmethonibus fugitivis, Spirituales Iure Terreſtri experiantur.

Alexander Radom 1506 Fol. 117.

SPirituales, pro bonis, ſeu injuriis bonorum, Iuri communi ſubjectorũ, Iure Terreſtri experiantur. Injuriæ ſunt: ſuper limitibus, kmethonibus fugitivis, cæde, & vulneribus: aliàs juxta Statutum Ioannis Alberti Regis.

Kmetho, ob bellum Prutenicum profugus, in Iudicio Caſtrenſi repetatur.

Sigism. Bydgoſt. 1520. Folio 26.

QVoniam æquitate Dei ſvadente, tenemur cujuslibet juſtitiæ, & indemnitati proſpicere: hujus Statuti decretô ſancimus: ut nemo audeat profugum kmethonem alicujus Eccleſiaſtici, ſeu etiam Nobilis, ſuſcipere: qui à Domino ſuo, ob præſentis belli, inflictam ſibi calamitatem, fugeret: ſed ſine ſtrepitu juris, quilibet teneatur, ad requiſitionem, ſuo Domino, ſive Eccleſiaſtico, ſive Seculari, ſponte reſtituere. Si verò requiſitus quiſpiam, talem kmethonem profugum reſtituere nollet: & ſe permiſerit, ad Iudicium Caſtrenſe trahi: in primo termino convictus, cum pœnâ, eundem reſtituere tenebitur. Et Iudicio Caſtrenſi licebit in primô terminô, pro hujuſmodi kmethonibus, juſtitiam facere: & quod juſtum eſt decernere. Quæ præſens Conſtitutio de kmethonibus fugitivis, duntaxat ad unius anni decurſum durabit.

Pro Kmethonibus fugitivis, in Iudicio Terreſtri, aut Caſtrenſi, arreſtatione illorum factâ, peremptoriè agatur.

Prælati Petric. 1523. Folio 39.

ITem: Pro kmethonibus fugitivis, non in villis hæreditariis, ſed in Terminis Terreſtribus ſeu Caſtrenſibus, juxta Statutum, cauſæ omnes judicentur: arreſtando ipſos profugos, Miniſteriali & Nobilibus, in bonis eorum: ad quos, domicilia ſua, Dominis ſuis invitis, tranſtulerint, juxta Conſvetudinem antea obſervatam.

Kmethones profugi, aut eorum filii, aut ſervitores cùm repetentur, ampliùs arreſtari non debent.

Sigiſ. Petr. 1538. A 6

STatuta de arreſtatione kmethonum, neminem ad ſui obſervationem, deinceps ſtringere debent: ſed antiquiora de repetendis fugitivis Kmethonibus ſine arreſtatione, in robore conſervamus, hoc idem Ius, ad filios colonorum, & famulos, ſeu ſervitores fugitivos, per Dominos, repetendos, extendimus.

Cùm Kmethonibus vetia accepta erunt, quis citandus, & ſimiliter ſi in Sylvis, Gajis, Borris, violenter damnum inferatur.

Conſvetudo.

QVando Nobilis, vel quiſcunq; alius receperit ſubditis & kmethonibus alterius, res aliquas, vel retia, aut aliqua inſtrumenta aquatica, in fluvio vel in aliis locis; pro quibus inter partes prædictas controverſia fuerit mota: non kmethones, pro tali violentiâ & injuriâ, ſed Domini eorum agere debent, quia actio hæreditaria eſt: quæ non competit kmethonibus. Et ſimiliter intelligendum eſt de aliis bonis, videlicet Sylvis, Gajis, Borris, mellificiis, limitum violatione, ſeu tranſgreſſione: & his ſimilibus, præſertim in confinio bonorum indislimitatorum poſitis.

Kmethonum ſteriliter decedentium bona.

Kazim. Magnus Vislic. Fol. 21.

ABuſiva conſvetudine noſcitur eſſe obſervatum: quòd cùm aliqui kmethones, ſeu ruſtici, vel alii Civiles homines, ablq; prole de hac luce decedunt, ipſorum omnia bona, mobilia & immobilia, nomine vulgari

gari *Puſtizná* dicta, Domini eorundem conſveverunt occupare. Unde nos, eandem conſvetudinẽ, ùt vero contrariam, & abſurdam reputantes Statuimus: Quòd de bonis eorundem decedentium (ſi tantùm reperiatur in eiſdem bonis) Calix, pro Marca cum media, Eccleſiæ Parochiali dandus comparetur, reliqua verò bona, ad proximos, conſanguineos & affines, ceſſante quolibet impedimento, devolvantur, prout æquitas & juſtitia ſvadent.

Kmetho pro debito Domini ſui non pignoretur.

Kaz. Magi Folio 39.

EX Iure Divino debet obſervari: quòd iniquitas unius, alteri non debet obeſſe. Hôc Statutô igitur ordinamus: Quòd pro pœnâ, obligatione, aut fidejuſſoria cautione militis aut ſuperioris, alteriuſq; cujuſcunque kmetho vel ſubditus non debet impignorari: vel quovis modo aſtringi; ſed ſi miles aut quivis alius, aliquo & quocunq; debito, aut obligatione, vel fidejuſſione ſit aſtrictus, & obligatus: ille de ſuis propriis bonis & rebus, (prout æquum eſt) ſolvat, & ſatisfaciat.

§ Vide & in Titulo: PIGNORATIO.

§ Si kmetho kmethonem occiderit? quâ pœnâ puniatur? Vide in Titulo: HOMICIDIUM.

§ Kmetho, Nobili ignobilitatem objicere non poteſt: niſi in certo caſu. Vide in Titulo: NOBILIS.

§ Kmethones pro ſuis debitis, in Civitate arreſtari non debent: Vide in Titulo: ARRESTATIO.

LEX X.

Lex donum Dei, ac Reipubl. anima.



Sigiſ. Crac. 1507. Fol. 1.

VIa omnis lex donum Dei eſt: huic omnes obedire oportet, utpote ſine qua, Reſpub., veluti corpus ſine anima, conſiſtere & regi nequeat.

Lex propter impares inventa.

Kazim. III. Petricoviæ 1447 Fol. 89

SIc æquitatis libra ſervabitur: ſi auxilium largimur imparibus: & metum legum, pro parvulis, inſolentibus imponemus.

Leges conduntur propter coercendam audaciam.

Kaz. Crac. 1368 Fol. 53

PRopter hoc conditur Statutum, ſeu Conſtitutio: ut humana coerceatur audacia: & inter improbos, innocentia, ſecuritate lætetur.

Vt honeſtè homines vivant, pœnæ legibus adduntur.

Kaz. Crac. 1538. Fol. 53

CVpientes, ut ſubditi noſtri, in Regno noſtro degentes, cujuſcunque ſtatûs & conditionis exiſtant, honeſtè vivant: alter alterum non lædat: & Ius ſuum, unicuiq; tribuatur: præterea de conſilio Venerabilis in

Christo Patris & Domini Iaroslai, S. Gnesnensis Ecclesiæ Archiepiscopi, nec non Prælatorum, Baronum, & universorum Nobilium nostrorum de terra Poloniæ, ad perpetuam rei memoriam Statuta edidimus infra scripta: volentes, ut ipsa Statuta, in prædicta terra Poloniæ, ab omnibus observentur, sicut nostram indignationem, & pœnas contentas in illis, volunt & cupiunt evitare. Requirit enim audacia plerùmque perversorum, ut non simus sola delictorum prohibitione contenti, sed etiam pœnam delinquentibus imponamus.

Leges conduntur in suffragium bonorum morum, & eventuum definitionem.

Ioannes Albert. Petric. 1496. Folio 96.

QVanquam tam olim genitor noster, quàm cæteri ex ordine, prædecessores nostri, consideratis moribus & consuetudinibus adolescentum, & hominum universorum, præsertim huic inclyto Regno subjectorum, quadam effrænata sensualitate ductorum, & ad malum declinantium, (per quod morum & justitiæ subversio, in populo frequenter obrepit) tam eas in præinserto Privilegio descriptas, quàm multas alias, in suffragiō bonorum morum, & in ministerium æquitatis communis, constitutiones fecerint: tamen quia Iurium quantæcunq; sanctiones, etiam propensiori congestæ consiliō, ad humanæ naturæ varietatem, machinationesq; inopinabiles, sæpenumero non sufficiunt: simul quoq; ad decisionem lucidam nodosæ ambiguitatis plerumq; contingentis, non attingunt: quandoquidem, ut constat è sacrorum Canonum decretis, & è vetustissimorum legum præceptis: quorum quarumq; additiones & declarationes fiunt novæ, vix aliquid adeo certum clarumq; constituitur: quin ex causis, passionibus, ac casibus emergentibus novis, quos Iura antea posita mederi non possunt, in dubiumq; revocetur.

Legibus Respub. ad Dei honorem, & ad diuturnitatem regatur.

Alexander Radom. 1505

PErpendimus: in Regno & dominiis nostris, ad Dei honorem, & ad felix diuturnumq; Regni nostri imperium, singula Iure optimo, per divos olim antecessores, eo avum, patruum, genitorem, & germanum, nostros, Reges Poloniæ, sic ordinata esse: ut Leges haberentur, Regni, per eos conditæ vetustissimæ: quibus universi Regnicolæ, & illud ipsum Regnum, in eventibus, & in omni administratione Divina & temporali, hactenus rectum esset prosperè.

Propter vitia comprimenda, mores corrigendos, & Iustitiam servandam, leges sunt necessariæ.

Sigis: Crac. Ex Privileg. 1507 Fol. 2.

CÆterùm, insistentes vestigiis, & exemplis prædecessorum nostrorū, consulentium variis temporum necessitatibus & mutationibus, per diversas sanctiones suas: ut vitia comprimantur: boni mores adaugeantur: & quod justum ac rectum, in toto Regno exerceatur: Decrevimus, de Prælatorum, Baronum, ac totius Consilii, & Nobilitatis nostræ consensu,

sensu, nonnulla Statuta nostra, perpetuis temporibus, ad communem omnium utilitatem & necessitatem duratura.

Leges viam calumniis præcludunt.

OMnis regula Iuris præcludit viam calumniis. *Kazimirius in Nieszowa 1454. Fol. 94*

Eorum casus, quæ frequenter, non quæ rarò acciáunt, legibus definiuntur.

DEcrevimus: dictorum Iudiciorum seu causarum, potissimùm in his, quæ frequenter accidunt, decidere & evellere varietatem. *Kaz. 1368. Folio 8.*

Leges pro ratione temporum variantur.

NOn debet sanè reprehensibile judicari: si secundùm varietatem temporum, Consuetudines, & Statuta humana, quandoq; varientur. præsertim cùm ingens necessitas, & evidens utilitas, hoc exposcit. *Kaz. Vislic. 1368. Folio 7.*

§ SIMILIS, Sed nec omnis lex omnibus una & commoda esse possit: quin necesse sit alia aliis statui: eaq; pro ratione temporum, & hominum, plerùmq; mutari, ac variari: rectè prædecessores nostri, Reges Poloniæ, suas quisq; leges & Constitutiones, prout res & locus exigebat, condere solebant, quæ jam pridem collecta, & in unum volumen redacta conspiciuntur. *Sigis. Crac. 1507. Folio 1.*

Idem Rex, leges alias moderat, alias innovat.

REvolventes certa, fœlicis memoriæ, Ioannis Alberti, & Alexandri, Regum, fratrum, & prædecessorum nostrorum Statuta, nonnihil in illis, communi Prælatorum, Baronum, & Nuntiorum Terrestrium consensu moderati sumus: quædam addidimus: & aliqua, quæ in usu non erant innovavimus: & præsenti decretô innovamus, & ratificamus, perpetuo duratura. *Sigismundus Crac. 1507 Folio 1.*

Diversitas legum periculosa est.

DIversitas Constitutionum, diversas, inter homines controversias generat: & diversos Iudices, causas judicantes, diversa intelligere & sentire cogit: Supplicationibus itaq; crebris, Nuntiorum Terrestrium moti, in proximo generali Conventu futuro, omnibus consvetudinibus, Iuribusque, & Statutis vetustis, ex omnibus Palatinatibus, congregatis, reformationem omnium Constitutionum, per deputatos & deputandos Iurisperitos Regni nostri, favente Deo aggrediemur. *Sigism: Epd. gost: 1520 Folio 25.*

Non solùm armis, sed etiam Legibus decet esse armatum.

QVemlibet hominem virumq; integrum, ex instituto quodam decet, non modò armorum fortitudine esse decoratum: sed etiam moribus & legibus armatum. *Kazim: Magnus 1388. Fol. 7.*

§ Reliqua de Legibus, seu Statutis, Vide in Titulo: STATUTA.

LEPVS.

Lepores in alieno fundo quando venandi?

Wladislaw Iagello Cracov. & Varta 1423. Folio 47.

Cùm autem, lepores venantes solent pauperibus hominibus, non modica inferre nocumenta, bona eorum & fruges conculcando: ea propter Statuendo inhibemus: Quòd à festo S. Adalberti, usq; ad congregationem omnium frugum hyemalium & æstivalium, de campis, in bonis alterius, absq; voluntate ejusdem, venari non præsumant, aliàs passo damnum, pro pœna tres marcas, talis noverit se incursurum.

LIBERTATES.

Libertas fundorum Nobilium

Ludov. Cassov. 1374. Folio 40.

IDeo ob merita, fideliaq; servitia facta, & voluntates universitatis ipsorum: quæ Nobis & nostris pueris utriusque sexûs, factô fideli omagiô præstiterunt: & in posterum, loco & tempore, fidelia servitia sunt parati (dante Domino) exhibere: eos speciali favore prosequendo, Civitates, castra, possessiones, oppida & villas, incolas villarum totius Regni Poloniæ, inhabitantes, ipsorum Baronum & Nobilium omnium, absolvimus, liberamus, & eximimus ab omnibus & singulis collectis, donationibus, sive tributis, tam generalibus quàm specialibus, quocunque nomine censeantur: & ab omnibus servitiis, laboribus, vexationibus, angariis, præangariis, in rebus & personis committendis, purè & simpliciter solutos & absolutos esse volumus, ac exemptos; tantùm duo grossi &c in festo Beati Martini Confessoris, in signum summi dominii, & recognitionem Coronæ Regni Poloniæ, exolvantur.

§ Vide hoc idem de Fumalibus.

Ab omnibus Contributionibus, Nobilitas libera.

Kazimir. in loco Campestri circa Choynice, 1455.

KAzimirus &c. Significamus tenore præsentium, quibus expedit, universis: Quomodo Magnifici, Generosi, & Nobiles terrarum nostrarum, Majoris Poloniæ, Siradiæ, Lanciciæ, & præsertim Cujaviæ, sincerè & gratè Nobis dilecti, Nobis subsidium Fertonum, spontè, & de bona ipsorum voluntate, non inviti, nec quocunq; per Nos coacti, sed ad petita nostræ Majestatis, & purè consideratâ nostrâ, & Regni nostri magnâ & arduâ necessitate, dederunt. Quam solutionem Fertonum, non de Iure, nec quovis alio modo, nisi (ùt præmittitur) spontaneam recipimus: & locò eorundem Fertonum, nobis datorum, promittimus verbô nostrô Regiô, à festo S. Martini Confessoris, & à data præsentium, post unum annum venientem, & sex annos continuè se sequentes, de terris prædictis, Exactiones Fumalium, seu *Porádlne*, aliàs *Kroleſtwo*, se non recipere: sed locò istorum Fertonum, Nobis taliter datorum, anno quolibet, de quolibet laneo, duos grossos defalcari, & excutere. Demum promittimus; tales Fertones, aut hujusmodi inconsvetas solutiones, ab ipsis expetitas aut datas, non in sequelam trahere: aut eorum Privilegiis, & munimentis, per hujusmodi solutionem in aliquo derogare: sed ipsas terras, & præsertim Cujaviæ, circa Iura, & munimenta, Privilegia, & ipsorum Iurium confirmationem, prædecessorum nostrorum, & nostra, ac antiquas & bonas consvetudines (prout in suis punctis, clausulis, ac articulis latiùs continentur) gratiosiùs conservare: Harum, quibus Sigillum nostrum est subappensum, testimoniô literarum. Datum in loco campestri exercituum nostrorum, circa Choynice, Feriâ sextâ ante omnium Sanctorum, Anno Domini. 1455.

Idem Rex, liberos Nobiles à tributis facit.

KAzimirus Dei gratiâ &c. Rex Poloniæ, Significamus tenore præsentium, quibus expedit, universis, tam præsentibus quàm futuris, præsentium notitiam habituris: Quomodo Magnifici, Generosi, & Nobiles, Dignitarii terrarum, incolæq; terræ nostræ Brzestensis, sincerè nobis dilecti, ad preces nostras, de ipsorumm, erè spontanea & libera voluntate, pensatô periculô, quod possit imminere terris nostris Cujaviæ, ex hostium nostrorum incursu & invasione, providentes & consulere volentes terrarum ipsarum Cujaviæ indemnitati, consenserunt ad Contributionem pecunialem: pro stipendiatorum, per Nos nunc susceptorum, conservatione in terris Cujaviæ, pro reprimendis hostibus ab invasione ipsarum terrarum, Promittimusque, quòd Contributio non debet in posterum venire in sequelam: neq; aliquam Contributionem, de prædictis Dignitariis & terrigenis nostris terræ Brzestensis, ipsis invitis & contradicentibus, exigere & extorquere deinceps volumus, & promittimus. In cujus rei testimonium, Sigillum nostrum præsentibus est subappensum. Datum in Kolo, Feriâ quartâ in Vigilia Conceptionis gloriosæ, Virginis Mariæ: Anno Domini 1463. Dominus Rex per se.

Ludovicus libertates omnium confirmat.

Ludovicus Cassoviæ 1374 Fol. 41

INsuper, omnes Barones, Magnates, Nobiles, Civitates, Oppida, Villas, possessiones eorundem, populum, Kmethones, in eorum libertatibus, pollicemur & spondemus conservare: nec eos, contra illas, intendimus aggravare: vel per quempiam faciemus aggravari.

Wladislaus Iagello, omnia quoq; Iura, & Privilegia confirmat.

Iagello in Iedlna 1433 Folio 51.

OMnia Iura, & ipsorum Privilegia, (quæ dudum circa coronationem nostram, & aliis postmodum momentis & temporibus, ipsis concessimus: vel quæ eis, alii Reges & Principes, veri hæredes Regni Poloniæ, prædecessores nostri, ab antiquis temporibus concesserunt) patrocinô præsentis Privilegii nostri, ratificamus, approbamus, renovamus, & confirmamus.

Idem Fol. 51

§ SIMILIS. Præterea promittimus, singulos articulos & clausulas, in Privilegiis, nullô vitiô falsitatis, depravatas, Sereniſſimorum Principum Dominorum, Kazimiri & Ludovici, ac omnium aliorum Regum, Ducum,

Ducum, ex vera ſucceſſione hæredum antiquorum *Regni* Poloniæ, Eccleſiis, terrigenis, & civitatibus, conceſſis, noſtrorum prædeceſſorum, contentas, præſertim commodum & profectum noſtrum, Regniq; Poloniæ ſæpe fati, & ipſius incolarum concernentes, firmiter & inviolabiliter obſervare, perpetuis temporibus, & tenere.

Idem Fol. 52 § SIMILIS. Item attendentes, quòd dicti Regni noſtri incolæ & inhabitatores, in favorem Noſtræ Majeſtatis, Privilegiis ipſis, per Nos & noſtros prædeceſſores conceſſis, quandoq; derogârunt: eadem ipſorum Privilegia noſtra, & prædeceſſorum noſtrorum, Regum, ac Ducum & hæredum legitimorum & verorum Regni Poloniæ, prædicti, ad ſtatum priorem reducimus, reintegramus, reſtauramus: ac præſentis ſcripti patrociniô confirmamus, ratificamus: & declaramus, ipſaq; robur obtinere perpetuæ firmitatis.

§ De libertate à Bello, Vide in Titulo: BELLUM

§ De libertate Fundorum, & tantùm de ſolutione duorum groſſorum, *Podymne*, Vide in Titulo: FUMALIA.

LIBER ACTORVM tam Caſtrenſium quàm Terreſtrium: Vide in Titulo: ACTORUM LIBRI.

LIMITES.

Rex neq; negabit, neq; differet dislimitationem bonorum.

Ex Privileg. Iagel. prope Czerwienſko Folio 48. ITem: nolumus amodo, nec debemus alicui petenti noſtram Majeſtatem, granicies limitum, ſeu granicierum hujuſmodi, cum bonis, villis, & hæreditatibus Noſtris diſtinctionem denegare, vel differre: dummodo per vim vel violentiam, non exigatur à Nobis.

§ Limites non ſecundùm literas, & ſigna in eis deſcripta, fiant, tamen de quibus, & qualibus literis id intelligendum ſit, Vide in Titulo: LITERÆ.

Limites bonorum, ſigna, teſtimonia ſenum, & alia poſſibilia indicia, faciunt.

Sigiſ. Petr. 1538. B 2 CÆterùm ad tollendas difficultates in faciendis limitibus, Statuimus: ut Commiſſarii noſtri, Deum ſolum præ oculis habentes, nulli partium faventes, conſpectis imprimis ſignis metalibus, & rei veritate diligenter inveſtigata, tam ex ſenum, etiam ſi opus fuerit, Iuratorum teſtimoniis, quàm aliis poſſibilibus indiciis, inter bona noſtra Regalia, & hæreditaria, pro arbitrio & conſcientia ſua, conſtituant.

Dum limites facti erunt, Capitanei injuriam ne faciant.

Sigiſm. Auguſt. Petr. 1550. A 4. NE etiam ampliùs in diſceptationem revocetur: quod ſemel per Cõmiſſarios noſtros, ad dislimitandum bona noſtra Regalia & Nobilium, datos, definitur: Statuimus: ut poſt dislimitationem bonorum noſtrorum *Regalium*, & Nobilium, injurias Capitanei noſtri, aut Officiales, in fundis Nobilium non faciant, ſed & ſubditi noſtri, talibus fundis ablimitatis, neq; apiſteriis, neq; ulla ratione, uti debent. § Si

§ Si ratione limitum injuria inferatur à Capitaneis: quo Iure ſint Capitanei conveniendi? Vide in Titulo: BONA REGALIA.

Ad limites ſciendos, Rex Commiſſarios det.

PRæterea pollicemur: quòd omnibus petentibus à nobis limitationem, ſeu diſtinctionem limitum inter bona menſæ noſtræ *Regalis*, & bona petentium, conſentiemus: & dabimus duos Dignitarios, ſeu Officiales, & Succamerarium, qui nomine Noſtro, poteſtatem habebunt, limites faciendi. *Kazimirus in Nieſzowâ Folio 93.*

§ Reliqua de limitibus inter bona Regalia. Vide in Titulo: COMMISSARII & BONA REGALIA.

§ In limitibus faciendis, terminus per Succamerarium tranſponi non debet. Vide in Titulo: SUCCAMERARIUS

§ Succamerarius quid ſpectare debeat in limitibus faciendis, omnẽque rationem limitandi. Vide in Titulo: SUCCAMERARIUS.

LIS PENDENS.

Lite pendente, concordiam tentantes, à pœnis quibuſvis abſolvuntur.

ITem: ſi qui terrigenæ, aut quivis alii incolæ Regni Poloniæ, prædicti, pendente lite in Iudiciis, pro quibuſcunq; cauſis, concordare voluerint: à pœnis Noſtris, ac Iudicum, & Subjudicum, Palatinorum & Caſtellanorum, eoſdem liberos facimus & ſolutos. *Ex Privileg. Iagellon. Folio 52.*

LITERÆ.

Si falſitas literis Iudiciis objiciatur.

UT deinceps calumniantium iniquitas, & perjuriorum licentia refrænetur, & cohibeatur, Statuendum duximus, & ſtatuimus præſentibus: Vt qui in Iudicio, literas, parti ejus adverſæ de falſitate ſuſpectas producit, parte contendente & poſtulante, Actis Iudicialibus Terreſtribus, illas comprobare teneatur. Ad quæ Acta, cùm producens literas, ſe retulerit, ac remitti poſtulaverit: dari illi debet dilatio, ad primos terminos Terreſtres, actionem introductam immediatè conſequentem, in quibus ſi docuerit: literas ſuas eſſe in Actis: comprobare illas, aliis modis probationum, non teneatur. Cùm autem producens literas, Actis Terreſtribus probare illas non ſufficeret: in hoc caſu, nominare ibidem is ipſe producens teneatur, decem & octo teſtes, Nobiles Poſſeſſionatos, bonæ integræq; fidei & famæ viros, ex quibus, per eum, qui ſuſpectas de falſitate aſſerit eſſe literas, viri ſex deligentur: qui ſimul cum ipſo, ejuſmodi ſuſpectas literas, Iurejurando, illas non eſſe falſas, ſed legitimè ex Actis Iudicialibus emanatas, comprobare debebunt. Si verò producens literas, Actis illas veras & legitimas eſſe probaverit: ille tum demum, qui temerè falſitatem, literis objecit, quatuordecim Marcarum pecuniæ communis pœnâ, parti applicandâ puniatur: & ultra hoc, in tri- *Sigiſmundus Crac. 1523 A 3*

bus Marcis pecuniæ, Iudicio ibidem ſtatim ſolvendis, condemnetur. Vbi verò Acta, & libri Iudiciorum non extarent: ſive incendiô abſumpti: ſeu vi ac injuriâ hoſtili, vel quocunque alio fortuito caſu perditi: ſatis eſſe cenſemus: ut in eo caſu, literas de falſo ſuſpectas probet quiſque & purget ſecundùm conſvetudinem antiquam: hoc eſt, ſuô, & duorum teſtium Nobilium poſſeſſionatorum, bonæ & non inculpatæ famæ, coporali Iuramentô.

Literæ, niſi ex Actis aliis, in Acta Terreſtria non inſcribantur.

Sigiſ. Petr. 1539. MVltas & magnas ſæpe fraudes admitti cognoſcimus: dum quidam adulteratas literas proferentes, ut hæ in Libros Terreſtres inſcriberentur, obtinuerant, quæ ſimul atq; inſcriptæ fuerant, exemplar ſibi periiſſe fingentes, exemplum, ex Actis Terreſtribus dari poſtulaverunt: atque eô, tanquam robur & authoritatem habente, intrepidè utebantur. Quare fraudi huic & calliditati obviam venire volentes, Statuimus hac lege noſtrâ, deq; Senatorum & Conſiliariorum noſtrorum ſententiâ: Vt nullæ deinceps literæ, in Libros Terreſtres inſcribantur: niſi quæ in aliis Libris Terreſtribus, inſcriptæ eſſe probari poſſint. Si enim quas inſcribi quis cupit, quæ quidem alibi inſcriptæ non reperiantur: eas inſcribi vetamus. Quodſi contra hanc Conſtitutionem, inſcriptæ fuerint: ejuſmodi literas, nullum pondus habere volumus. Cæterùm quæ literæ alicujus inſcriptionis, ex libris Terreſtribus deſcriptæ ſint, ut non niſi acceptæ literæ (ut fieri ſolet) originaliter factæ, in Iudiciis fidem faciant, decernimus.

Literas Caſtrenſes, Capitanei vel eorum Iudices ſubſcribant.

Sigiſm. Petric. 1532. A 3. ADobviandum verò, futuris falſitatibus, volumus & Decernimus: Vt Notarii Terreſtres, omnes literas Terreſtres Iudicii manibus propriis ſubſcribant, literas verò Caſtrenſes ſubſcribant vel ſoli Capitanei, vel eorum Iudices Caſtrenſes.

Qui literas ſuper bona Regalia, amiſerit.

Alexander Petricoviæ 1504 Fol. 115. QVi literas ad bona Regalia, amiſſas diceret: & de amiſſis infra annum à perditione literarum, computandum, evidens ac legitimum teſtimonium, ſeu proteſtationem non fecerit: (quam proteſtationem coram Capitaneo, & Palatino ſuæ terræ faciat) ille, annô poſt amiſſas literas decurſô, non obtinebit renovationem: neq; probationis viam habiturus eſt perpetuò. Probationem verò amiſſarum literarum faciet coram Regia Majeſtate.

Nobilitas ad repetendas literas ſuper bona hæreditaria, non cogitur, niſi omnia bona Regalia eſſe appareant.

Sigiſ. Crat. 1532. B 2. QVerelâ ſubditorum noſtrorum permoti, qui ſe plerùmque gravari ſentiunt: cùm per bonorum Regalium Tenutarios, ſeu Capitaneos, ad exhi-

ad exhibendum literas ſuper bona eorum hæreditaria, & perpetuâ illorum proprietate, eo prætextu, tanquam bona ipſa Regalia eſſent, adiguntur) Decernimus & Statuimus: Vt nemo Capitaneorum, ſeu Tenutariorum noſtrorum, aliquem ex Regni noſtri incolis, ad exhibendum hujuſmodi literas, compellere audeat, niſi ipſe Capitaneus, ſeu Tenutarius, Iudicium certum, vel literas quaſcunq; habuerit: ex quibus, bona illa eſſe noſtra Regalia, & non hæreditaria, conjicere poſſit. In tali enim caſu, poſſeſſor bonorum illorum, ſuper ſuâ proprietate, literas exhibere, & producere teneatur.

Nobilitas non reponet Privilegia ſuper bona: niſi doceretur, omnino Regalia eſſe, alioqui res perplexa & antiqua, ad Conventum remittatur.

Sigiſ. Petr. 1538. B 4. AD literas & Privilegia reponenda, ſuper bonis, quæ hæreditaria putata ſunt, nemo cogi debet, aut poterit: niſi in cauſis manifeſtis, & claris: quando ſcilicet doceretur ſufficienter, Regalia bona omnino eſſe, ubi verò res eſſet nimiùm antiqua, perplexa, & dubia: tum negotium tale & cauſam, non alibi, quàm in Conventu Regni generali, cùm Conſiliariis noſtris judicabimus.

Quæ ſunt literæ contra Ius Regni.

Alexander Petr. 1519. Fol. 113. LIteræ autem Iuri contrariæ intelligantur: inhibitiones ad Iudicia, quæ emanant abſque neceſſitate Reipubl., item Commiſſiones inter perſonas: niſi granicierum diviſionis, vel de conſenſu partium eſſent, item liberationes ab expeditione bellica.

Non ſecundùm literas, & ſigna in eis deſcripta, ſed juxta teſtimonia ſenum, limites faciendi.

Sigiſ. Petr. 1519. Fol. 22. QVia multæ literæ & Privilegia reperiri ſolent, partim abuſa, partim etiam incerta: Statutum Sereniſſimi olim Domini Regis Alberti, renovamus: Vt videlicet limitationes bonorum fiant, non ſecundùm literas & ſigna, in eis deſcripta, ad inſtantiam petentium, & re oculis non ſubjecta: & ſed juxta ſenum teſtimonia, præſertim cùm illius Majeſtas, tam benignam, & liberalem Conſtitutionem fecerit: ut cognitionem & diſtinctionem bonorum noſtrorum, Dignitariis, & Officialibus Regni, ſubditis noſtris commiteret.

De quibus, & qualibus literis, hoc Statutum intelligendum.

Sigiſ. Crat. 1532. B 1. DEclaramus Statutum de limitibus bonorum, non ſecundùm literas & ſigna in eis deſcripta, ſed ſecundùm ſenum teſtimonia, faciendis, Statuimus: intelligi debere, tum demùm literariam probationem, in limitatione bonorum non procedere: cùm literæ antiquatæ, ſeu datæ, ac emanatæ, re oculis non ſubjecta, vel etiam in abuſum redactæ, aut incertæ comperientur. Cùm verò literæ commiſſariorum noſtrorum, ſi-

gna metalia, & limitationem bonorum noſtrorum, cum bonis Nobilium vicinorum, in ſe continentes, per nos confirmatæ: vel literæ, ſub titulo & ſigillo Succamerarii, vel Iudicii terreſtris, limitationem bonorum utriq; hæreditariorum ſubditorum noſtrorum, in ſe continentes, fuerint coram Nobis, vel aliàs ubilibet in Iudiciis productæ: literis hujuſmodi fidem indubiam adhibendam fore, & limitationem bonorum, tam noſtrorum, quàm hæreditariorum, juxta illarum continentiam, firmam eſſe & validam decernimus.

Literæ qualiter interpretandæ.

Sigiſ. Crac. 1538. C 1. PRivilegia publica & privata, non debent interpretatione aliqua, in alium, quàm ſonant, ſenſum verti: ſed ita, ut in ſuis tenoribus ſcripta ſunt, & non aliter intelligi debent.

Literæ commiſſariorum, ſuper limitatione datæ, confirmatione non egent.

Sigiſ. Petr. 1538. B 2 PEtitionibus ſubditorum noſtrorum, inducti Permittimus: Vt in arbitrio ſit ſubditorum noſtrorum petere, & obtinere à Nobis confirmationem: ſuper literis limitum editis, à quinq; Commiſſariis per Nos, ſecundùm Statuti tenorem, deputatis. Quæ quidem literæ, quibus Commiſſio & Mandatum noſtrum fuerit inſertum, & Sigilla Commiſſariorum appoſita, authoritatem & robur perpetuum obtinere debebunt, etiamſi nulla deſuper interveniat confirmatio noſtra.

Literas limitum, liberum eſt, in librum Cancellariæ inducere.

Ibidem. LIberum erit unicuique, literas Commiſſariorum ſuper limitibus, ad libros Cancellariæ noſtræ inducere. Quas quidem, caſu vel neceſſitate poſtulante, Cancellarii noſtri, ſine ulla difficultate, ſicut inſcribere: ita etiam deſcribere, & literas petentibus, ejuſdem tenoris, ſub Sigillô noſtrô, unâ tantùm Sexagenâ pecuniæ, pro eis acceptâ, ſine ullâ difficultate dare debebunt, & tenebuntur.

Qui non habent, aut amittunt literas, ſuper Telonia diu poſſeſſa.

Sigiſ. Petr. 1519. Fol. 24 NOn habentes literas, aut illas amittentes, ſuper Telonia, longô tempore poſſeſſa, quærent in ea re, gratiam Noſtram, & ſucceſſorum noſtrorum.

Literæ Vectigalium revideantur: & iniquæ abrogentur.

Sigiſmundus Crac. 1539 QVoniam ita multa ſunt vectigalium, ſive teloniorum genera, per quoſvis inſtituta; ut his perſolvendis, graviter ſe noſtri homines premi querantur. Reliquum vide in Titul: TELONIUM. & de qualibus literis, ſit hoc intelligendum.

D:

De literis, ex libris Terreſtribus extractis.

AD præcludendam viam dolis, in detrimentum hominum excogitatis, Decernimus: Vt literæ ad libros Terreſtres inſcriptæ, & poſtea ex libris denuo deſcriptæ, non aliter in Iudiciis fidem faciant, niſi cum originales fuerint productæ. *Sigiſ. Petr. 1538. B 3*

§ Literæ, in exemptione bonorum Regalium, quomodo interpretandæ: an generaliter, vel ſpecificè: Vide in Titulo: BONA REGALIA.

§ Super literas, Iudæi, pecunias ne dent. Vide in Titulo: IUDÆI.

§ Literis Cancellariæ, ſuper proprietate, nihil probari poteſt. Vide in Titulo: CANCELLARIA.

§ De literis Reſtium, bellô præmittendis. Vide in Titulo: BELLUM

§ Quantum à literis extractis ſolvendum? Vide in Titulo: SALARIA

§ Qui literas ex libris Cancellariæ amiſerint, iis Cancellarii, novas extradant. Vide in Titulo: CANCELLARIA.

LVDVS TAXILLORVM.

UT noxius ludus taxillorum abjiciatur (per quem ſæpius, juſti Patres propter filiorum exceſſum, de bonis ſuis pelluntur: & abſq; ipſorum commeritis, ad nimiam deducuntur paupertatem) Statuimus: Vt ſi filius quiſquam, utriſq; Parentibus vivis & ſanis, ludô amiſerit aliquam pecuniæ quantitatem: prædicti ludentis parentes non tenebuntur, ipſi victori, pro ſuis filiis, vel filio, ad pecuniæ perluſæ ſatisfactionem. Idemq; dicimus de Iudæis: ſi mutuarent pecuniam, tali filio, ſuperſtitibus dicti filii parentibus & ſanis. Quòd videlicet ejus parentes non teneantur de mutuo: nec aliquo modo compelli debeant, nec poſſunt. Sic etiam dicimus de omni contractu inito, cum filiofamilias: quòd non valet: cùm ſit in paterna poteſtate conſtitutus: (juveturq; Senatuſconſulto Macedoniano) propter quod, non habet alicujus rei dominium, vel aliquam poſſeſſionis traditionem. *Kaz. Viſlic. 1368 Folio 25.*

Neque luſor, neq; fidejuſſor ejus, obligantur.

AD præcludendam luſoribus taxillorum, malitiæ ſubtilitatem: qui conſveverunt cum inebriatis, aut ad iracundiam provocatis & deductis, novam, taxillorum ludi formam adinvenientes, ſuper credito, aut obligandis rebus, etiam & impignorandis quibuſvis pecuniis, equis, bonis & hæreditatibus, ludere: eoſq; ſibi debitores taliter facere: ſpoliare bonis, & malitioſè amovere: qui tandem ſic ludis exuti, & ad inopiam deducti, ùt plurimum ad vitia deteriora labuntur: propter quæ, ultio Iudicialis, juxta ipſorum commerita, à Nobis conſvevit in talibus exerceri. Quare ob hoc malum evitandum (quòd præſertim noſtri Nobiles, rebus abundantes, ſtrenuitati dediti, pro defenſione Regni, fortiùs pervigilent) Decermimus: Quòd deinceps nullus terrigena noſter, cum alienigena, cujuſcunq; ſtatûs & conditionis exiſtat, in Regno noſtro ludat taxillos, *Kaz. Viſlic. 1368. Folio 25.*

ad præstan, aut creditum, seu credentiam: sed tantummodo pro pecunia parata. Quodsi quispiam contra hoc Statutum, venerit temerariè: ipso Iure non valeat creditum: nec ad aliquam solutionem, seu satisfactionem, victus victori tenebitur: nec fidejussor datus, ab ipso vincente poterit pro debito conveniri. Si quis verò contraveniens Statuto, proque pecuniâ sic creditâ acriter monuerit suum debitorem, cum verbis turpibus, vel ejus fidejussorem: quotiescunq; maledixerit, & improperaverit pro debito præhibato: toties illi, pro sua verecundia, pœnam *Piatnadzieszá* solvet: & nostro Iudicio nihilominus, aliam similem pœnam, pro inobedientia assignabit.

Si filius ludit, ac perdit aliquid: & de honestis ludendi causis.

Kaz. Vislic. 1368 Fol. 28 Filius nondum emancipatus, in paterna constitutus potestate, nec à fratribus divisus ac separatus, si globisando, vel tesseriśando, aut quemlibet alium ludum damnosum ludendo, aut alia exercendo, aliquid perdiderit: talia omnia & singula, per ipsum deperdita, Volumus & Decernimus: quòd in ipsius partem seu sortem computentur. Nihilominus tamen decernentes: quòd sive in taxillis, aut Szachis, vel quibuscunq; aliis ludis lucrosis, ipsis ludentibus pro pecuniis, equos, aut alias res lucratas, seu in hujusmodi ludis acquisitas, mutuos fidejussores interposuerit; monendi, requirendi, petendi, seu vendicandi (non obstante qualibet fidejussoria cautione, seu obligatione) penitus nullum Ius, ex prædictis ludis, sit acquisitum, sed duntaxat quosliber ludos habere concedimus & volumus, gratiâ temporis deducendi, & causâ solatii & exercitii habendi.

MARESCHALCVS.

Mareschalcatus, Cancellariatus, Vicecancellariatus, de quibuscunq; terris, hominibus dandi.

Kazim. III. in Nieszowa & Opoki 1454 Fol. 93 Item pollicemur: quòd Cancellariatum, Vicecancellariatum, Mareschalcatum, & alia Officia Curiæ, distribuemus indistinctè, viris idoneis: sive fuerint de terris Majoris Poloniæ, sive Cracoviæ.

De Officiis Mareschalcorum Regni, & Curiæ.

Alexander Petricoviæ 1504 Fol. 112. Officia Regni & Curiæ, & præsertim Mareschalcorum, hactenus tenta erant de consvetudine quadam. Licèt enim quilibet eorum, suum singulare sciat onus, ac debitum: tamen quia vel propter concurrentes in uno duos Officiales, vel quia descriptum non fuerat, quid eorum quilibet attentare debeat, committebantur errores, & negligentiæ, in his, quæ Officialibus illis videnda, agendaq; incumbunt: ac inter eos ipsos, dissensiones mutuæ. Quapropter rationabiliter censendum est: Quòd officium Mareschalci Regni, & officium Mareschalci Curiæ, sive uter-

ve uterque, sive alter eorum esset in Curia, debet esse omnium ceremoniarum, & Curien: Magister. Quorum & utriusq; istorum, hoc erit officium. Vt Curien: conscribant, solvant, registra teneant: & sciant diligentes & negligentes, malos & bonos: & non obsequentes, non sinant in Curia foveri: sed permoneant, ut tales à Curiæ servitio alienentur: semper hospites & Consiliarios Regni excipiant: & attendant, ut debitus cuiq; honor, ex parte Majestatis Regiæ, juxta meritum personæ, impendatur: utque scandala & excessus, aut moderentur, aut eliminent, aut emendent, animadversione juxta meritum aut demeritum adhibitâ: sicq; omnia constituant, provideant, & dirigant: tam in aula, curiis, domibus, cameris & mensis Regiis: quàm aliis Officiis, & Officialibus, ad Equestrem Ordinem Majestatis Regiæ, pertinentibus, ad quod tribuitur ei potestas plena, instituendi, destituendi, & omnia cum meliori conditione, ac cum consensu & authoritate Majestatis Regiæ faciendi. Et licèt Mareschalcus Regni, eam authoritatem habere consveverit: Vt eo præsente, Mareschalcus Curiæ, de nulla administratione incumbentis officii se intromittat: tamen quia Mareschalcus Regni sæpiùs abesse consvevit à Curia: Vt igitur absente eo, sciret Mareschalcus Curiæ prosequi, aut exequi id, quod bono ordine per Mareschalcum Regni, rectum erat in Curia: Constituimus: quòd ista officia, haud invicè debito officii indifferentia, sic videlicet: Quoties Mareschalcus Regni esset in Curia: semper ad omne officii exercitium, & actionem, vocare debet Mareschalcum Curiæ, eo sciente omnia facturus, Mareschalcatûs officio incumbentia. Recedens verò è Curia, tradet registra, & administrationem officii, Mareschalco Curiæ, in quo, Mareschalco Regni, authoritas summa sit ad omnia suprà scripta: eo verò absente, in persona minoris, sit eadem, nec minor authoritas: quàm eam Regni Mareschalcus, in Curia personaliter existens, habere consvevit. Cui quidem Mareschalco, Magistratum Curiæ dirigenti, & in eo personaliter existenti, ratione administrationis sui officii, ascribitur perceptio Foralium: & authoritas imponendi pretii rerum venalium, ad necessitatem Curiæ importatarum. Ea autem Foralia percipiat moderatiùs,, quàm facere consvevit: & non aliter, quàm communi Iure, & consvetudine, in Civitatibus, & Oppidis illis, ad quæ ventum esset, percipi consveverunt. De ferro tamen campestri reservatur hæc facultas, ad Campiductorem Generalem, ut communi consilio, pretium rebus tribueretur: & tam domi, quàm foris agente Rege, quicquid vel Mareschalcus, vel Campiductor, ad pretia rerum, aut communem ordinationem servandam, constituet, debebit Constitutionem per publicationem intimare. Si verò Mareschalcus, in pretio rerum & Foralium, excederet modum: habeant facultatem Consiliarii, in Curia præsentes, illud moderandi, sibi quoq; præcipiendi, quibus si Mareschalcus parere noluerit: extunc tanquam inobediens, ad communem authoritatem consilii generalis proximè futuram, deferatur.

MATERNALIA BONA, QVANDO A FILIIS REPETUNTUR.

Pueri orbati matre, bona materna à patre non repetant.

Kazimi Magnus Vislic. Folio 26.

EX communi usu, in Regno nostro extitit observatum. Quòd moriente matre, pueri omnium bonorum à patre ipsorum tollunt medietatem, pro portione & hæreditate materna, propter quod sæpe ipsi filii, in teneris annis existentes, rebusq; suis consulere non valentes, sic receptam hæreditatem inutiliter consumere, expendere, & dissipare consveverunt, patri denique, de pietate, & beneficiis, ingratitudinem exhibentibus, impellunt plerùmq; etiam eundem vergere ad inopiam: sicq; vicissim sentiunt incommoda, & jacturas. Quare æquum visum extitit nobis & nostræ militiæ: ut matre moriente, filii non petant bonorum, & hæreditatis maternæ devolutæ portionem, & successionem, à patre: donec ad secundas nuptias convolabit, nisi tunc, velut famæ suæ prodigus, bona, & hæreditates illas communes, indebitè dissiparet.

De pueris matre orbatis habentibus patrem, & bona maternalia.

Wladislaus Iagello Cracov. & Varie Folio 43.

IN quadam Constitutione, nostri prædecessoris decretum extitit, videlicet in Capitulo: Ex communi usu &c. Quòd moriente matre puerorum, patrem cum alia contrahere volente, pueri petere valeant portionem maternam, & ideo considerantes in eadem Constitutione: quòd propter ingratitudinem patri factam per filios: & depressionem statûs sui: quem à filiis nonnunquam, in tanta partis bonorum receptione & privatione, patiebatur: & quia multoties filii ad inopiam vergentes, ad patrem convolabant, & recurrebant: qui superiora advertens, eisdem succurrere non curabat, nec volebat: unde inter utramque partem, rancor & displicentia oriebatur: Quibus incommodis obviare cupientes, nunc Statuimus: Quòd pater habens filios, dum post mortem genitricis eorum, ad secundas nuptias convolaverit, non tenebitur (nisi forte velit sponte) prædictis filiis suis portionem hæreditariam assignare: (dummodo dissipator bonorum non existat) sed usq; ad mortem suam, in bonis hæreditariis quibuscunq; dominari & manere valebit, & poterit, assignatâ duntaxat prædictis filiis suis portione: quam post matrem ipsorum, ratione dotis, seu nuptiarum tulit, & recepit.

De pueris, ex duabus uxoribus, procreatis dotandis, vel per patrem dividendis.

Wladislaus Iagel. Cracov. & Varie, Folio 43

DEclarantes statuimus: Quòd si contigerit patrem, cum secunda uxore filios non habere, sed filias: & cum prima habuerit filios: extunc patre mortuo puerorum prædictorum, pars aliqua secundæ uxoris filios non continget: sed filii, sive filius primæ uxoris, superstites sorores suas, juxta consvetudinem terræ, maritabunt: assignata ipsis, in pecuniis dote competenti, bonis maternis duntaxat exceptis: Si ipsæ prædictæ sorores

sorores habuerint, quæ pro ipsis debent remanere. Cùm verò pueri primæ uxoris, portionem suam æqualem, à patre eis sponte ex divisione perpetua oblatam obtinuerint: tunc portio secundæ uxoris, filiis aut filiabus ejusdem, cedere debet integraliter.

MAZOVIA.

Iudicio Assessorum, unus aut duo Consiliarii Officialesve ex Mazovia adjungantur.

ET ne Constitutionibus, & Consvetudinibus Ducatûs præfati nostri, Mazoviæ, in aliquo derogetur, in Conventibus præcipuè generalibus Regni nostri: ubi causæ per appellationes, ad Iudicium nostrum devolvi solent: Pollicemur: Quòd ad Iudices, quos judicandis causis, in Conventu Regni, deputaverimus, unum aut duos ex Consiliariis nostris, aut Officialibus Ducatûs illius, adjungemus Iudices: qui Constitutionum, & consvetudinum Ducatûs, periti fuerint.

Ratio æqua Mazoviorum haberi non potest, atque Polonorum.

NVntii ex terris Mazoviæ, cùm multa à nobis postularent, quæ concedi solent per Nos, aliis subditis nostris, Regnum incolentibus, & Statutis cõmunibus fruentibus, à Nobis hoc responsum tulerunt: Quòd dum essent Iure & consvetudine, ab aliis Regni nostri subditis sejuncti, non in omnibus, eorum eadem ratio haberi possit: quæ habetur subditorum Regni; sed si aliquando Iuribus, & Consvetudinibus se coæquare, Regni nostri subditis voluerint: (quod in eorum arbitrio est positum) tum eorum ratio, æqualis cum aliis est futura. Interim autem in eorum moribus, Iuribus, Privilegiis, & Consvetudinibus, Privilegiô nostrô confirmatis, conservabimus. Sigis. 1540

Causæ, ex Ducatu Mazoviæ ad Comitia devolutæ, Iure ipsius Ducatûs judicabuntur.

CAusæ omnes Nobilium, & quorumvis subditorum nostrorum Ducatûs Mazoviæ, ad nostram Majestatem, & Conventum Regni, per Appellationes, & quovis alio modo devolutæ, judicari non debent alio Iure, & modo: solùm Consvetudinibus, & Iure ipsius Ducatûs: quibus omnes subditi, in eodem Ducatu, ab antiquo gaudent, & judicantur: Appellationesque hujusmodi teneri & servari debent juxta veterem Consvetudinem, in terris Mazoviæ semper servari solitam.

MENDICI.

Mendici sub certo numero, in Civitatibus & villis habeantur: & sub signis Consulum in Civitate, aut Plebanorum in villis mendicent, alioquin, in manus Capitanei, vel Dominorum tradantur.

ITem: cùm viderentur, in hoc inclyto Regno nostro, mendicantes laici & fæminæ in tanta multitudine esse: ut dari non possit Regnum Ioan. Albert. Folio 103.

(judicio eorum, qui multas orbis partes peragrârunt) frequentiam continens mendicantium tantam: inter quos, plures constat laicos & fœminas, bonarum virium esse: posseq; competenter manuum labore victum quærere: dummodo illos & illas, lex super id stringeret, non voluntas: per quam (seu ut verius loquamur) desidiam quandam, ut primùm in eis barbæ à mento dependerent, & cani viderentur pili, postpositis domiciliis, in eleemosynarum suffragiis ac impetrationibus, residuum vitæ ponunt: scandala nonnunquam committentes: nonnunquam verò, ubi prece non impetrant, dolis obtinent. Quapropter, instar legum optimarum municipalium, in pleriſq; Christianis dominiis sancitarum, Statuimus: Vt in Civitatibus, & Oppidis, & villis Regni nostri, non plures mendici habeantur: quàm quot, communitates & domini locorum decernant habendos. Quibus in locis, civitatibus, & oppidis, Consulatus pro tempore existens: in villis verò, Plebani, sub quorum Parochiis villæ consistunt, & locorum domini, signa imponant, sub illis, ad designandum numerum eorum, quos habendos duxerint mendicaturos. Qui verò absque signis reperientur, Decernimus: ad servitia capiendos, aut in manus Capitaneorum nostrorum tradendos, à quibus illos, pro laboribus castrorum nostrorum, Turcis & Tartaris commetaneorum, fossatarumque, successivè recepturi sumus. Poterint tamen & valeant domini locorum, his, quos emeritos, ac ad nulla Iuris officia valentes cognoverint, suas ad peregrinandum, illis testimoniales literas concedere, sub quarum immunitate, etiam signa non habentes admitti debeant ubique, eleemosynas petituri.

MENSVRA.

Mensura & pretia constituta, ut à Mercatoribus serventur, Palatini cum Capitaneis providebunt.

Sigis. Petr. 1511. Fol. 17 ITem: ne subditi nostri, à Mercatoribus & artificibus, nimiùm graventur, Statuimus: Vt mensura antiquitus constituta, à Mercatoribus servetur: nec eam aliquis audeat facere breviorem. contrarium facientes, à Palatinis & Capitaneis, juxta Statutum puniantur. Et similiter fiat de pretiis rerum: ut illa Palatini constituant: & transgredientes puniant.

§. Ne emptores, à Mercatoribus fallantur, Palatini providebunt. Vide in Titulo, PALATINUS.

MERCATORES SEV MERCES.

Mercatores, debita in registris annotata, à Nobilibus, ante triennium petant.

Sigismundus Crac. 1540 STatutum de registris Mercatorum, illorum juramentô cum testibus, firmandis, in robore, conservato: hôc adjectô, ut Mercatores ipsi, debita in registris eorum scripta, à Nobilibus, intra trium annorum decursum, repetant, alioquin, lapsô trienniô, debitum hujusmodi repeti non poterit

poterit à Nobili, juxta illius Statuti dispositionem: obstante triennali præscriptione: verùm Iure communi, Reum in foro suo convenire debebit. Hoc autem duntaxat intelligitur: ubi Mercatori, cum Nobili esset actio. Mercatores enim inter se, veterem suam retineant observantiam, in solvendis & repetendis eorum debitis:

Mercatores & Artifices, res necessarias afferant, & faciant.

Sigism. Petr. 1523. Folio 28. MErcatores, Artifices, & alii, rebus ad usum humanum necessariis mercantur.

Mercatores Regni si extra Regnum proficiscantur: jurabunt non esse suas merces, quas vexerint.

Sigis. Cras. 1540. ET quoniam pleriq; Mercatores, subditi nostri, ad pendendam Constitutionem, seu edictum, de non evehendis extra Regnum, ac non invehendis in Regnum mercibus, editum, variis ingeniis uti consueverunt: prætendentes: res & merces hujusmodi esse proprias Mercatorũ in Vngaria, Silesia, & aliis Regni confiniis agentium: per illos, seu illorum Notarios, & factores, in Regno emptas esse: cùm tamen plerùmq; deprehenduntur, esse propriæ subditorum nostrorum: quorum operâ & impensâ, ex Regno evehuntur. Ad præcludendum itaq; huic illusioni viam, sic Decernimus, Consiliariis Regni & terrarum Nuntiis consentibus: Vt hujusmodi Mercatores, subditi nostri, qui merces extra Regnum evehere procurant, corporale præstent Iuramentum, in manibus Teloneatorum nostrorum: Quia tales merces non sunt eorum propriæ: nec in illis aliquod commercium, vel interesse habent: sed sunt propriæ eorum, quorum esse asseruntur, videlicet Mercatorum extraneorum, in terris extraneis agentium: Et aliter, tales merces dimitti nullatenus debebunt: sub illarum amissione.

§ Mercatores Regni eadem libertate, in terris Prussiæ, gaudere debent. Vide in Titulo: PRUSSIA.

§ In Silesiam cum mercibus progredi, capitale est. Vide Tit. VIA.

§ Regni incolis, via in Vngariam, & Silesiam prohibetur. Vide in Titulo: VIA.

MILITES.

§ De Militibus, damna inferentibus, Vide in Titulo. BELLVM.

MINISTERIALIS.

Testimonia Ministerialium in Libris Castrensibus inscribantur.

SI alicui necesse fuerit, Ministerialem producere ex alia terra, in aliam terram: & non poterit Ministerialem educere: tunc illum debet ducere ad Iudicium Castrense illius districtûs, ubi est Ministerialis: ibiq; idem Ministerialis facere debet Recognitionem, & ille, cui debet Recognitio esse, literas accipiat à Iudicio illo, ubi fit Recognitio: ad aliud Iudicium, ad quod ducendus erat Ministerialis. Quæ literæ sint sub Si-

gillo Iudicii illius, vel Capitanei, ubi recognovit: & tandem talibus literis credendum erit: ùt Miniſterialis perſonaliter ſtetiſſet, & recognoviſſet.

Miniſterialis ad videndum occiſum vocatus, unò groſſò contentus ſit: & exuvias ne tollat.

Kaz. Vislic. Folio 23. COnſvetudine iniquiſſima Miniſterialium, fuit obſervatum, quòd dum ad aliquem, in via vel aliàs, occiſum, vocabantur, ipſum veſtibus, in quibus fuerat occiſus, Iure ipſorum (quod ipſi *krwâwne* nominabant) expoliabant, unde (cùm afflictis non ſit addenda afflictio) eiſdem Miniſterialibus Prohibemus: Ne de cætero quoslibet occiſos ſpoliare, ſeu exuere præſumant: ſed tantummodo unicô groſſô contenti ſint, quem decernimus eis dandum pro labore, per eum, qui ad aliquem occiſum procuraverit eoſdem vocari, donec eadem homicidii quæſtio totaliter fuerit definita.

Miniſterialis adſit Iudicio.

Kazimirus Vislicia 1368 Fol. 13 POſſibilitas hoc dictat rationis: quòd Iudices, in exercendis ſuis Iudiciis, habeant ſuos certos Miniſteriales, ſeu Officiales.

Miniſterialium conſtitutio, eorumq; Iudices & defenſores.

Idem Fol. 32 HOc etiam ſpecialiter declaramus: quòd Officiales, vel Miniſteriales, aliàs *Służebniki*, nullus niſi Palatini inſtituere: & eos judicare: proque afflictione, aut vulneribus, vel capite eorundem, pœnas exigendi, vel levandi, omnimodam habeant facultatem.

§ Vide in Titulo: PALATINUS.

Forma literarum Palatini, Miniſteriali dari ſolitarum.

PEtrus Kmita, Comes in Wiſnice, Palatinus Cracovien: &c. Univerſis & ſingulis, in Palatinatu noſtro Cracovienſi exiſtentibus, Iuris Terreſtris municipibus Significamus tenore præſentium: Quia cùm attendiſſemus juſtitiam hominum forenſem, ob Miniſterialium paucitatem, ſolere negligi, aut ſaltem difficile expediri: Ne noſtro officio, illorum autem utilitati, hac parte deeſſe videamur: providum A. de B. de cujus virtute, induſtria, ac integritate, complurium bonorum virorum accepimus teſtimonia, in Miniſterialem Terreſtrem Cracovien:, creandum atq; tondendum duximus: prout creamus, & tondimus, in Dei nomine, per præſentes, ab eodemq; Iusjurandum fidelitatis ſuſcepimus: ipſique, eo nomine, has præſentes noſtras literas dedimus, ſimul conceſſimus illi poteſtatem, omnia Miniſterialis officia, ubiq; in Palatinatu noſtro Cracovienſi, legitimè exequendi. Quocirca vobis denuntiamus: ut eo A B, tanquam vero, creato, Iurato, & fideli Miniſteriali, in omnibus veſtris Iudiciis, atteſtationibus, aliiſq; omnibus juridicis actibus, utamini: ſalvô ſemper ipſius ſalariô debitô & competenti. Et ſi (quod abſit) infideliter fecerit ſuum officium: pœnâ. In cujus rei teſtimonium, præſentes literas noſtras, ſigillô noſtrô communitas, eidem dedimus. Per

Per Miniſterialem Iudex citet.

QVapropter ſtatuimus: Quòd penitus nullus Iudex, per aliquam aliam perſonam, quàm per certum ſuum Officialem, ſeu Miniſterialem, faciat & expediat ſuas Citationes: Milites autem ſuperiores, per literas, exceptô hôc: ſi aliquod crimen in Iudicio, vel in curia Iudicii, recenter, & de novo committatur: tunc pro hujuſmodi crimine, per quemlibet familiarem, contra tales liceat fieri Citationes. *Kaz. Vislic. 1368 Fol. 13*

Miniſteriales ne citent Iudice non Iubente.

FLebili querelâ ſæpiùs recepimus: quòd miniſteriales, per terram gyrantes & curſitantes, pauperes villanos, aut Religioſorum villas, aut pauperes Milites, cæteroſq; ſubditos noſtros, fatigandi vel vexandi modos exquiſitos adinvenerunt, ita quòd ſi alicujus villæ pauperes Milites, aut villani Religioſorum, eos, pro beneplacito ipſorum Officialium, quibuslibet expenſis non pertractant nec procurant: ijdem Miniſteriales, ipſos pauperes Nobiles, aut villanos, ſine culpa ſeu cauſa, & abſq; Iudicis præcepto citant: occaſione vexationis faciendæ, terminos eis, pro libito ſuæ voluntatis, aſſignantes: Sicq; ijdem pauperes Milites, ſeu villani, volentes redimere hujuſmodi vexationes & moleſtationes, ſæpiſſimè de certa pecuniæ ſumma, cum eiſdem componunt: Vnde Nos, hujuſmodi malitiæ & machinationi obviare volentes, Statuimus: Quòd deinceps Miniſterialis, ſub pœna privationis ſui Miniſteriatûs, & privatione omnium ſuorum bonorum, abſq; ſpeciali Iudicis mandato, aliquem citare non præſumat, aliàs præmiſſam pœnam, & in facie aduſtionem & notationem, non immeritò poterit formidare. *Kaz. Vislic. 1368. Fol. 12. & 13*

Qui Miniſterialem addunt ad citandum.

DEcernimus etiam declarando: Quòd Nos, vel Capitaneus noſter, vel Palatinus, vel Iudex, vel Subjudex, vel Officialis, qui dicitur *Wozny*, habeant facultatem dandi Miniſterialem, ad citandum. *Kazimirus Vislicia Folio 37.*

Qui mos citandi olim fuit, per Miniſteriales.

QVoniam ex modo Citationis, nonnulla gravamina & oppreſſiones, per noſtros Iudices, ſeu Officiales, noſtris ſubditis evenire conſveverunt: & ideo eiſdem gravaminibus & oppreſſionibus volentes obviare, Statuimus: Quòd, Miniſteriales, ſive Officiales, per Nos, ſeu quoslibet Iudices deputandos, fore & eſſe in hunc modum formandam, vel faciendam Citationem: Quòd ipſe Miniſterialis, cum ſuô ſolitô baculô, debet accedere ad dominum villæ: pro quocunq; etiam exceſſu fuerit citandus: & omiſſis ejuſdem villæ villanis, in pace & tranquillitate, illis relictis, ad domum ſeu ad portam ejuſdem domini, ſuô baculô tangendo, & clamando, eundem citet: Literaſque Citationis porrigat: exponendo nihilominus in dicta Citatione, contenta: de cujus videlicet Iudicis mandato, *Kazim. Magnus Vislic. 1368. Folio 12.*

dato, & ad cujus instantiam, & propter quam causam, fecit eandem Citationem. Si autem ejusdem villæ villani, & ipse dominus villæ, fuerint simul culpabiles: volumus, quòd eodem modo tangendo portam cujuslibet villani, seu kmethonis, & clamando, faciat simili modo (ut præmissum est) Citationem. Qui villani si non fuerint culpabiles in delicto sui domini: Volumus & prohibemus omnino; quòd per eandem Citationem quomodolibet non graventur, nec fatigentur. Tamen plerùmq; in contemptum, & odium villæ domini, & ex rancore, consveverunt aliqui, villanos indebitè fatigare, & molestare. Quare huic morbo mederi volentes, Statuimus: Quòd quandocunq; ipsos villanos, absq; justa & legitima ratione, citatos & vocatos esse constat: quòd ille extrahens Citationem, & qui hoc malitiosè procurat, puniatur pœnâ, quæ dicitur *Piatnadzieslá*. Et eôdem modô volumus fieri Citationem prædictam: ubi sine delicto domini villæ, ipsius fuerint villani communiter vel divisim culpabiles, vel delicto obnoxij: ita quod ad portam tangendo, quemlibet ipsorum citare teneatur, modô & ordine superiùs expressô: cessante qualibet oppressione suprascripta.

Citatio ubi ponenda à Ministeriali?

Sigis. Petr. 1523. Fol. 32 DEbet autem Ministerialis, propter mortem suam, cum uno Nobili, in personam Actoris missô, ponere Citationem indifferenter, vel apud Nobilem citandum, in curia ejusdem: vel apud Wladarium, aut kmethonem, sive apud hortulanum: publicando nihilominus Citationis positionem, in curia terrigenali, quæ si defuerit in eadem villâ: extunc villanis, idem ipsum, Ministerialis notificabit: ut ad notitiam Citati deveniret.

Citatus ne respondeat, nisi viso Ministeriali.

Consvetudo Terræ Crac. 1505. Folio 121. ITem: cùm aliquis aliquem citaverit pro aliqua re: pars citata dicet: Domine Iudex, volo videre Ministerialem, qui Citationes portavit: & cùm Ministerialem videbo, volo respondere, quod Iuris erit: extunc non tenebitur respondere, donec videbit Ministerialem, qui Citationes portavit. Et si Actor protunc non habebit Ministerialem: potest sibi differre, aliàs recipere ad proximos Terminos, pro Ministeriali statuendo.

Relatio Ministerialis, ex quibuscunq; Actis, valet.

Sigismundus Crac. 1543 RElatio Ministerialis, coram quibuscunq; Actorum libris, de positione Citationis facta, volumus ut tantùm valeat: quantùm personalis Recognitio ejusdem Ministerialis, valere debuit, nisi quòd recognoscat in eisdem Actis, tempus, & locum positæ Citationis: & cui eandem Citationem publicavit in bonis: & cum quibus Nobilibus, aut Nobili, hoc fecerit: juxta Statutum.

Salaria Ministerialis, à testibus & furibus.

Kazim. Magnus Vislic. 1368. Fol. 37 ITem volumus: Quòd Officiales, ab uno producente testes, habeant quatuor Scotos: à pœnâ verò, quæ dicitur *Piatnadzieslá*, bovem: & quando pro furto pignorat, bovem mediocrem. Si

Si Ministerialis formam Iuramenti mutet?

ITem: si Officialis, aliàs *Wozny*, aliter formam Iuramenti testibus dixerit, quàm est mandatum: & de hoc convictus Iudiciô fuerit: perpe- officio deponatur. Kaz. Fol. 37

De Nobilibus, quo numero cum Ministeriali habendi?

ITem: dum Actor aliquis testificatur aliquid coram Ministeriali, seu per eum: tunc Actor ipse, Nobiles duos habiturus est, cum Ministeriali. Sed cùm Ministerialis cum Citatione equitat: tunc sufficit, eum, Nobilem habere unum. Consvetudo Terræ Crac. Folio 123.

§ Ministerialium Iuramentum. Vide in Titulo: IURAMENTUM.

MINORENNES.

Si cohæredes citati essent minorennes, in causa limitum.

SI verò plures essent participes seu consortes unius & ejusdem hæreditatis, citati per quempiam alium, pro faciendis graniciebus: & inter tales Citatos, essent aliqui cohæredes minorennes, æquè citati: extunc contra tales Iudicium procederet, tam terrestre, quàm Officium Succamerarii: non obstante ipsorum minorennitate. Ad quam quidem limitationem, Iudicium & Officium Succamerarii procedet, nihilominus Succamerarius, vel ejus officium reservabit eis actionem pro eorum interesse, cum Actore granicierum, dum videlicet annos discretionis assequentur: tunc licebit eis Iure agere cum illis, à quibus putarent sibi esse præjudicatum: tamen nonnisi pro sorte & interesse, ipsos concernente, agent. Sigism. Petric. 1523. Folio 41.

Minorennes cum annos discretionis attingent; pro injuriis acceptis agant: Præscriptione illis non obstante.

INfantibus præsertim egenis succurrere & providere volentes, Statuimus: Vt si aliquibus, patre mortuo, per quempiam injuria fuerit illata: venientes ad annos discretionis, possent Iuridicè agere contra injuriantes, & exceptio Præscriptionis eis opponi non poterit: nisi tunc ætate in eis legitima completa. Et infra tempus debitum, si agere neglexerint, pro injuriis olim eis illatis tunc obstat eis exceptio præscriptionis: propter negligentiam allegatam. Kazim. Magnus Vislic. 1368. Folio 24.

Minorennes in tribus tantùm casibus respondere tenentur.

CItati minorennes respondere non tenentur: sed per Iudicem, anni ætatis eorum computentur, tamen in casibus infrascriptis, Iuridicè requisiti, comparere tenebuntur. Primò, si aliquis patri ipsorum hæreditatem suam aliquam obligâsset: & ipsam à pueris redimere vellet: tunc pueri pecuniam obligatam recipere tenentur, pro eadem hæredi- Kaz. Mag. Folio 33.

tate: quamvis annos legitimos non haberent. Item: si quis pro patre ipsorum cautionem incideret fidejussoriam: & vivente patre, ad Iudicium fuerit provocatus: tunc pueri respondere, vel solvere tenentur, fidejussorem liberando, non expectando annos ætatis Tertiò, si pater pro aliqua hæreditate citatus fuisset adhue vivens: etiam pueri respondere teneantur, pro eadem hæreditate.

Minorennes in Iudicio ne respondeant: sed cum matre, Tutori dato a Patre subsint.

Wlad. Iagel. Fol. 43. ORphanitati puerorum nostrorum subditorum, consulere gratiosè cupientes: qui interdum, per patres ipsis ad annos pubertatis minimè educatis, casu mortis relinquuntur: & sic multoties, per nonnullos in Iudicium evocantur, & vexantur: qui ætate & discretione carentes, litem contestari nequeunt, neq; causas acticare, neq; defendere. Et quanquam antea, hoc ad certam ætatem sit restrictum: (ut videlicet masculus ad quindecimum annum, fœmella verò ad duodecimum, compelli non possint, neq; alicui infra hoc, teneantur respondere) tamen alus diversis gravaminibus, multoties opprimuntur. Quare Statuimus: pater vivens possit & valeat pueris suis & uxori (si ipsa affectaverit) constituere certos tutores: quos voluerit: de quibusq; major sibi fides, & confidentia apparuerit: qui tueri, & curare eosdem poterint, usq; ad annos superiùs allegatos, nec eosdem tutores, post mortem constituentis, proximiores à tutela poterint removere.

Pupilli nec respondent, nec præscribunt, ante legitimam ætatem

Kaz. Mag. Folio 31. SI impuberes, cujuscunq; pueri, ante legitimam ætatem ad Iudicia trahantur super hæreditaria quæstione, aut alia quacunq; controversia, & ob defectum ætatis, cum Actore litem contestari, seq; tueri nequeunt: propter quod, & plerùmq;, infantilis ætas & pueritia consvevit offendi: Quare Statuimus: Vt ex interlocutione Iudicis, eadem litis contestatio, usq; ad ætatem debitam illorum puerorum prorogetur, & dilatione pendente, aliquot anni effluere consveverunt. Deinde pueris legitimam attingentibus ætatem, si quæstio eadem ipsis innovatur: iidem pueri contra se agentibus, exceptione Præscriptionis, aut tantæ taciturnitatis illorum annorum, quibus judicati non fuerunt, objicere & opponere minimè valebunt: Sed tantùm utantur istius temporis Præscriptione: si qua fuit apud ipsos, vel eorum progenitores, antequam fuissent primò ed judicium tracti super eadem causa, & evocati.

Pro Patre tamen pupilli teneantur.

Consvetudo Crac. 1505. Folio 120. ITem: cùm aliquis bona hæreditaria vendet, aut obligabit, sive impignorabit alicui: & inscribet se pro defensione: & in hoc privaretur vitâ: filii ejusdem defuncti, debent tueri residentem, in bonis hæreditariis, & si annos discretionis non haberent: non debet dari eis, ad annos discretionis, Dilatio.

De bonis, minorennibus pueris resignatis, per pueros non inscribendis.

ITem: quemadmodum ex Statuto communi, Tutores tenentur resignare bona puerorum, dum habebunt annos quindecim: pueri verò bona sua accipiendo, uti debent eis, sic nihilominus Iure sit provisum: (prout fieri consvevit) Quòd ipsi pueri, bona vendere, obligareq; non debeant, sine consensu amicorum, consangvineorum: donec habebunt annos viginti quatuor transactos. *Consvetudo Crac. 1505 Folio 120.*

§ Minorennium Tutor, pro capite patris agere potest. Vide in Titulo: TUTOR.

§ Si minorennes, pro homicidio citantur. Vide in Titulo: HOMICIDIUM.

§ De fratre minorenne, Vide in Titulo: FRATER.

MINUTA.

ITem: simplici Minutâ nihil probari potest: sed tantummodo literis, aut Minutâ sub Sigillo, aut Libris coram Iudicio. *Consvetudo terræ Crac. Folio 122*

MODII.

QVia pauperes homines, qui cum frumentis ad fora equitant, propter diversitatem modiorum non parum gravantur: propterea Constituimus: Vt in Prætoriis modii sint justæ mensuræ, qui etiam gratis debent dari hominibus, ad mensuranda frumenta, æqualiterque, alàs *Ramno*, sive ulla fastigiatione mensurari debent: hoc est, ad amussim, seu Regulam, alàs pod *Stych*, prætereaq; non emptor, sed venditor mensurare debet. Aliis autem modus omnino non mensuretur. *Sigis. Aug. Petr. 1550*

MOLENDINATOR SEV MOLENDINVM.

Molendinatores, Sculteti, Advocati, Molendina, Sculteticas, Advocatias, absq; consensu Domini ne alienent, aut obligent.

SÆpenumero Molendinatores, Sculteti, Advocati, Iuri dominorum, per ignorantiam detrahere consveverant: & vendebant, & oppignorabant, Advocatias, Sculteticas, Molendina, in toto vel in parte, absque consensu dominorum suorum. Quapropter constituimus; ne hoc amplius facere audeant: sub amissione summæ, pro qua vendiderint, vel oppignoraverint, fisco domini sui: in bonis verò nostris, Nobis applicandæ. Petentibus autem a l oppignorandum, consensum non negabimus, sine tamen incommodo Nostro. *Sigis. Crac. 1511. Fol. 15*

Molendinator multorum fratrum seu dominorum, communiter omnibus se justificet.

FRanciscus, Falco, & Henricus, tres fratres habentes unum Molendinatorem: Henricus tertius frater, super quibusdam ipsius Molendi- *Kaz. Vslic. Folio 21.*

natoris excessibus, coram Iudice deputato, dato, vel electo, debitô modô ipsum molendinatorem judicare præcepit: demum frater alter Falco veniens conqueritur de Henrico: quòd ipsius Molendinatorem judicâsset,& condemnâsset. Nos itaq; attendentes; quòd licet cuilibet de Iure, suam prosequi injuriam: Declaramus ipsum Henricum, justè, & debitè Molendinatorem, pro sua parte judicâsse.

In Molendinum & Tabernam Intromissio ne detur: nisi forte aliæ desint possessiones.

Crnsvetudo Cracoviæ. Folio 122.

ITem in Tabernam, & Molendinum, nullus debet intromissionem dare, exceptô; quòd aliam possessionem non haberet: extunc potest dare Intromissionem in Tabernam, vel Molendinum.

§ Bajuli extra Regnum ad Molendina & fora eant cum rebus venalibus: quantùm humeris suis ferre possint. Vide in Titul: FORA.

MONASTERIVM.

§ Vide in Titulo: ABBAS. Folio 1.

MONIALES.

Moniales in bona paterna & materna succedunt, ea tamen alienare non possunt: sed ex illis censuum pecuniariorum medietate, à consanguineis, quoad vivant, potiantur.

Sigis. Crac. 1527. A 5.

STatuimus etiam: quòd Sanctimoniales, Ordinem aliquem à sede Apostolicâ approbatum professæ, tametsi mundo & bonis temporalibus renuntiaverint, nihilq; proprii habere possint: quia tamen non sunt ubique debitô modô provisæ: & concessum sit illis, ex indulgentia sedis Apostolicæ, ut succedere possint in bona paterna, & materna, ad se revoluta: de illisq; liberè, cum authoritate Superiorum suorum, disponere: quia multæ querelæ subditorum nostrorum ad nos deferebantur: qui indignè ferebant: quòd ipsæ Sactimoniales succedere deberent in bonis suis paternis, & maternis, ad eas post mortem parentum, aut consanguineorum earum devolutis: Iureque illas, ab hujusmodi successionibus repellere nitebantur: volentes hujusmodi querelas cohibere: & easdem Sanctimoniales, in bona gratia & favore consanguineorum illarum, conservare: illarumque necessitatibus benigne prospicerè: Statuimus, & ordinamus, de consilio, & consensu Consiliariorum Regni nostri, statûs utriusque, & Nuntiorum Terrestrium: Quòd Moniales ipsæ, Ordinem Regularem professæ, & in Cœnobiis & Claustris manentes, succedere quidem possint ad bona paterna, & materna: quæ ad eas devoluta legitimè fuerint; alienare tamen illa à consanguineis, & proquinquis, aut in alienas personas quomodocunque transferrè, nullô modô valeant, sed cùm primùm ad eas, aut earum aliquam, ea ipsa bona devoluta fuerint: Iure legitimæ successionis & devolutionis, proximiores consanguinei, seu agnati, & cognati earum, illa tenere, eorumque

possessio-

possessionem adire debebunt: & ex illis medietatem omnium censuum, & proventuum pecuniariorum, illis & cuilibet earum, solvere erunt astricti: vitâ illarum durante. Reliquam verò medietatem proventuum pecuniariorum, simul ac fructus omnes, ex bonis illis provenientes, pro se retinebunt: & ex illis onera Reipublicæ, Regni & bellicæ expeditionis, sustinebunt.

Ibidem

Quodsi bona, ad Moniales ipsas devoluta, nullos proventus pecuniarios habuerint: essent tamen in illis prædia, seu piscinæ, seu molendina, vel prata, vel sylvæ cæduæ, aut mellificia, aut agri, quæ locari possint, & aliæ id genus utilitates, quocunq; nomine censeantur: in eo casu, Episcopus, & Ordinarius loci, seu ejus in Spiritualibus Vicarius, cũ Capitaneo terræ seu districtûs illius, in quo bona hujusmodi consistunt, disquirent diligenter: quantùm ex hujusmodi bonis provenire, in anno possit: illaq; & obventiones, seu utilitates, quæ ex illis, annis singulis provenire possent, diligenter taxabunt & æstimabunt & ad quamcunq; summam illa taxaverint: consanguinei prædictarum Monialium, qui bona ejusmodi tenebunt, solvere illis, & cuilibet earum respectivè, medietatem ejusdem summæ, quotannis, absq; omni contradictione tenebuntur. Et si iidem consanguinei, in solvendo negligentes & remissi fuerint: & moniti literis monitionis Domini Episcopi, seu loci Ordinarii. aut ejus in Spiritualibus Vicarii, seu Officialis, illis satisfacere de bonis illarum temerè noluerint: ac demum propterea Excommunicati, tres menses, censuras Ecclesiasticas sustinuerint: extunc libertatem & facultatem habebunt Moniales prædictæ, bona sua hujusmodi, alteri cuipiam consanguineo, aut etiam externo, locandi, seu arrendandi: pro arbitrio suo, ad vitam suam, post mortem verò illarum, eadem ipsa bona earum, ad proximiores illarum consanguineos rursum devolventur, & devolvi debebunt.

Intra viginti annos, Moniales bona hæreditaria repetant.

Sigis. Petr. 1519. Fol. 23

PRæscriptio virginibus Monialibus, ad bona hæreditaria repetenda, fiat à Professione Religionis viginti annorum. Æquum enim videbatur, favore Religionis: ut cùm illis præscriptio statui debuit, ut nuptæ decennium habeant: ipsæ ùt sponsæ Christi, & quæ in Claustris occlusæ, & educatæ, tam citò rerum suarum cognitionem habere non possunt, duplum habeant.

MONETA SEV PECVNIA.

Moneta Regni Poloniæ una sit.

Kaz. Vislic. 1368. Folio 32.

EX quo unus Princeps est omnium & Dominus, Statuimus de consilio & assensu nostrorum Baronum, & Procerum: Quòd una moneta, in toto Regno nostro debeat haberi. Quæ debet esse perpetua, & bona in valore & pondere, ut per hoc, cæteris sit gratior, & acceptior.

Sed Rex non cudet monetam, absq; consensu Consiliariorum.

Wladislaus Iagel. prope Czerwienſko 1422 Folio 48.

INprimis pollicemur: Quòd amodo, & in antea, nunquam, absq; consilio, svasu, consensu, & annuentia speciali Prælatorum & Baronum Regni nostri, Monetam nunc currentem in Regno nostro, vel etiam extraneam, aut de novo inventam, cudere faciemus: aut cudi permittemus: & cudentes, juxta ipsorum demerita, pœnis legis affligemus, ut per hoc, damna, & importabilis subditorum nostrorum penuria, per cujus abusum, hæc ubiq; in Regno nostro abundârunt, tempore Nostri regiminis, feliciter auferatur. Quemadmodum, divæ memoriæ Dominus Kazimirus, olim Rex Poloniæ, antecessor noster, hoc ipsis concesserat: & in libro Terrestri, quem cum Prælatis & Baronibus suis, quondam Wisliciæ, in Conventione generali edidit: & pro memoria sempiterna dereliquit.

Sine consensu Baronum, Moneta ne cudatur.

Wladisl. Iagellon. in Iedlna, 1433. Folio 51.

ITem promittimus pro inclytis filiis nostris prædictis: Quòd postquam (dante Domino) unus illorum in Regem electus, sceptra Regni Poloniæ amplectetur, Monetam ex quocunq; genere metalli, absq; consensu & consilio Spiritualium Prælatorum, & Baronum, in Regno Poloniæ cudere non permitteret, quemadmodum Nos, sine ipsorum consensu & consilio, hujusmodi Monetam cudere noluimus, nec cussimus.

Sigis. Aug. Petr. 1550.

§ SIMILIS. Volentes, nos Majoribus nostris in eo adæquare; pollicemur: Quòd Monetam, præter consensum Comitiorum, juxta Iura, eo nomine conscripta, concudemus.

Palatini cum Capitaneis, Monetam efferri prohibeant.

Sigis. Aug. 1550.

PAlatini cum Capitaneis, Monetæq; præfectis, custodiant: ne Moneta de Regno exportetur.

De moneta braccâta & falsa.

Kazim. III. Iagell. Petr. 1451. Fol. 86

KAzimirus, Dei gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Hæres Russiæ, &c. Significamus tenore præsentium, quibus expedit universis: Quomodo agentibus Nobis, in *Piotrkow*, pro Republ. Regni nostri, Conventionem generalem, inter cæteras hujus Conventionis ordinationes, super differentia, quæ inter Prælatos & Barones terrarum totius Regni fuit, unanimiter ordinatum est ac conclusum: innitendo ordinationibus & conclusionibus aliarum Conventionum etiam generalium, & ab eis non recedendo: Quòd pecunia minuta braccata, indifferenter per totum Regnum nostrum Poloniæ, & Ducatum Mazoviæ, tam pro nostris, quàm etiam Prælatorum, Principum, Baronum, Nobilium, & cujuslibet statûs hominum proventibus (utpote teloniis, exactionibus, contributionibus, censibus, decimis, necnon pœnis, memorialibus, arris seu notis Notariorum, Resignationibus, item mercibus, & singulis rebus venalibus) sine contradictione, tam per Nos, seu nostros Officiales,

Braccata pecunia ubiq; recipienda.

quàm

quàm etiam Prælatos, Principes, Barones, Capitaneos, Nobiles, & quoslibet Regni Poloniæ: & Ducatuum Mazoviæ incolas, & subditos, modô dudum statutô (videlicet novem Denarios, pro quolibet mediô grossô latô computando) recipiatur, & exigatur, nisi fortè aliquis, de Iure, pro censibus & decimis fertonalibus, debeat exigere latos Grossos monetæ Pragensis: quorum quilibet, pro eisdem latis grossis, pecuniam minutam braccatam, juxta cursum communem inter mercatores currentem, debet recipere seu exigere: & tenetur, sub pœnis infra scriptis. Quicunq; Regni nostri, aut Ducatuum Mazoviæ, cujuscunq; statûs incola & subditus, ipsam braccatam pecuniam minutam recipere noluerit, aut contempserit: si Prælatus, aut Spiritualis persona fuerit, quæ pro decimis, eandem pecuniam minutam recipere noluerit: decimam pro qua forisavit, perdet, quæ per Capitaneum, aut Officiales nostros, pro bonis recipietur, & pro nostra vilitate convertetur. Si autem fuerit Nobilis, pro primo excessu, decem Marcas, pro secundo, similiter decem, & pro tertio alias decem, pro quarto verò, triginta Marcas, pro fisco nostro solvat, pro quibus, Capitaneus in bona ejus se intromittat: & teneat eadem, ad persolutionem triginta Marcarum. Si verò in Civitate aliqua, pecunia minuta braccata, pro quibuscunq; rebus venalibus, in hospitiis, sive in foro non reciperetur: extunc ipsa civitas pro primis tribus excessibus, pro quolibet excessu seorsim, solvat decem Marcas: pro quarto verò excessu, solvat triginta Marcas, pro Thesauro nostro Regio convertendas. Quodsi Mercator, pro mercibus suis quibuscunq; & cujuscunque generis, aut speciei, eandem pecuniam minutam braccatam recipere noluerit in valore prædictô: videlicet pro mediô grossô latô, novem denarios computando: aut plures in minuta pecunia, quàm in mediantibus, pro mercibus suis exigere pecunias voluerit: extunc omnes ipsæ res, & merces, eidem recipiantur: & pro thesauro nostro convertantur. Item Kmethones, pro rebus suis, pecuniam minutam recipere recusantes, & nolentes, pro quolibet excessu, in Fertone puniantur irremissibiliter ab eisdem exigendo. Item Tabernatores in villis, qui pro rebus suis, videlicet victualibus, & pabulis, recipere noluerint minutam braccatam pecuniam: pro quolibet excessu, quilibet in mediâ Marcâ puniatur irremissibiliter, ab eodem exigendâ.

Exceptio.

Pœna Spiritualium.

Nobilium.

Civium.

Mercatorũ.

Kmethonum

Tabernatorũ

Volentes insuper Reipubl. providere, ne habeant malefactores occasionem importandi falsam monetam in Regnum nostrum, Statuimus, & ordinamus, de unanimi prædictorum nostrorum Consiliariorum voluntate: Quòd apud quemcunque, cujuscunq; statûs hominem, in una Marca, duo grossi falsi fuerint reperti: ipse cujus Marca fuerit, Marcam perdet. Apud quem, sex grossi falsæ monetæ, in una Marca inventi fuerint: talis juxta priores conclusiones puniatur. Inter creditores verò habentes Inscriptiones super mediantes, taliter est statutum: Quòd quilibet alium, pecuniam sibi ante hanc dispositionem inscriptam, juxta continentiam literarum suarum, libere exigat in moneta, in ipsa Inscriptione, expressa. Deinceps verò nonnisi minuta pecunia, vel simpliciter Mar-

Falsariorum

De Creditorum moneta

ter Marcæ, moneta & numeri Polonicalium, inter Creditores inſcribantur: & in minuta pecunia, quævis debita exigantur, & ſolvantur: dunta-xat novem denariis, pro medio lato groſſo, computatis. Statutum eſt inſuper omni unanimi voluntate: Quòd Capitanei noſtri quorumlibet locorum, facere exactam diligentiam tenentur: ut prædicta minuta pecunia recipiatur: & puniant modô præmiſſô, omnes & ſingulos diſpoſitionis prædictæ contemptores, aliàs Capitanei ipſi noſtri, prædictam diſpoſitionem introducere, & inobedientes coercere, & punire negligentes, per Nos, tanquam rebelles Mandatorum Regalium contemptores puniantur. Datum in *Piotrkow*, feriâ quintâ proximâ poſt feſtum Pentecoſtes, Annô Domini 1451. Sigillô noſtrô præſentibus ſubappenſô.

Ad idem.

Folio 87. NOs verò Prælati, Barones, Majoris Poloniæ, Siradienſis, Lancicienſis, Cujaviæ & Dobrynenſis terrarum, in evidentiam conſenſûs & voluntatis omnium præmiſſorum, Sigilla noſtra præſentibus etiam fecimus ſubappendi.

Sigiſ. Petr. 1447. Folio 91. § SIMILIS. De minuta pecunia braccata Statuimus: Vt per univerſum Regnum capiatur commodè: quòd pro medio lato groſſo, novem denarii minutæ & braccatæ pecuniæ, recipiantur, ad latos autem groſſos Pragenſes, qui eos in ſuis obtinent cenſibus, fiant additiones ſecundùm curſum communem inter Mercatores currentem. Si autem aliquis præfatam pecuniam minutam recipere recuſaverit: ſi Nobilis fuerit, pignoretur per Capitaneum, in pecoribus, quoties exceſſerit. Si verò Civis aut Mercator pro ſuis mercibus recipere renuerit: merces amittere debet, fiſco noſtro Regio confiſcandas, ſi Kmetho: captivetur, & in turrim imponatur. Verumtamen ſi in ipſa pecunia minuta, duo groſſi falſi apud quempiam, in una Marca reperti fuerint: talis, Marcam, ipsô factô amittat, ſi verò in una Marca ſex groſſi, de falſa moneta (ut præfertur) fuerint inventi: capite puniatur. Statutum inſuper eſt: ut Capitanei, ubicunq; locorum, exactam, & diligentem habeant curam: ut præfata pecunia minuta recipiatur: & contrariantes, modô præmiſſô puniantur, negligentes Capitaneos, Dominus Rex puniet tanquam contemptores Laudi præfati, & Decreti.

Moneta Swidnicenſis proſcribitur & falſa prohibetur.

Sigiſ. Crac. 1527. A 3. ET quia Moneta Swidnicenſis, quæ, univerſo Regno noſtro, inæſtimabilem jacturam facit & detrimentum, hactenus prohiberi non poteſt, ignorantiâ ſimplicium hominum: & licentiâ eorum, qui Decreta & Prohibitiones noſtras tranſgrediuntur: Decrevimus cum univerſo Senatu Regni noſtri, non ſolùm prorogandam & cuſtodiendam diligentiùs occluſionem viæ in Sileſiam: ſed etiam eandem Monetam prorſus ex Regno extirpandam, ita quòd deinceps nemo, illam recipere, expendere, aut in Regnum & dominia nobis ſubjecta, inferre audeat: ſed quiſque intra hunc

tra hunc annum, aliàs hinc ad duodecimam diem Martij anni futuri, illam extra Regnum exportet: aut permutet per modum cambii, aut rerum emptionis: ſeu quocunque negotiationis genere, ſub pœna noſtra Regia, quatuordecim Marcarum, & amiſſione hujuſmodi pecuniæ. Et qui illam intra hoc tempus permutare, & alienare à ſe non poſſet: expendat illam & permutet intra ſpatium hujus anni. Sed non cariùs: quàm quemlibet ejus medium groſſum, per quinq; denarios: aut ad officinam noſtram monetariam portet: pro qua dabitur bona moneta: & ſolventur ſimiliter illi, pro quolibet medio groſſo Swidnicenſi, quinque denarii. Poſt exactum autem annum, ea ipſa moneta, per quam, ſplendor & decus Majeſtatis noſtræ Regiæ imminuitur, omniumq; ſtatuum & ordinum hominibus non mediocre damnum infertur, nullô modô recipiatur: ſed tanquam falſa & noxia vitetur. Et apud quemcunq; hominem, cujuſcunq; ſtatûs & conditionis, reperta fuerit: & perdere illam debeat: & pœnâ quatuordecim marcarum, puniri. Sic quòd apud quemcunq; duo groſſi illius, in una marca inventi fuerint: totam illam marcam perdat, abſq; ſpe alicujus veniæ. Conſtituimus etiam cuſtodes, in finibus Regni, qui cuſtodiant, & diligenter inquirant: ne deinceps ea ipsa moneta Swidnicenſis, in Regnum inferatur, qui quidem cuſtodes, apud quemcunq; illam invenerint, recipere eam poſſint, & debent. Quia verò, præter ipſam externam monetam Swidnicenſem, magna etiam vis falſæ monetæ, tam in Regno noſtro, quàm etiam alibi excuſsa eſt, & excuditur in magnum damnum & detrimentum Reipubl. ipſius Regni, & dominiorum noſtrorum: proinde ne malefactores, cudendi illam deinceps, & importandi in Regnum, occaſionem habeant, providebimus: & Braccatores conſtituemus in Civitatibus, & oppidis: qui illam ſignent: & notam, ſeu ſignum percuſſionis, illi imponant, quò faciliùs ab omnibus cognoſci, & vitari poſſit. Capitanei autem locorum, exactam diligentiam facere debebunt: ut prædicta Conſtitutio, tam de Swidnicenſi, quàm etiam falſa moneta, ab omnibus ſtrictiſſimè, & inviolabiliter obſervetur.

Si quis inculpatur de cuſſione monetæ.

AD corrigenda autem tam enormia facinora, & falſitates: à quibus etiam nec Nobiles aliqui (ut ea eſt hujus temporis malignitas) ſeſe continent: Statuimus: quòd accuſatus ſeu inculpatus de falſa moneta, aliquis vir Nobilis cujuſcunq; ſtatûs & dignitatis, citari debet ad præſentiam noſtram, ex Officio noſtro, & ſi convinci poterit per duos teſtes Nobiles, in ſimile crimine falſæ monetæ deprehenſos, & condemnatos, ac ultimô ſuppliciô affectos: qui confeſſi ſint, illum reum ejus criminis eſſe: & falſam monetam cudiſſe: aut conſilium, auxilium, patrocinium, ad illam excudendam præſtitiſſe: ac in illa confeſſione perſeveraverint: & morte ſua confirmaverint: talis, pœnâ capitis plectetur, bonaq; ejus confiſcabuntur, quæ Nos pro Nobis, & fiſco noſtro Regio retinebimus, ad præcludendam viam calumniis hominum: & nemini illa

Sigiſ. Crac.

confe-

conferemus, aliàs vita, ſalus, & ſtatus ejus ipſius Nobilis inculpati, & hôc modô convicti, erit in gratia noſtra Regia. Si verò teſtes contra illum teſtificantes, non fuerint Nobiles: ſed alterius inferioris ordinis, & conditionis, domeſtici, ſeu externi: qui in eo ipſo crimine deprehenſi, & contra illum teſtificantes, & non reclamantes, ſeu confeſſionem ſuam non revocantes, ultimô ſupplicio affecti fuerint: in eo caſu, Nobilis ille accuſatus, ſeu inculpatus, expurgabit ſe cum decemocto viris Nobilibus bonæ famæ, ſibi in genere ſimilibus: quos Nos ipſi deligemus ex ter decem octo, hoc eſt, quinquaginta quatuor teſtibus Nobilibus, quos ille, qui ſe expurgaturus eſt, ſtatuere coram Nobis debebit: in ſex ſeptimanis, à die indictæ, & decretæ ſibi, hujuſmodi expurgationis. Qui ſi in probatione, & in ſui expurgatione defecerit: pro convicto habebitur: & pœnâ falſi punietur. Si verò in ſe expurgando non defecerit: abſolvi à crimine illô objectô debebit. Vbi tamen poſthac de hoc ipsô crimine falſæ monetæ, ex quo ſe ſemel, modô præmiſsô expurgaverit, accuſatus, inculpatus, & teſtimoniis hominum, civilis, plebeiæ, aut alterius conditionis, convictus modô ſupradictô fuerit: ad aliam expurgationẽ non admittetur: ſed ut falſarius, pœnâ debitâ punietur: ac bona ejus confiſcabuntur: caputq́; vita, & ſalus ejus, erit in gratiâ noſtrâ Regiâ. Citatus autem literis Citationis noſtræ, de falſa monetâ, comparere coram Nobis debebit, non revocando ſe ad diſtrictum. Et ſi in primo termino non comparuerit: Citabitur ſecunda citatione: & terminus tam primæ, quàm ſecundæ Citationis, debet illi aſſignari, & præfigi in quatuor ſeptimanis à die poſitionis, & executionis ejuſdem Citationis, qui ſi ſecundô terminô non comparuerit: pro convicto habebitur: ſive is fuerit poſſeſſionatus, ſive non: debebitq́; banniri de Regno, & bona eius confiſcari. Et præſens Statutum durabit ad vitam noſtram.

Decretum per Conventum generalem Petricovienſem, de Moneta factum: quæ à Principe Pruſſiæ cuditur, in aliis Civitatibus Pruthenicis.

Sigiſ. 1543. VNiverſi Senatores, & terrarum Nuntii attendentes monetam, quæ in terris Pruſſiæ cuditur, adeo auctam & noxiam eſſe: ut diutius ſine ingenti detrimento Regni, tolerari non poſſit; Statuerunt & decreverunt unanimiter: iterum Sacræ Majeſtati Regiæ humillimè ſupplicandum: ut Majeſtas ſua ipſam cuſſionem Monetæ, ubiq́; tam in terris Pruſſiæ, quàm etiam alibi ſiſtere mandaret. Et quamvis Majeſtas ſua Regia, jam de ceſſanda ipſa cuſſione, ſuam benignam & propenſam voluntatem declarare dignata ſit: tamen quia Illuſtriſſimus Dux Pruſſiæ, ab illa cudenda deſiſtere recuſat: & indignum videretur, antequam ille ceſſet, Majeſtatem Regiam deſiſtere debere: requiritq́; Majeſtas ſua, Conſilium qua ratione ille contineri deberet: Omnium unanimis eſt ſententia: Quòd, cùm neq́; Illuſtriſſimus Princeps, neq́; Regiæ Civitates in Pruſſia, ullam unquam aliam facultatem habuerunt, neq́; habent, Monetam æqualem monetæ Regni, & quæ à Regnicolis recipi deberet, cudendi: niſi à Majeſtate

jeſtate Regia noviſſimè conceſſam: ſua verò Majeſtas, ut ex Iure Regni, ipſam facultatem, monetam cudendi, nonniſi de conſenſu & decreto Senatûs ſui habeat: neq́; illam ſibi Majeſtas ſua, ùt Illuſtriſſimus Princeps, hactenus uſurpavit: ita hâc facultate majorem & ampliorem facultatem, aliis concedere juſtè non potuit: neq́; illi eam uſurpare poſſunt: cùm id non ſolùm Iuribus Regni, ſed etiam tranſactioni & ſuperioritati Regiæ, contra ipſorum Iusjurandum, & tenorem tranſactionis planè repugnaret: Proinde ſupplicârunt univerſi, etiam atq́; etiam: ut ſua Majeſtas Regia, habita ratione tanti detrimenti Regni ſui, jam tandem & ſuam, & aliorum quoq́; omnium cuſſionem ejuſmodi monetæ, in Regno recipiendæ, ſiſti iubeat: & rebelles, Iure & poteſtate ſuâ Regiâ coerceat. Porrò cum univerſi Regnicolæ perſuaſum habeant, eam ipſam monetam eſſe depravatam, & pretii æquô viliorẽ: mandare dignaretur ſua Majeſtas Regia; ut tam Præfecti, & Procuratores rei monetariæ, quàm etiam Cives, qui eam cudunt, in futurô proximô Conventu Regni, ſe ſiſterent: & ſe palam iuſtificarent, & ut interim in præcipuis locis, & Civitatibus, probatio ipſius Monetæ fieret: ne (cùm anteceſſores Majeſtatis ſuæ, tales exceſſus & peculatum impunitum non ſinebant, etiam magnis Regni Proceribus) nunc his modernis Præfectis & Procuratoribus, in ea opinione & ſuſpicione hominum exiſtentibus, aliqua ob hanc cauſam ſiniſtra exiſtimatio, graves querimoniæ, ac demum aliquæ turbæ inter homines excitarentur, quæ hac potiſſimùm ratione ſopiri poſſe videntur.

Moneta Pruthenica abrogetur: aut more antiquo cudatur.

SEd ex eo quoq́; magnum, ad Rempub. Regni, incommodum pervenire videmus: quòd cùm Nos, jam inde ab aliquot annis nummos cudere deſiêrimus: Pruthẽni tamen in inſtituto ſuo perſeveraverunt. Quare facturos Nos recipimus, & ſeriò mandamus Pruſſiæ Civitatibus: ut ſi velint Monetam cudere, quemadmodum Privilegia eorum in ſe continent, vera illis ſigna imprimant: noſtrô verò ſignô uti non audeant. Quòd niſi dicto audientes fuerint, edictô cavebimus: ne quispiam, quos, ipſi contra voluntatem noſtram, ſub ſigno noſtro nummos cuderint, his utatur: eoſq́; omnes Regno noſtro ejiciendos, atq́; exterminandos curabimus. Sigiſ. 1543. 1539.

De Moneta Pruthenica.

DE Moneta Ducis Pruſſiæ, & Civitatum Pruthenicarum, unà cum Conſiliariis noſtris & terrarum Nuntiis Conſtituimus: ut hæc illorum Moneta deponeretur per eos Proceres: qui in Statuto, ad id ſunt deſignati, ad iuſtum pondus ſeu valorem, ac menſuram ipſius monetæ: & hoc ut ſine damno Reipub. fieret. Nolumus enim, ut aliquis alius id damni ferat: niſi is, qui utilitates ex ea percipiebat, proindeq́; hujus rei realis executio ad hoc tempus eſſe debet. Sigiſ. 1543.

Poloni ad externam Monetam non cogantur.

Sigis. Aug. Petr. 1550. VOlentes, nos in eo adæquare Majoribus nostris, pollicemur: Quia Regni nostri subditos, ad ullam aliam aliorum nostrorum Dominiorum Monetam non cogemus.

Communi Monetâ, vel Pragensi solvantur Contributiones Regiæ.

Ex Privileg Wladislai Iagel. prope Czerwiensko Fol. 49. INsuper licèt Collectores nostri per literas nostras Cracovienses, & Sandomirienses, pro Exactionibus nostris, vulgariter *Krolestwo* nuncupatis, in signum subjectionis & veri dominii, nobis solvi ibidem in moneta currenti, & consvetis grossis Pragensibus, à kmethonibus receperint: & nostro infiscaverint thesauro: ne tamen hoc valeat, in posterum dictis terris parere aliquod detrimentum, vel Iuribus earundem derogare, Decernimus, & edictô perpetuô Statuimus: ut amodo, in dictis terris, Cracovienſi & Sandomirienſi, non alia nisi currens, & communis in Regno moneta, pro huiusmodi Exactionibus nostris exigatur, hôc provisô, Quòd si aliqui subditi nostri, in dictis terris, à suis kmethonibus, pro ipsorum censibus, Grossos Pragenses receperint, vel recipere voluerint: illi etiam kmethones, ad solvendum nobis similes grossos Pragenses, pro Exactionibus nostris, per nostros Collectores arceantur.

§ Vide hoc idem in Titulo: CONTRIBUTIO.

MORTVVS CITATVS.

§ De Citato mortuo, Vide in Titulo: ACTOR.

MOTIO IVDICIS.

Motio intermissa restituitur.

Sigis. 1538. C 2. QVia Iudicum incuriâ, & negligentiâ, frequenter evenire soletq; uòd Sententiæ, contra Iuris & Consvetudinis dispositionem, ab eis feruntur: ad petitionem Nuntiorum terrarum, Motionem Iudicis, quæ olim fuit in usu, & nunc quoq; in maiori Polonia servatur, in usum pristinum restituimus, ubiq; in Regno nostro servandam.

Formula movendi Iudicis.

Ibidem. VErùm, ne quis Iudicem movens, ob ignorantiam formulæ, ea in re servari solitæ, in causa sua labatur & ruat: eam hîc volumus adjungere. Pars ergo, contra quam lata fuerit Sententia, seu Decretum per verba inscripta; Motionem faciet dicens: Domine Iudex, Decretum hoc, seu Sententiam tuam, tanquam iniquam & injustam, pro Iure non suscipio; sed te moveo ad Conventum generalem Regni, proximè celebrandum.

Termini assignatio post Motionem factam.

Ibidem MOtione, hôc modô factâ, Ministerialis mox, sine quavis additione Iudicii

Iudicii, diem Iudicii sextam, in Conventu generali proximè celebrando, ad comparendum cum Decreto, seu Sententia ab eo lata, assignare poterit, & debebit.

Et hæc omnia, puta Motio, & Termini assignatio, debitè in Acta Iudiciorum, per Iudicium & Notarium inscribi debent, reliqua verò in robore suo, secundùm antiquum Statutum, conservamus. Pars verò motionem faciens, non plùs quam unum grossum, pro iis solvere tenebitur.

In quibus casibus, Motio non admittenda.

§ 1. Primò, pro Teloniis, & Foralibus, iniquè extortis.

§ 2. Pro administratione Iustitiæ.

§ 3 Pro redimendis bonis obligatis, nisi hæreditas esse prætendatur.

§ 4. Et si quis sponte in Inscriptione, Motioni seu Appellationi renuntiavit. Generaliter verò à Sententiis interlocutoriis Decretis, & aliis Accessoriis, per quæ, partes se gravari prætenderint, à Iudicibus Regni, ante Sententiam definitivam appellari non potest: nisi à Decreto fundationis Iurisdictionis, ubi Iudex aliquem, ratione districtûs, Personæ, Privilegii vel causæ, suæ Iurisdictioni non subjectum Iudicare vellet.

§ Motio Iudicis, seu Appellatio Castrensis, omissô Capitaneô, ad Regni Comitia fiat. Vide in Titulo. APPELLATIO.

MVNIMENTA.

Sigis. Petr. 1523. Fol. 33 POterint tamen & Actores, in faciundis documentis, habere Dilationem: cùm, Citato, idipsum sit permissum.

Qui recipit ad Munimenta, & non probat, causa cadit.

Consvetudo. Folio 123. QVi verò recipit se ad aliquam suam Exceptionem, vel Allegationem probaturum aliquibus munimentis, nec probat: quo lucrari voluit, ipsam causam perdit.

MVTVVM.

Si Cives, Mercatores dant mutuò aliquid.

Kazim. Magnus Vislic. 1368. Folio 16 FInem litibus imponere cupientes, Statuimus: Vt si quis Civis, aut creditor, pannos, aut alias res, seu mercantias, alicui terrigenæ mutuò concesserit: præter literam obligationis, in qua constare posset de debito suo: Civis agens probabit per testes, talem contractum initum secum: & probans Iudicialiter obtinebit. Aliàs Reus negans debitum, per proprium Iuramentum præstitum, ab impetitione agentis, absolvetur.

Qui mutuant, nec habent Inscriptionem, Iuramentô negantis, absolvuntur.

Consvetudo Cracoviæ. Folio 123. ITem: si quis alicui pecuniam mutuaverit: & Inscriptionem non habuerit: citaveritq; mutuarium: tunc mutuarius, aliàs Citatus, Iuramentô præstitô, ab instantia petentis, & debiti petitione absolvetur.

Nobilitatem probare volens, sex testes producat: duos de sua genealogia: & quatuor, ab Avis & matre.

Kaz. Visit. 1368. Folio 16.

NObilitatis stirpes, ex progenitoribus eorum ducunt originem semper, quorum nati progressum de genealogia approbare, eorum fideli testimoniô consveverunt. Si quis itaque dicat, & asserat se Nobilem, aut Illustrem: & cæteris Nobilibus hoc negantibus, asserat se parem: ad probandam suæ genealogiæ Nobilitatem, debet inducere sex Nobiles, viros seniores: duos, de sua stirpe genitos. Et hi duo jurati dicant: Quòd sit eorum frater, & de domo, ac stirpe eorum paterna procreatus, de secunda & tertia genealogia, etiam per duos testes producendo.

Nobilis est, cujus uterq; parens Nobilis ex familia Nobili genitus, juxtaque morem patriæ, inter Nobiles vivit, vel etiam, qui ex patre Nobili, matre plebeia nascitur.

Alexan. in Radom. Fol. 117.

ET quoniam quæstio incidere de genere Nobilitatis, quæ diversô modô à quibusdam interpretari solet, Declaramus: (quantùm ad præsens Statutum pertinet) Eum tantummodo vocari Nobilem, & capacem Dignitatum & Beneficiorum: cujus uterq; parens Nobilis, & ex familia Nobili sit progenitus: & quòd tam ipse, quàm parentes ejus, habitarent & habitant in suis possessionibus, Castris, Oppidis, vel villis: juxta morem patriæ, & consvetudinem Nobilitatis, viventes Legibus & Juribus Regni nostri Nobilium. In quo genere Nobilitatis, eos quoq; Nobiles appellandos censemus: qui licèt matre populari, patre tamen Nobili sunt procreati, quorum tamen parentes, & ipsimet vivant & vixerint adinstar aliorum Nobilium in Regno: (ut supra) & non exercuerint, vel exerceant eas artes, & actiones: quas communiter Cives, & qui in Civitatibus morantur, exercere solent. Per contrarium enim usum, Nobilitas ipsa in popularem & plebeiam conditionem transire solet.

Si improperaverit Nobilis Nobili, asserendo illum esse filium Meretricis.

Kaz. Visit. 1368 Fol. 27

CÙm omnis scurrilitas verborum, & turpiloquium, homines ad rixas provocans, apud virtuosos homines non immeritò debeat evitari: atque (nisi metu pœnæ, quandoq; aliqui prohibentur à talibus, & refrænantur) nequeunt aliàs prohiberi: unde volumus: Vt si quispiam lingvam suam non refrænans, Nobilis Nobili improperaverit, asserens eum esse filium meretricis: & statim non revocat: aut negat, quod dixit: neq; probat eum esse talem, ut asserebat: pro vituperio illius, quem sic vituperavit, ratione pœnæ, solvat 60 Marcas grossorum: veluti ipsum occidisset. Idem dicimus, si matrem ipsius, meretricem nominaverit, nec probaverit, quod asseruit: in similem pœnam ipsum decernimus incidisse,

cidisse, & revocando debet dicere: Id quod sum loquutus, mentitus sum, sicut canis.

Qui vituperat Nobilem, & postea negat, jurabit se non dixisse.

Vigel. Cracovia 1423. Folio 46.

SI quis Nobilis, aut asserens se de Nobili genere procreatum, dicat: quòd aliquis sibi impar existens in generatione, vituperosa verba intulisset; Quòd tunc ille reus, eidem æqualis non existens, & negans se improperationem fecisse, propriô Juramentô, ab increpatione ejus absolvatur.

Nobilitati, kmetho, vituperiô suô nocere non potest: excepto uno casu.

Ibidem

KMetho verò non poterit alicui Nobili, vel pro Nobili se gerenti, Nobilitatem ejus increpare, nisi fortè idem Kmetho audierit, per alium Nobilem ipsum increpatum esse: & ipse se de hujusmodi improperio, minimè expurgavit. Hoc tamen volumus intelligi, de illis Nobilibus: qui ad expeditionem serviunt: & Judiciis Terrestribus subsunt: non autem de illis Nobilibus: qui in Civitatibus residentes, cervisiam propinant: aut fortè alii sunt vagi, in terra nihil habentes: cùm tales teneantur se expurgare.

Nobilis nisi Jure victus fuerit, non captivetur.

Sigis. Aug. Petr. 1550.

CAptivari etiam nullus Nobilium debet, nisi convictus juxta Statuta & Privilegia.

Nobilis prius Jure victi, bona confiscanda

Wladislai Rex, Fol. 48.

UT gratiâ uberiori consolentur à nobis Nobiles, & nos fide & servitiis amplioribus prosequantur, Promittimus: Quòd exnunc & de cætero, nunquam alicujus subditi Regni nostri, cujuscunq; Dignitatis, eminentiæ, statûs, aut gradûs fuerit, bona hæreditaria recipiemus, confiscabimus: recipi, aut confiscari faciemus: nec se de eis per nos, vel Officiales nostros, vel alios quoscunq; homines, intromittemus: vel intromitti faciemus: pro quibuscunq; excessibus, aut culpis, nisi priùs super hoc præcedat Judicium nostrorum: quos ad hoc deputaverimus cum nostris Prælatis, Baronibus: matura cognitio & Sententia sequatur.

Nobiles possunt habere domos in Civitatibus.

Sigis. Aug. Petr. 1550.

QVo Nobiles tantò faciliorem vivendi rationem habere queant: ut eisdem liberum sit, in Civitatibus, areas, domos & promptuaria, aliàs *Spiklerze* extruere, admittimus: ita ut hoc ipsum eisdem negari non possit, tali tamen ratione: ut ne Jurisdictionem civilem devitent: & omnia debita, & onera civilia, ex illis areis & domibus servientia, subeant.

Qui Nobiles capiendi sunt, vel non.

Alexander Radom 1505 Folio 115.

QVanquām propter depravatam adolescentium Nobilium multitudinem: quorum, hâc tempestate, adeò aucta est licentia: ut etiam tanquam prodigiosè istud commissum esset, quòd non posset coerceri eorum temeritas: Constitutionibus antiquis decernentibus, nullum captivandum fore, nisi Iure victus esset: Quapropter innitendo veteri prædecessorum nostrorum instituto, Decernimus: Nullum Nobilem captivandum, qui bonæ esset famæ: nisi prius Iure esset convictus. Non censebitur verò bonæ famæ esse quilibet, ter in Registris Maleficorum descriptus. Is ergo, uti malæ famæ, absq; Iuris processu, præsentis duntaxat Statuti patrociniô capi, detineriq; poterit.

Ad biennium hæc lex prorogatur de suspectis in crimine.

Sigismundus Crac. 1540

IN Statutis Radomiensibus, Statutum de his, qui suspecti fuerint in crimine (qui videlicet ter in Registris maleficorum, reperti fuerint, ut infames esse censeantur) non in perpetuum, sed ad duos annos, robur suum habiturum decernimus.

Eadem ad quinque annos prorogatur.

Sigis. Petr. 1550. Fol. 13

STatutum autem Serenissimi olim Alexandri Regis, de malefactoribus, & prædonibus, sive ipsorum fautoribus, in Radomien: Conventu quondam editum, ab hinc ad quinq; annos exercendum etiam & exequendum, Consiliariis nostris, idipsum svadentibus & petentibus, promittimus, & pollicemur, de quibus etiam Capitanei locorum, nos certiores facere teneantur, Registra examinum nobis tradendo: sub pœna præmissa.

Causam Nobilitatis non Spirituales, sed Iudicium Seculare judicabit.

Bodzanta Episc. Crac. Folio 56.

PRæterea ne propter causam Decimalem, Iudicem Ecclesiasticum, de Nobilitate, Nobilem judicare contingat, Statuimus: Quòd ubi quis Clericus petens Decimam illiberam, ab aliquo, qui se dicit Nobilem, ipsumq; propter hoc ad Iudicium Ecclesiæ revocaret: volumus, ut causa Nobilitatis ejus, vel nobis, vel Officiali nostro per ipsum proposita, clypeôq; suô & parentelâ nominatis, per Nos, vel Officialem nostrum, nullatenus judicetur: sed remittatur ad Iudicium Seculare, ut ibi Nobilitatis quæstione primitus expeditâ, doceatur Ecclesia: quo Iure talis Decima conferri debet, circa solutionem Decimæ prædialis.

§ De violentia, quæ à Nobilibus infertur, Vide in Tit: VIOLENTIA.

§ De vulneribus Nobilium, Vide in Titulo: VULNUS.

§ De libertate à Telonio Nobilium, Vide in Titulo: TELONIUM

§ Nobili, extra metas Regni Expeditionem facienti, quinq; Marcæ, super quamlibet hastam dari debent, Vide in Titulo: BELLUM.

§ Nobilitati, damna extra metas Regni passæ, Rex resarcire debet: Vide in Titulo; BELLUM.

§ Nobiles ad Expeditionem bellicam sunt obligati, & debent servire armati, Vide in Titulo: BELLUM.

NOTARII.

Notarii terrarum, etiam circa positionem Librorum, præsentes esse debent, alioqui, electio ad Palatinum & Nobilitatem, de more devolvitur.

NOtarii Terrestres sint præsentes circa positionem Librorum Terrestrium: & moniti, secus facientes, pœnâ Statuti puniantur: & electio de more, ad Palatinum & Nobilitatem devolvatur. *Sigis. Petr. 1519 Fol. 21*

Notarius cum Camerariis, pro kmethone profugo judicent.

STatuimus: ut pro kmethonibus fugientibus, à die data præsentium, in futurum citentur, qui citandi sunt, ad Iudicia terrarum, in quibus Iudiciis Terrestribus, in primo termino tanquam peremptorio comparere & respondere citati tenebuntur. Et si Termini non celebrarentur tunc, cùm Terminus ipse penderet partibus: nihilominus, non obstante absentia Iudicis, Subjudicis, & aliorum Dignitariorum, Officialiumq;, Iudiciis præsidere solitorum, Notarius & Camerarii, qui interessent positioni Librorum, fugitivi Iudicium judicabunt, sententiabuntque. *Ioan. Alberti Folio 98.*

Bonorum exemptiones etiam Notarius cum Camerariis judicabit.

EAndemq; authoritatem, in absentia Iudicis & Subjudicis, habituri sunt, in causis, Citationumq; Terminis, pro bonorum exemptionibus præfixis: sic, ut redempturus bona, pecunias coram Notario, & Camerariis reponat: quas Notarius ipse cum Camerariis, decernat recipiendas, & exemptionem faciendam. Quorum decreto si fortasse renitetur eximendus, & de obligatione cedere nollet: nihilominus ipsi cum Libro, Iudicio præsidentes, pecuniis juxta tenorem obligationis receptis, ad Cancellariamq; Terrestrem repositis, decernant exemptionem factam, ita quoq; exempti possessionem assignandam, eamq; juxta formam Iuris, assignabunt parti, pecunias reponenti. *Ibidem.*

Vt judices, ita Notarii eligantur.

VAcante autem Notariatu terrarum, in qualibet terra, terrigenæ illius terræ, ubi Notariatus vacat, in Conventione Terrestri nominabunt quatuor personas idoneas, pro eodem Officio aptas, prout de Iudicibus, & Subjudicibus, servari solitum est, ex quibus quatuor, sic nominatis personis, uni illorum conferemus Notariatum, ad placitum nostrum. *Kazimirus in Nieszowa & Opoki, 1454 Fol. 94*

Ex Spiritualibus neq; Notarii, neq; Vicenotarii sint.

PEtitionibus Nuntiorum Terrestrium permoti, & ad sopienda odia, (quæ adversus Ecclesiasticos viros, ob quorundam insolentiam, apud Seculares excitari contingit) Statuimus: Vt Ecclesiastici viri. Beneficiati aut *Sigis. Petr. 1538. B 4*

ti aut Sacerdotes, non se immisceant deinceps Iudiciis Secularibus: neque Officium Notariorum, aut Vicenotariorum, in Secularibus Iudiciis obeant, ad quæ, per Iudices Terrestres non admittantur.

Sigis. Aug. Petr. 1550 § SIMILIS. Quia quodlibet Officium habet sua negotia: ideo Spiritualis Persona Notarius Terrestris esse nequit.

Notarii quoq; electi, coram Palatino aut Castellano jurent.

Sigis. Petr. 1519. Fol. 24 TErrestres Notarii sint jurati: & in primis Terrestribus Terminis, Iuramentm præstent: sub pœna privationis Officii: videlicet coram Palatinis suis, aut Castellano illius terræ.

Sigis. Crac. 1532. B 1. § SIMILIS. Notarii Terrestres sint jurati: juxta tenorem Statuti, super eo conditi.

Iuramentum Notarii.

EGo A Iuro, quia justè secundùm Deum, Ius scriptum, æquitatem, & partium controversias, judicabo, consulam Iudici, fideliterq; partium recognitiones, controversias, affectationes, seu protestationes Iuridicas, vel Iudicis decreta, in librum Actorum terrestrium inscribam, & inscribi curabo, divitis & pauperis, amici, & inimici, Civis & peregrini, discrimine sublato. Et neque favorem, neq; odium, neq; præmium, neq; pœnam mihi propositam curabo: sed in judicando, consulendo, & scribendo, solum Deum & justitiam sanctam, & æquitatem, partium recognitiones, Controversias, ac Iudicis sententias, in hisq; omnibus judicium conscientiæ meæ, sequar, & audiam: aliaq; negotia mihi incumbentia, fideliter & pro posse meo peragam. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Crux Christi.

Notarii per se in Iudiciis resideant.

Wladisl. Iagello Iedlnæ Folio 52. ITem Notarii Terrestres, ad officium Notariatûs promoti, semper soli Iudiciis, & non per alios, vel subscribas, vel surrogandos resideant: ubi commodè poterint, aliàs liceret habere eis substitutos: quos Baronibus, Iudicibus Terrarum, in quibus officium hujusmodi possident, substituendos præsentare teneantur: & quòd tales sunt bonæ famæ: & à dictis Baronibus, & Iudicibus, ad Officium hujusmodi approbati. Aliàs nobis, continuò, hoc ipsorum Officium, aliis habilioribus, & magis assiduis est conferendum. Nulla autem levis causa, absentiam Notariorum poterit excusare.

Notarii Vicenotarios habere possunt circa se: sed ipsi Literas subscribant.

Sigis. Crac. 1532. B 1. NOtarii Terrestres, officia illis incumbentia diligenter curent: & per semetipsos expleant. Notarios tamen Terrestres substitutos seu Vicenotarios, qui in scribendo duntaxat illos adjuvent, habere permittimus, hôc expressô: ut ipsimet, præsentiâ suâ, tam Iudiciis Terrestribus, quàm

quàm repositioni Librorum, & aliis Iuridicis actibus interfint: & literas, & Rescripta quæcunq;, ex Actis Terrestribus, in pergameno & papyro extradenda, manu sua subscribant.

Pœna absentis Notarii: nisi absit ex causa.

QVia inanimadvertentiâ Notariorum, multæ negligentiæ fiunt: itaq; revocantes antiqua Statuta, Constituimus: ut soli Notarii, Iudiciis assideant: & litigantium causas absolvant: non per suffectos vicarios. Quodsi in eo negligentes fuerint: Palatini, terrarum Nobilitati, diem novæ electioni præstituere tenebuntur, ad alig ndum novum Notarium, exceptô, si Notarius Reipubl. causâ sit occupatus: vel ægrotet. *Sigis. Aug. Petr. 1550.*

Neque Notarii, neq; Vicenotarii causas procurent.

PRæcavendo difficultatibus hominum, prohibemus: Ne ullus Notarius, & Vicenotarius, apud Iudicium, circa quod residen in Officio, causas ullas procurent. *Sigis. Aug. Petr. 1550.*

Quæ est Notarii & Camerariorum potestas: absente Iudice.

TErminos verò ac eorum Iudicia, Statuimus in terris & districtibus singulis, sic: ùt consveverunt, teneri, celebrarique. At ubi pro aliqua vice celebrari non possent, pro qua celebranda erant: nihilominus pro eisdem, die, & loco, prout in quibus ipsa Iudicia fieri consveverunt, volumus & decernimus, ut toties, quoties Iudicia celebranda erant, adminus Notarius Terrestris, personaliter (sub câdem pœnâ, per eum, si secus fecerit solvendâ, quam ad Iudicem, & Subjudicem absentes, constituimus) unà cum Camerariis (si cæteri Officiales venire non possent) constituatur, cum Libris Iudiciorum. Coram quibus, Notario & Camerariis, homines ad Librum venientes, Inscriptiones facient in Libro: aut describant, prout cuilibet inscribendi vel describendi, necessitas incumbet. *Ioan: Albert. Petr. 1496. Fol. 97.*

Cùm aliquis redarguit sententiam Notarii.

CÙm aliquis arguit, aliàs *nàgàni* sententiam cuilibet Notario Terrestri, pelliceas vulpinas, absq; omni contradictione, & antequam ad aliquam audientiam admittatur, dare & satisfacere teneatur: *Kazim. Magnus Vislic. 1368 Folio 28.*

Si Notarius inscribere nollet.

QVodsi Notarius Terrestris, inscribere in Acta Iudiciaria, ea, quæ Iudex cum Subjudice decernendo præceperunt, noluerit: vel ipse Notarius, rebelliter de sede Iudiciaria abiêrit, acticare nolens ea, quæ ad officium ejus pertinebant: per quod, partibus aliquid poterit præjudicari: talis Notarius, per Iudicium Regiæ Majestatis, delatus, privatione sui officii, punietur. *Sigis. Petr. 1523 Fol. 38*

§ De Salariis Notariorum, ab Inscriptionibus, Vide in Titulo: SALARIA COLLEGARUM IUDICII.

NUNTII.

Qui, quales, & quot Nuntii Nobilitatis, ad Conventum sunt mittendi.

Sigis. Crac. 1540. Cùm cerneremus numerum Nuntiorum Terrestrium, qui ad Conventum generalem destinantur, eousq; processisse: ut thesaurus Reipubl, in illos necessariò plus æquò gravaretur: & magna pars Contributionum publicarum, in illos expenderetur, defensioq; Reipubl., per hoc minueretur: ac item omnes tractatus & actiones in Conventibus necessariò cum illis agendæ, in longum traherentur, propter numerosam illorum multitudinem, quorum plerique in hoc munus sese ingerunt: ut actiones, causas Iudiciarias, in Iudiciis, & negotia privata, quæ in Conventibus eis incumbunt, possent commodiùs peragere) propterea Consiliariis nostris censentibus, in præsentia Nuntiorum Terrestrium, ante conclusionem Conventûs præsentis, edici fecimus: & hac Constitutione nostra decernimus: Vt in Conventibus particularibus, Nuntii ad Conventum generalem non plures eligantur, quàm olim eligebantur, regnantibus feliciter prædecessoribus nostris. Quodq; nullus Nuntiorũ eligatur, qui causam & actionem Iudiciariam, in Conventu agendam haberet. Per hoc enim & Iudicia Conventionalia interturbantur: & tractatus Nuntiorum, plerùmq; intermittuntur: cùm utriq; negotio simul satisfacere non sufficiant.

Pœna à Sigismundo Rege statuta, contra violatores Consiliariorum & Nuntiorum, ad Conventus publicos, sive ex illis proficiscentium, sive in eisdem commorantium: quod etiam de violatoribus Iudicum Ordinariorum, sive Commissariorum, est intelligendum.

Sigismundus Crac. 1510 Folio 13. ITem contra eos, quorum licentia eousq; progressa est: ut ita promiscuè, sive in viis publicis, sive in villis & oppidis, non solùm privatas, sed etiam publicas personas violare non formidant: Itaq; talium hominum insolentiam cohibere & coercere volentes, cum consilio omnium Regni Consiliariorum, Statuimus & decernimus: Vt quicunq; Prælatos, Barones, & Consiliarios Regni, statûs cujuslibet, & item Nuntios, sive nostros, sive Terrestres, nostra ac Reipubl. negotia obeuntes, ad Conventus publicos, sive Terrestres, sive Generales, proficiscentes, in eisdem Conventibus manentes, sive ab eisdem, in domos suas redeuntes, quatuor septimanis ante Conventus, & pòst, aliis quatuor septimanis, sive in viis, sive in villis, & oppidis, quoquomodo invadere & violare ausus fuerit: crimine læsæ Majestatis reus judicabitur. Idem verò de his, qui in Iudiciis, sive Ordinariis, sive Commissariis, Commissarios, Iudices, vel Officiales, publica officia exercentes violare præsumpserit, taliter erit intelligendum, ut, ejusdem criminis læsæ Majestatis obnoxii judicentur.

NUNDINÆ.

Nundinæ in Polonia per Germanos instituendæ.

SIgismund is, universis subditis nostris, cujuscunq; statûs & conditionis fuerint, in Regno nostro ubilibet existentibus. Sincerè & fideles dilecti, non incognitum est vobis: nos, propter varias & multiplices injurias, & gravamina, quæ ex Silesia & Marchia, Regno & subditis nostris inferuntur, omnia itinera in ipsam Silesiam & Marchiam, de consilio universi Senatûs nostri, & instantia regnicolarum nostrorum, ad decennium, à Festo Resurrectionis Domini proximè futurô computando, inhibuisse: simul ac vobis strictissimè mandâsse: ut hôc totô decenniô, nemo vestrum auderet, illuc in Silesiam & Marchiam, res & merces aliquas, tam grandes, quàm exiguas, cujuscunq; qualitatis fuerint, (præterquam sal nostrum) vehere & inferre: sed nec ad alias quascunq; remotiores partes, easdem res & merces, de Regno nostro, per ipsam Silesiam, aut Marchiam ducere: & boves etiam, ad alia aliqua bona, extra ipsum Regnum nostrum (præterquam ad ea, quæ per nos designarentur) quovis modo, prætextu, vel colore pellere præsumeret: nedum sub amissione ipsorum boum, & mercium: verùm etiam omnium bonorum suorum confiscatione. Proinde cùm ipsum festum Resurrectionis Domini, jam appetat, à quo executio ejus inhibitionis, ac edicti nostri, inchoari debet: Consulere volentes, tam subditorum nostrorum, quàm etiam hominum externorum commoditati: Nundinas, seu fora annua publica, pro vendendis & emendis bobus, in Oppidis Regni nostri infrascriptis, & finibus ejus existentibus, locò Nundinarum, in Germania & Silesia priùs agi solitarum, designandas & instituendas duximus: designamusq;, ac instituimus præsentibus nostris literis: Videlicet in Maiori Polonia, & Oppido Srzem, quatuor fora annualia: primum scilicèt pro festo S. Erasmi, locò Nundinarum in Budsthet, pro festo S. Ioannis Baptistæ agi solitarum. Secundum pro festo Visitationis glorioſissimæ Virginis Mariæ, locò Nundinarum Herfordiensium: pro festo S. Iacobi celebrari consuetarũ. Tertium pro festo S. Laurentii, locò Nundinarum in Gervasth, pro festo S. Bartholomæi, teneri consvetarum. Et quartum pro festo S. Hedvigis, locò aliarum Nundinarum Budstheten: pro festo Omnium Sanctorum, institutarum. In Minori verò Polonia in Oppido *Krzepice:* similiter alia quatuor fora annualia, pro ipsis etiam bobus vendendis & emendis, instituimus. Primum pro feriâ secundâ proximâ post festum Ascensionis Domini, pro Nundinis in *Brzeg*, pro festo Sanctæ Trinitatis, teneri consvetis. Secundum pro festo Divisionis Apostolorum, locò Nundinarum in *Nissa*, pro festo S. Iacobi agi solitarum. Tertium pro festo S. Augustini, locò aliarum Nundinarum in *Brzeg*, pro festo Nativitatis Sanctæ Mariæ, institutarum. Et quartum pro festo S Francisci Confessoris, pro Nundinis in *Swidnicâ:* ad festum S. Galli agi solitis, quo, locorum & viarum compendiô & pascuorum copiâ, quæ circa duo prædicta oppida,

major, quàm alibi ſuppeditari fertur, poſſint faciliùs, tam ſubditi noſtri, ad pellendos illuc boves, quàm etiam ipſi homines externi ad eos, in eiſdem locis emendos, ac inde commodiùs expellendos adhortari. Conſervantes nihilominus, prout conſervamus præſentibus, in robore ſuo omnia alia, & ſingula fora in illis Civitatibus, & Oppidis Regni noſtri, aliis quibuſcunq; temporibus in venditione & emptione ipſorum boum, dudum agi & celebrari ſolita, inhibentes præſentibus: ne quiſquam cujuſcunq; ſtatûs, conditionis aut præeminentiæ exiſtat, ad alia remotiora loca, extra Regnum noſtrum, boves ipſos pellere præſumat: ſub pœna ſuperiùs expreſſa, & graviſſima indignatione noſtra. Ne autem de præfatis Nundinis in Oppido *Srzem*, quater in Anno, in *Krzepice* tot etiam vicibus, pro emendis, & vendendis bobus, per nos inſtitutis, nundinis in Germania & Sileſia priùs celebrari ſolitis correſpondentibus, quiſpiam ſuam ignorantiam prætendens, pœnam eandem incurrat: Mandamus vobis. Locorum Capitanei, ac Civitatum & Oppidorum Proconſulibus, & Conſulibus: ut eas ipſas Nundinas, diebus forenſibus, ac feſtis, circa Eccleſias Parochiales, per publicas proclamationes, ad univerſorum & ſingulorum, quorum intereſt notitiam, deduci faciatis, pro debito officii veſtri, & gratia noſtra, aliter non facturi. Datum Cracoviæ feriâ quartâ proximâ poſt Dominicam Palmarum, Anno Domini 1524. Regni noſtri. Anno 18.

Palatini provideant: ut omnes res liberè, per talenta & ulnas, in Nundinis Civitatum vendantur: Privilegiis Poſnanienſium, aliorumve non obſtantibus.

Sigiſ. Crat. 1507. Fol. 6 LIcèt Privilegia, Civitatibus & Oppidis, pro Nundinis habendis, dari conſveta, liberam facultatem contineant mercandi, vendendi, & emendi: tamen quia delatum eſt ad nos, per querelas ſubditorum: quòd non obſtante eadem libertate, Mercatores Poſnanienſes prohibere conſveverint: ne tempore Nundinarum, externi Mercatores, & qui non ſunt Cives Poſnanienſes, minutim, ac per talenta & ulnas, merces ſuas venderent: conſiderantes hoc fieri in præjudicium Privilegiorum Regni, pro eiſdem Nundinis dari conſvetorum, Statuimus inhibentes: Ne in futurum, per eoſdem Cives Poſnanienſes, aut quoſcunq; alios, libertas eorundem Privilegiorum impediatur: dantes facultatem Negotiatoribus, ad fora & Nundinas venientibus, negotia exercendi, merceſq; ſuas vendendi, ad libras, talentum, & ulnas: & prout poterint, quod ut obſervetur inviolabiliter, ipſis Palatinis providendum committimus.

In Nundinis etiam Leopolien. Lublinen. Poſnanien: & Warſavien: aliſque, liberaſit omnium rerum, per talenta & ulnas venditio: ſub pœna centum Marcarum.

Sigiſ: Petr. 1538 A 6 INnitentes priori Statuto, Decernimus: Vt libera ſit venditio rerum omnium, per talenta, & ulnas, in Nundinis Civitatum, & Oppidorum: præſertim in Leopolienſi, Lublinenſi, Poſnanienſi, & Warſavienſi, Civitatibus

tatibus: & in aliis omnibus, in Regno conſiſtentibus. Quodſi Civitates ipſæ, præmiſſis contravenerint: citatæ ad præſentiam noſtram, præmiſſorum occaſione, ubicunq; fuerimus conſtituti, peremptoriè, in pœnâ centum Marcarum (ubi aliquâ earundem, ad minùs tribus teſtibus convicta fuerit) irremiſſibiliter eandem condemnabimus, cujus medietas pro fiſco noſtro Regio: altera verò pro parte inſtigante, ſpectare debet. Hujuſmodi verò libertas incipere debet, à proximô feſtô S. Ioannis Baptiſtæ.

OBLIGATIO BONORVM.

Modus obligatoriæ Præſcriptionis interrumpendæ causâ eximendorum obligatorum bonorum.

SI verò aliquis dedit bona quædam hæreditaria, in obligationem, ſeu pignorationem: volumus & Decernimus: Quòd idem ſic obligans, aut eo deficiente, ejus conſanguinei, aut proximiores in gradu, coram Iudice noſtro, ſi ſaltem ipſius præſentiam habere poterint) vel in Parochia illa, ubi pignorata illa hæreditas ſita eſt, aut præſertim in colloquio generali, faciat fieri publicè, ſemel ad minùs in anno, unam proteſtationem: ad denuntiationem illius obligatæ hæreditatis: nomenq; & ſummam pecuniæ, pro qua impignorata extat: exprimere faciat. Qua proteſtatione ſic factâ, & denuntiatione, dictus obligans, aut proximiores ejus in gradu, (ut præmiſſum eſt) infra triginta annos, redimendi & liberandi prædictam hæreditatem, plenam & liberam habeant facultatem. Quodſi non curaverint, vel neglexerint, per continuos quindecim annos, dictam facere Proteſtationem: ab omni Iure hæreditatis ſic obligatæ, ſentiant ſe cecidiſſe. *Kazim. Magnus Viſlic. 1368. Folio 18.*

§ SIMILIS. Quamvis Præſcriptio poſſeſſionis, ſive hæreditatis, in pecuniis obligatæ, ſeu impignoratæ, in quibuſdam literis noſtris, ad decemocto annos ſervabatur, & currebat: quibus tranſactis, eadem poſſeſſio per mutuatorem pecuniæ, ſolebat perpetuò obtineri: viſum tamen fuit Nobis, & noſtræ Militiæ, æquum conſonumque rationi: quia talis brevis Præſcriptio, non ſine pacto fuit obſervata. Vnde exnunc Statuimus, in præfatis obligationibus, Præſcriptionem triginta annorum eſſe obſervandam, quibus infra quinquennium, aut decennium, vel cùm ſibi placuerit, coram Iudicio, in actis, ſuam Obligationem poterit innovare. *Wladislai Iagel. Cracov. 1423. Folio 44.*

Si quis in foro Spirituali obligat ſe: pareat.

ETiam ad forum Spirituale pertinet, eorum Iudicium: qui ſe ſua ſponte, in Spirituali Iure obligant, & inſcribunt.

§ Obligare Sculteti, Advocati, Molendinatores non poſſunt Scultetias, Advocatias, Molendina, ſine conſenſu Dominorum. Vide in Titulo: MOLENDINUM.

OBSTACVLVM.

§ Vide in Titulo: FLUMEN.

OFFICIVM CASTRENSE.

Officium Caſtrenſe in quibus cauſis debet ſemper eſſe paratum?

Sigiſ. Petr. 1523. Fol. 36 DEbebit autem Officium Caſtrenſe, unicuiq; ſemper paratum eſſe, in recenti crimine, in miniſtranda Iuſtitia, & exequenda re judicata: exceptis duntaxat feſtis ſolennioribus, & diebus Dominicis: non expectatis Terminis Caſtrenſibus, quæ cauſæ non debent differri ad Terminos Caſtrenſes: ſed ſine celebratione Terminorum debent exequi.

Motio Officii, quæ libera eſt unicuiq; gravato, ad R. Majeſtatem ſit ſimpliciter.

Sigiſ. Petr. 1538. B 3 AB officio verò, in cauſis Officii, ſimpliciter ad nos Iudex Caſtrenſis moveatur.

In Majori Polonia, Tenutarius bonorum, etiam coram Iudicio vel Officio Caſtrenſi convenitur.

Sigiſ. Crac. 1540. COnſiliariis, Nuntiiſq; Majoris Poloniæ terrarum, nobis recenſentibus, in terris illis veteri conſvetudine receptum eſſe, itaq; ſemper obſervatum: ut ad redimenda bona reemptitia, ſeu obligata, aut reformata, ad Iudicium ſeu Officium Caſtrenſe, unicuiq; liceat citare bonorum hujuſmodi poſſeſſorem: ad tollendum pecuniam, & de bonis cedendum: nihilominus tamen pleroſq; conſvetudini hujuſmodi reluctari: & cavillis, ac exceptionibus variis, in poſſeſſione bonorum redimendorum, ſeſe confovere: Proinde univerſis Conſiliariis, & terrarum Nuntiis Regni noſtri cenſentibus, Statuimus: Vt conſvetudo illa in omnibus, & per omnia obſervetur: vimq; Statuti obtineat: liceatq; bona ſua cuilibet redimere volenti, ipſorum poſſeſſorem, ad tollendam pecuniam, ad Iudicium ſeu Officium Caſtrenſe citare: Citatuſq;, pecunias teneatur recipere, forum Caſtrenſe non declinando.

§ Officium Caſtrenſe, pro expulſione de bonis, judicabit. Vide in Titulo. RESTITUTIO IN BONA.

OFFICII CAVSÆ.

Cauſæ Officii, ad Regem per Motionem devolutæ, citò expediantur: neq; cum terminis Regalibus, ſuſpendantur, quorum ſuſpenſio publicari debet.

Sigiſ. 1540. IN gravamen ſubditorum noſtrorum maximum fieri cenſentes: ut cauſæ Officii, ſeu ad querelas ad Tribunalia Capitaneorum Regni noſtri deductæ, & deinde ad nos per viam Motionis ſeu Appellationis, devolutæ, cum Terminis noſtris Regalibus generaliter ſuſpenderentur: (ut pote quia celeri expeditione indigent: ne eorum, qui de injuria queruntur, juſtitia

juſtitia differatur:) Statuimus, Conſiliariis & Nuntiis terrarum ita petentibus: Vt hujuſmodi cauſæ Officii, ſeu ad querelas ab Officio Caſtrēſi ad nos devolutæ, nunquam deinceps cum aliis cauſis differantur ad Terminos noſtros Regales: verùm iiſdem diebus, quibus Terminus ex Motione & Appellatione aſſignatus ceciderit, judicentur & expediantur: dilatione generali Terminorum noſtrorum Regalium non obſtante. Hoc etiam adjicientes: ut ſuſpenſio generalis Terminorum noſtrorum Regalium, ita publicetur univerſis ſubditis Regni noſtri: ut ad illorum notitiam indubitatam deveniat, ne, de illa ignorantes, ad Tribunal noſtrum fruſtra fatigentur, laboribus & impenſis ſeſe gravando.

Cauſæ officii debent conſervari in ſuis conſuetudinibus.

CAuſæ Officii debent in ſuis Conſvetudinibus conſervari, & Motio ad nos in illis fieri. Quodſi tùm à Regno abfuerimus: etiam ad Colloquia, cum negotio principali eas devolvi volumus. Sigiſ. Crac. 1543.

§ Officii cauſæ, diſtrictum non habent. Sigiſ. 1511. Folio 18.

PABVLA.

Nullus Pabula pro equis in via, hoc eſt, in villis, tabernis, aut in locis ſolitariis, violenter recipiat: aut ad vendendum cogat nolentes; quin unuſquiſq; reſua, pro libito ſuæ voluntatis utatur.

CÙm itaq; omnis violentia, non immeritò variis Iuris ſanctionibus prohibeatur & coerceatur: Majeſtas igitur Regia, æquum cenſuit, ſubditorum commoda in his præſertim providere. Statuimus ideo: ut tranſeuntes per viam, ad Dominos ipſorum, vel in propriis etiam negotiis procurandis, ſive ſint Principes, Milites, aut alterius ſtatûs, & cujuſcunq; conditionis homines exiſtant, pro ſe, expenſas, aut pabula equorum, in villis, tabernis, aut locis ſolitariis, non recipiant: aut aliquam vim inferant, vendere nolentibus, aut à venditione ſe trahentibus: ſed unuſquiſq; liberè utatur re ſua, pro libito ſuæ voluntatis. Kazim: Magnus Vislic. Folio 39.

PALATINI.

De Iudicibus Palatinorum.

ITem: ut Palatini certô numerô ſuorum Iudicum ſint contenti, Statuimus: Quòd ſecundùm tempora antiquiora, Palatinus Sandomirienſis uno, & Palatinus Cracovienſis, pariter uno, ſuis Iudicibus contententur, declarantes; Quòd pro capite quolibet, Caſtellanorum Iudices, quilibet in ſua Caſtellania, judicandi & cognoſcendi habeant facultatem. Kazimirus Vislicia 1368 Fol. 11

Duo Camerarii, Palatini & Succamerarii, Iudiciis particularibus olim præſidebant.

Iagello Cracov. & Varsæ 1423. Fol. 45.

IN Terminis particularibus, Camerarii Iudicum, & Subjudicum, alii duo Camerarii, videlicet Palatini, & Succamerarii, eligendi per eosdem, ad illos adjungēdi, sine quibus Iudex, & Subjudex, & Camerarii eorum, non habeant judicandi facultatem. Prædicti etiam Camerarii, seu Officiales Iudicii, sic locandi, non debebunt alias causas, nisi proprias procurare: vel ad procurandum, se de Iudicio levare.

Palatinis, eorumve Camerariis redargutis quid debetur?

Kazim. Magnus Vislic. Folio 28.

CÙm aliquis arguit, aliàs *nágáni* sententiam Palatini: cuilibet Palatino pelliceas mustellinas: Camerariis autem istorum, & aliorum omnium nostrorum Dignitariorum, per sex Scotos, absq; omni contradictione, & antequam ad aliquam audientiam admittatur, dare & satisfacere teneatur.

Palatini soli habent Ius creandorum Ministerialium.

Kaz. Visit. 1368 Fol. 32

HOc etiam specialiter declaramus: Quòd Officiales seu Ministeriales, aliàs *Służebniki*, nullus nisi Palatinus instituere, & eos judicare, proq; afflictione aut vulneribus, vel capite eorundem, pœnas exigendi & levandi, omnimodam habeat potestatem.

Palatini in Capitaneos non constituantur.

Kazimirus in Niessowa & Opoki 1454. Fol. 92

ITem: cùm singula officia suis actibus sunt deputata, Poll.cemur: Quòd in nullis terris Regni nostri, Palatinum, aut Castellanum, in Capitaneum præficiemus: præter Capitaneum Cracovienſem.

Pretia rerum ex æquo bono moderentur Palatini.

Kazim. in Korczyn. 1447. Fol. 88

ITem: plerùmq; Civitatenses & Oppidani mercatores, & artifices, Nobiles & advenas, per inordinatam venditionem consveverunt gravare, & opprimere: ideo Statuimus: Quòd Palatinus cujuslibet terræ, habeat facultatem hujusmodi immoderatam venditionem moderandi, & ad bonum ordinem ponendi, & constituendi.

Cives renitentes ordinationi puniantur.

Idem Rex Folio 88.

ITem: si Civitatenses & Oppidani, aliquo decreto in Statuto Palatini, contrarios & inobedientes se exhibuerint: hujusmodi Palatinus habebit facultatem, renitentem suo statuto & ordinationi, puniendi, mutilandi, juxta antiquam consvetudinem.

Mensura, pretia, ac modus vendendi, constituatur per Palatinos.

Idem Rex in Nieszowa. 1454. Fol. 95

ITem Volumus: Vt quilibet Palatinus, in suo Palatinatu habeat potestatem, in singulis Civitatibus, artificibus quibuscunque, etiam pincernis, certam mensuram & modum vendendi res suorum artificiorum, constituere, ne terrigenæ nostri, & eorum homines, eorum venditionibus aggra-

graventur, quodq; præfatus Palatinus, annis singulis tenebitur facere, sub pœna magna Regali, in terris singulis consveta contra non facientes, per nos statuenda.

Pretia & mensuræ rebus venalibus constituantur: & Fraternitates artificum ne sint.

Ioan. Albert. Petricoviæ Folio 105.

ITem: quemadmodum Rex Wladislaus prædecessor noster, in Conventione Vartensi, recensendo artis mechanicæ homines, venditione rerum non ex æquo utentes, Legem desuper instituit singularem: sic Nos scientes, rationabiliter atq; consultò factam Constitutionem illam, decrevimus approbandam, & ratificandam: approbamusq; & ratificamus: Statuentes: Quòd Palatini terrarum, in singulis Palatinatuum suorum terris, ascitis sibi Capitaneis locorum, & Dignitariis, quos commodè habere poterint, singulis annis, & certis diebus, tam frumentorum, quàm pannorum, & aliarum rerum terrestrium, quæ ad fora per kmethones ducuntur, & quæ in Regno nostro inveniuntur, pretia atq; mensuras indicere, instituere, moderari, & erigere debeant secundùm Consvetudinem antiquam: providendo, ne circa easdem mensuras, & pretia, fraudes committantur, quodq;, juxta illud, mechanicorum, Kazimiri Statutum, Fraternitates destruantur. Si tandem Palatinus ipse, aut aliqui Palatinorum nostrorum, illius antiqui atq; præsentis Statuti nostri executionem facere postposuerint: & in videndis, instituendisq; eisdem pretiis, negligentes aut incurabiles fuerint: seu aliquis eorum fuerit: extunc talis negligens Palatinus, pro pœna suæ hujusdem negligentiæ, equum ambulatorem nobis dare debeat, & tenebitur toties, quoties negligentiam in præmissis commiserit, eâdem pœnâ per nos successoresq; nostros puniendus.

Palatinorum Constitutiones, Capitanei exequantur.

Alexander Folio 111.

DIgnitarii & Officiales, sua noscant Officia. Si verò quibus incognita sunt: à Regali Majestate, & Dominis doceantur: eademq; tam domi, quàm in bello debitè exerceantur, ne per quempiam, commodô suô fraudentur Regnicolæ: defectuq; ordinis, gravaminibus mechanicorum, & monopoliis mercatorum graventur. Et quicquid Palatini ex Officio constituerint, præsertim in Civitatibus: id Capitanei ex Officio exequantur: sub pœna amissionis Officii, si autem obligatorius esset: centum Marcas de inscriptis summis amittat toties, quoties negligens convictus fuerit.

Pretia rebus venalibus, adinstar externarum gentium constituantur.

Alexand. in Radom 1505 Folio 118.

QVamvis de pretio & valore rerum venalium, satis supèrq; constat scriptum esse & in nostris superioribus, & Antecessorum nostrorum Privilegiis, tamen cùm fortasse per negligentiam non fiat executio decretorum: idcirco Nos iterum, iterumque decernimus & Statuimus:

Quòd Palatini, in ſuis Palatinatibus, pretia mercantiarum, & rerum venalium conſtituent: perdiſcentq; veris teſtimoniis,& documentis, pretia rerum: qualia ſint in partibus externis, unde adducuntur, & juxta hoc etiam conſtituent, juſta æſtimatione facta. Contumaces verò, & contemptores hujuſmodi conſtitutionum, per Palatinos factarum, puniantur pœnâ amiſſionis mercium.

Palatino, Conſules aſſiſtant: & illius Conſtitutiones exequantur.

Sigiſ. Crat. 1507. Fol. 4 NE Conſules Civitatum, & reliqui Cives, negligentes & inobedientes ſint, in exequendis Conſtitutionibus ſuper pretiis rerum venalium factis & fiendis, Statuimus: ut iidem Conſules & Cives, Palatinis, per quos pretia mercium, & rerum reliquarum, impoſita fuerint, vel imponentur, aſſiſtentiam facere teneantur: & executioni auxilium præſtare: quoties opus fuerit. Quodſi ſub quovis colore facere neglexerint: pro quolibet exceſſu, pœnâ centum Marcarum pecuniarum puniantur, cujus tertiam partem Palatino, reliquas duas pro Nobis reſervamus.

Palatini provideant: ne in menſuris,& pretiis, homines graventur, alioquin, Palatinus puniet Cives. Si verò ipſemet Officium ſuum facere neglexerit: centum Marcis à Rege puniatur.

Sigiſmundus Crac. 1510 Folio 9. QVerelis cõmuniter omnium ſubditorum noſtrorum, finem imponere volentes, Decernimus, & authoritate noſtra mandamus: Vt Palatini, officia ſua exerceant circa artificia ordinanda, Statuto veteri innitendo: & in aliis rebus, ad ſuum officium pertinentibus, communi utilitati, & juſtitiæ provideant: ne in menſuris, & pretiis, homines graventur: & ne Iudicia, ipſis non curantibus, cum detrimento communis juſtitiæ, temporibus debitis negligantur. Qui quidem Palatini, formam artificibus, rei fiendæ, & pretium imponere debent. Si quis verò aliâ inuſitatâ formâ, res mechanicas habere voluerit: eas ſic ſolvet, ut cum artifice convenire poterit. Hæc autem Conſtitutio non ſolùm in noſtris Civitatibus, & Oppidis: ſed etiam in omnium Spiritualium, cujuſcunq; ſtatûs & conditionis exiſtant, per Palatinos fieri debet, facta verò, per Conſules Civitatum & Oppidorum ſervari, cuſtodiri, & exequi debet. Qui quidem Conſules, tranſgreſſores, quatuordecim Marcis punient, Palatino ſolvendis. Palatinus autem, Conſules, officium negligentes ſibi commiſſum, toties, quoties deliquerint, centum Marcis puniet, quarum duas partes fiſco noſtro applicamus. & tertiam partem Palatino damus. Vbi verò Palatinus deliquerit, & officium ſuum qualecunq; neglexerit: promittimus ipſum puniendum centum Marcis, fiſco noſtro applicandis: quoties de hoc compertum habuerimus.

Palatini, officia ſua, in conſtituendis rebus venalibus, diligenter exerceant: præſertim ingruente belli neceſſitate.

Quia

Sigiſ. 1523 Folio 28. QVia mercatores, artifices, & alii, qui rebus ad uſum humanum neceſſariis mercantur, eas ipſas res, pro arbitrio ſuo, & hominum neceſſitate, præſertim ingruente expeditione bellicâ, plùs æquô æſtimare & vendere ſolent: in magnum Nobilium, & totius populi gravamen: Volumus, ut Palatini officia ſua, in conſtituendis rebus venalibus, diligenter, juxta vetus Statutum, exerceant, quos Capitanei locorum, in eiſdem officiis obeundis, minimè impediant: ſed illos omni ope ſua adjuvent. Vtq; ipſi Palatini ita pretia rebus imponant: ut non pluris vendantur poſt emiſſas literas reſtium: quàm alias, per mercatores & artifices vendi conſveverunt.

Itaque de Palatinorum, Vicepalatinorum, & Civium negligentia ſuper taxatione rerum, ſic ſtatuitur.

Sigiſ. Petr. 1538 A 5 COnſentientibus Regni noſtri Ordinibus, Decernimus: Vt de rebus, in Civitatibus & Oppidis, taxandis, Palatini ipſi diſpoſitioni Statutorum omnino ſatisfaciant: &, quam hactenus admittebant, nullam deinceps in hoc committant negligentiam. Nam alioqui liberum erit unicuique, negligentiam Palatini nobis deferre. Vbi verò, ignorante Palatino, per negligentiam Vicepalatini, taxatio rerum prædictarum intermitteretur: Palatino debet deferri Vicepalatini negligentia. Verùm ſi Palatinus ſciens ejuſmodi negligentiam committi, officium ſuum in ordinem non redegerit: reſq; non taxaverit, pretiô illis conſtitutô: citatus ex officio peremptoriè, pœnam centum Marcarum pecuniæ, luere debet, cujus medietas pro fiſco Regio, alia verò, pro parte inſtigante, ſpectare debet.

Idem Rex anno eodem Vbi verò Conſtitutioni Palatini, Cives vel Oppidani quicunq; contravenientes, plus ab aliquo emente extorſerint: citati pro hac injuria, ſi erunt Civitatum noſtrarum incolæ, ad Palatinum loci illius, vel ejus vices gerentem, pœnam quatuordecim Marcarum pecuniæ luent, & ſuccumbent: ſi per Actorem fuerint convicti. Si autem Spiritualium, Baronum, vel Nobilium ſubditi fuerint: ad eorum dominos, vel ipſorum locum tenentes citati, & rei in hac parte reperti, condemnari in pœna quatuordecim Marcarum, toties, quoties de inobedientia prædicti, convicti fuerint, debebunt. Quodſi Palatinus loci, ad querelam hujuſmodi, juſtitiam miniſtrare cum Civitatibus, Oppidanis neglexerit: Citatus ex Officio, pœnam centum Marcarum, modô præmiſſô luere debet. Domini verò Spirituales & Seculares, in ſimili caſu juſtitiam miniſtrare negligentes, pro non admiſtrata juſtitia citati ad Ius Terreſtre peremptoriè, pœnâ quatuordecim Marcarum pecuniæ, puniantur, cujus media pars Iudicio, alia parti actoreæ cedere debet.

De eodem.

Sigiſ. Crac. 1543. DOmini Palatini, juxta Statuta antiqua, debent ex Officio ſuo providere, unuſquiſq; in ſuo Palatinatu: incipiendo à Civitatibus, &

Oppidis noſtris Regiis, poſtea Spiritualium & Secularium Dominorum, & aliorum ſubditorum noſtrorũ: ut res mechanicæ, modii, menſuræ, ulnæ, venditio frumentorum, cerviſiarum, & aliæ res, ſub Conſtitutionem cadentes, juſtè conſervarentur, & venderentur. Et quicunq; ejus Conſtitutionibus adverſaretur, vel eas non admitteret: talis debet puniri pœnâ centum Marcarum, pro qua executionem debent facere ipſi Palatini.

§ Palatini Colloquiis adſint. Vide in Titulo: COLLOQUIA.

§ Qui menſurâ breviori utuntur, per Palatinos puniantur. Vide in Titulo: MENSURA.

PANNVS.

Panni ſtrictioris vel brevioris venditores, qua pœnâ puniendi?

Sigiſ. Crac. 1507. Fol. 4 QVia poſſet fraus contingere in textura pannorum, qui in Regno vendi ſolent: non modo in diminuenda bonitate: ſed etiam menſura longitudinis, Statuimus: Quòd ſi quis vel ſtrictorem pannum, vel breviorem, quàm ſit conſvetum, vendere auſus fuerit: pœnâ falſi puniatur. Et nihilominus univerſum pannum illius generis, ipsô factô amittat, cujus tertiam partem Palatino, nobis autem reliquas duas cedere volumus.

PASTOR.

Paſtor oves ad villam pellat.

Kaz. Visit. 1368 Fol. 25 PRæterea de villanorum paſtore, Egidius depoſuit: quòd ovem ad gregem depulſam, & cuſtodiæ paſtoris commiſſam, de grege amiſit: nec per paſtorem ſibi eſſe reſtitutam dicit. Paſtor verò aſſerebat, ſe ovem prædictam, unà cum aliis ad villam reduxiſſe. Nos in tali caſu decernimus: paſtorem hoc videlicet, quòd ovem cum cæteris ad villam impulit, Iuramentô firmare debere.

§ De paſcendis pecoribus, Vide in Titulo: PECUS.

PATER.

Pater pro ſcelere filii non tenetur: nec contra, ſic nec frater pro fratre punitur.

Kazim. Magnus Viſtic. 1368. Fol. 39 CÙm dicit Scriptura, quòd filius non portabit iniquitatem patris, nec è converſo: ideo Statuimus: Quòd pater pro nequam filio, & è converſo, minimè coerceatur, vel puniatur. Et idem de fratribus germanis, vel quibuſcunq; conſanguineis, declaramus fore ſervandum, niſi pater de culpa filii, vel filius de culpa patris, aut frater de culpa fratris, participando in crimine, delatus vel accuſatus ſe nequiêrit expurgare, quia tunc: ſecundùm exigentiam culpæ, puniendum eſſe crimen decernimus. Sed committens crimen, ſecundùm magnitudinem ejuſdem, percellatur: & puniatur in bonis mobilibus, ſeu in parte hæreditatis, ſibi contingente, Nobis & noſtræ curiæ applicandâ.

§ Paren-

§ Parentes non tenebuntur ſolvere pro filiis: ſi aliquando per luſum, aliquid amiſerint. Vide in Titulo: LUDUS TAXILLORUM.

PAX.

Ad pacem & unionem Deus nos invitat.

Ex Privil. Wladisl. & Magiſtri Pruſsiæ, 1404. Folio 132.

AVthor pacis, ad unitatis & pacis Spiritum, ſuis rigoroſis mandatis quotidiè nos invitat.

Pacis & belli, Charitatis & Odii antitheſis.

Ex Privileg. pacis & cõcordiæ inter Regem & Magiſtrum Pruſsiæ. 1436. Folio 133.

ATtendentes, quòd nonniſi in pace, pacis opifex Deus perfectè coli valeat: & eâ nihil in Mundo exoptari poſſit pretioſius, aut deſiderabilius concupiſci. Hinc eſt, quòd nos non abſque interna compaſſione, & gravi cordis amaritudine recenſentes: quot & quanta mala, ex guerris, & diſſenſionibus procedant: quotq; ex contentionibus, & bellis, (ſi ea mortales agant) odia hominum, non ſine etiam animarum & æternæ ſalutis diſpendiis, ac excidiis Civitatum, Provinciarumq; & terrarum, ac in illis degentium interitus ſubſequantur: Divinus deperit cultus: & ſanguinis effuſio oritur: Cumq; talium diſcordiæ atq; bella, non ſolùm ſe, ſuoſque, ſed etiam alios plurimos tractura ſunt veriſimiliter in præcipitium & ruinam: propterea ſupremis affectibus exoptamus: ut non creſcant jurgia: ſed juxta magiſtram bonorum omnium charitatem: quæ nihil ſapit extraneum, nil aſperum, nil confuſum: imò propriâ virtute nutrit concordiam, diſſociatos jungit, pacem & unitatem conſolidat: ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, & Beatæ Mariæ Virginis glorioſæ, totiuſq; Hierarchiæ cœleſtis, propagationem Fidei, cultum juſtitiæ, & Religionis Chriſtianæ, ſalutiferum incrementum, &c.

Iterum pax laudatur.

Idem Rex Folio 142.

INter humanæ voluntatis deſideria, quæ in aliquem citra Deum, finem, atq; rerum omnium opificem diriguntur, nulla res optabilior, nulla gratior, (quemadmodum quotidianis experimur effectibus) nulla denique humano generi æquè ſalutaris, neceſſaria, jucundior, & utilior, quàm pax habetur: in ortu Redemptionis Domini noſtri Ieſu Chriſti hominibus bonæ voluntatis denuntiata per Angelos: & in receſſu ad Patrem, cætui Apoſtolico, & univerſis Apoſtolorum ſequacibus, geminata donatione relicta & repromiſſa.

§ SIMILIS. Attendimus, quales ſint veræ pacis fructus: & quanta belli pericula: qualiſq; vaſtitas, diſcordiam ſubſequatur. *Ibidem.*

Expedit Reipubl. ut ejus municipes quietè vivant.

EXpedit Reipubl., ut ſubditi quietè vivant, quod fiet: ſi nulli noceant: & in virtutibus convaleſcant. *Sigiſ. Petr. 1523.*

Quales Cives esse oporteat: & quòd pax & concordia Regibus custodienda.

Kazim. Magnus 1368. QVamvis disponente Domino, subditi debeant esse pudici, modesti, justi, ac pacifici: effrænata tamen cupiditas eousque progressa est: ut nisi à custodibus justitiæ frænaretur: tunc profectò concordia & pax inter homines deperirent

PECVNIA.

§ Vide in Titulo: MONETA.

PECVS.

De pecore ex seminibus abacto.

Kazim: Magnus Vislic. 1368 Fol.23 VT quilibet de proximi indemnitate vigilet: à damnisq; & jacturis diligentiùs caveat, inferendis: Statuimus: Quòd si quis alterius semina, jumentis, vel quibuscunq; majoribus pecudibus depascat: quòd ille homo, cujus pecora reperta fuerint, pro quolibet jumento, vel pecore, unam quartam denariorum, damnum passo solvere teneatur.

Pecora quando ad forestam Regiam dantur.

Kaz. Mag. Vislicia 1368 Fol.23 AD evitandam autem quamlibet altercationem, Decernimus: Quòd ad proximiorem Castellaniam, seu curiam Castellaniæ, sive fuerit Regalis, sive alterius cujuscunq; Iudicis, jumenta, damnum passus depellendi, habeat facultatem, ita tamen, quòd testimoniô vicinorum, in propria domo, jumentis, sive pecoribus, per noctem servatis: in crastino autem, ad proximiorem curiam Castellaniæ, prædicta jumenta depellere teneantur.

Si pecus triduò detineatur.

Consvetudo terræ Crac 1505 Fol.123 ITem: si aliquis alicujus pecora habuerit, quocunq; modo: & ea non dederit ad forestam Regalem, aliàs *do obory*, ad diem tertium: tunc si apud eum arestabuntur per Ministerialem, & per duos Nobiles, citatus, in Castro respondebit: & restituet pecora, cum pœnâ trium Marcarum. Sed Iudex Castri, pro damno, partes non judicabit: sed eas remittet, ad terræ judicium.

Si pecus è damno abactum, ad fidejussionem non detur.

Ibidem ITem: si aliquis alicui pecus detinet, aliàs *zàymuie* de damno: & noluerit illud dare ad fidejussionem, cùm fuerit monitus per Nobiles, & Ministerialem: pro tali non datione debet citari ad Ius Castrense: & luens pœnam trium Marcarum, debet dare pecora ad fidejussionem: cùm deducetur priùs; quia illud dare noluit ad fideiussionem. Fit autem ideo: ut ne pecora destruerentur, propter longævam detentionem, & item ea ratione: quia Iure Terrestri non citò adiri possit restitutio pecoris il-

ris illius abacti. Pro pœnâ autem illâ, Iudicium Castrense non iudicabit: sed pro damnô illatô, Iudex Castri partes ad Ius Terrestre remittet.

De eodem.

ITem: si quis pecus alienum in damno abegerit, aut simpliciter servaverit: teneatur illud dare intra triduum, ad forestam Regiam aliàs *do obory*, ubi si aderit dominus pecoris: dabitur sibi ad cautionem fideiussoriam: & pro damno remittentur partes ad Iudicium terræ. Si autem dominus pecoris non esset tunc, cùm pecus daretur ad forestam Regiam: tunc iste qui servat abactum pecus, fideiubebit, quia fideiussione facta, dandum erit ei viceversa ad servandum, in cautione fideiussoria, ad duas septimanas, quibus decursis, iterum pecus præsentabit in foresta: & iterum Burgrabius forestæ restituet ei pecus, in cautione fideiussoria per alias duas septimanas. Fieri autem istud potest, ad alias tertias duas septimanas: Videlicet pro tertia vice fideiubendo, & qualibet vice, abactor seu conservator pecoris dabit Burgrabio Fertem Iuris Regii, in ultimis duabus septimanis, conservatori in Cautione præfixis. Si dominus pecoris veniet: dandum erit sibi pecus, in cautione fideiussoria, pro damno verò, remittantur partes ad Ius Terrestre. Si non veniet dominus pecoris: tunc conservatos pecoris, præsentando pecus Burgrabio in foresta, habebit medietatem pecoris, tanquam Iure lucratam: & medietas debetur mensæ Regiæ, seu ad mensam Regiam. Cùm autem sit ipsa pecoris divisio, inter partem Regis, & partem conservatoris: conservator & pro damno, & pro illis tribus Fertonibus, pro Iure Regio in foresta datis, medietate contentus sit pecoris, seu pecudum. *Ibidem*

Si Tenutarii bonorum Regalium, pecora de damnis abigant.

ITem Statuimus: Vt Tenutarii bonorum mensæ nostræ Regiæ, si vicinis, aut aliis hominibus injuriati fuerint, teneantur stare Iudicio Terrestri: postquam fuerint per injuriam passos evocati. Et si pellant pecora, seu pecudes, ad domos, aut curias Regales, occasione differentiæ granicierum, aut ratione destructionis seminatorum: tenebuntur ea dare ad cautionem fideiussoriam, super decretum dominorum, juxta consvetudinem terræ, diutiùs observamam. Quòd si secus fecerint: luent pœnas, sicut alii Nobiles, quæ pœna poterint peti & exigi ab eis, etiam in pecuniis: si quas habuerint, in bonis Regalibus inscriptas. *Kazimirus in Niessowa & Opoki 1454. Folio 94.*

Iumenta quatenus pascenda.

STatuimus: Quòd omnes habentes jumenta indomita, à vigilia Sancti Adalberti, usq; ad festum Sancti Michaelis, illa sub custodia pascere teneantur, aliàs qui secus fecerit: extimatione damni convictus Iudicio, & damnum passo, cum pœna unius Marcæ, ad solvendum sit astrictus. Sed denique ipsa iumenta damnum patiens, sed suam domum propriam pellere non præsumat. *Kazim. Magnus Vislic. 1369. Fol.35*

Si quis pecudem, aut jumentum vulneret, aut occidat?

Kaz. Mag. Vislic. 1368 Folio 34. STatuimus insuper: Quòd interficiens jumentum indomitum cujuscunq;, quatuor Marcas: poledrum verò interficiens, tres Marcas: & ubi jumentum ictu, vel plagâ, culpâ alicujus, læsum fuerit ad dorsum, Marcam cum dimidia: & pro poledro secundi anni, quinque Marcas, hujusmodi ictum vel plagam inferens, solvere teneatur. Vbi verò tertii, quarti, vel quinti anni poledrum, vulgariter *Zrzebcá:* occiderit: juxta, quod, passus damnum, super existimatione ejusdem poledri occisi Iuramentô suô firmaverit, satisfacere teneatur.

Pecus pro pignore captum, ad Palatinum vel Castellanum datur.

Kaz. Visit. 1368 Fol. 32 ITem: ubi curiæ nostræ sunt remotæ: terrigenæ nostri possunt pignora recepta, ad curiam Castellani, aut Palatini, in terra illa commorantis, propellere.

§ Pro pecude, furtô, ablata, Præscriptionem Vide in Titulo: PRÆSCRIPTIO.

§ Præscriptio agendi pro pecudibus, quæ sit? Vide in Titulo: PRÆSCRIPTIO.

POENÆ.

Pœnas Iudicialiter decretas, Subditorum suorum nemini, Rex debet conferre.

Ex Privileg. Iagel. prope Czerwienisko Fol, 48. PRæterea, ut inter Nobiles Regni nostri, & alios subditos, jurgia, contentiones, dissidia, strages, homicidia, submoveantur: quæ possent verisimiliter suboriri: dum pœnas nostras, quæ nobis de Iudiciis nostris proveniunt, familiaribus, vel aliis subditis nostris, ad eorum importunas petitiones, ab illis, concedimus exigendas: qui ad illas nobis condemnantur. Proinde præsenti scriptô Pollicemur, nunquam alicui hujusmodi pœnas in subditis nostris dare, assignare, & deputare, ex quacunq; causa, vel ratione: sed eas per Officiales nostros, pro nobis faciemus exigere: aut eas illis, qui nobis ad eas sunt obnoxii, pia mansvetudine indulgere: vel aliàs de exactis disponere juxta nostram Regiam voluntatem.

§ Reliquas pœnas, propriis in locis reperies, quæ occurrent, dum res ac leges, quibus indigebis, quæres.

§ De pœna *Siedmdzieśiat*, Vide in Titulo: INCENDIARII.

PERLVCRA.

Omnes Capitanei, suorum districtuum perlucra exequantur: sub pœna centum Marcarum.

Alexand. in Radom 1505 Folio 119. PRopter differentias inter Capitaneos Terrestres, & Particulares districtuum, pro executione perlucrorum, nonnunquam excitatas: cùm eorum alter in alterum executionem differret: consveverant negligi subditi

diti nostri, in effectu habendæ justitiæ, jam pridem decretæ: Idcirco statuimus: Quòd Capitanei districtuum, tenentur & debent exequi omnia perlucra, contra omnes districtûs sui subditos, sub pœna centum Marcarum.

§ Pignorationem de perlucris, Vide in Titulo: PIGNUS. & reliqua de perlucris, eôdem locô.

De injusta concitatione, ad satisfaciendum.

ITem: Concitatus ad satisfaciendum, non potest aliquid sibi in auxilium recipere contra Actorem: exceptô, quòd condemnatio minùs justa esset in perlucro: vel si nomen aliud esset scriptum in Citatione, quàm in Concitatione. Et si concitatio ex hoc esset mala, videlicet ex conditionibus superiùs descriptis: tunc Actor amittit id, pro quo citavit. *Consvetudo Terræ Cracov. Folio 122.* § Reliqua de perlucris, Vide in Titulo: PROCESSUS IURIS.

PIGNORATIO SEV PIGNVS.

De pignoribus: & quòd ad curiam Palatini, vel Castellani, pelli possunt.

ITem: ubi curiæ nostræ sunt remotæ: terrigenæ nostri possunt pignora recepta, ad curiam Castellani, aut Palatini, in terra illa commorantis, propellere. *Kazimirus Vislic. 1368 Fol: 32.*

Pignorando pro Exactionibus Regalibus, quid accipiendum?

ITem Statuimus: Quòd quotiescunq; per Capitaneos nostros, aut eorum vices gerentes, impignorationes fieri contingat ex decreto Iuris Terrestris: aut pro Exactionibus Regalibus: ut non exigant ipsi Palatini plùs, quàm illud, quod pro pignore recipitur, quod pro suis pignoratoribus, aut Ministeriali, consveverunt ipsi pignoratores facere, quod omnino fieri prohibemus. *Kazim. in Nieszowá Folio 94.*

Bos pro pignore recipiatur: si furtum redimatur.

VOlumus; quòd Officiales, aliàs Ministeriales, quando pro furto pignorant, habeant bovem mediocrem. *Kaz. Mag. Vislic. 1368*

Mos antiquus pignorandi, pro pœnis Iudicialibus.

UT in rapinis, aut pignoribus nostrorum subditorum, aliquis modus habeatur, & observetur: consveverunt enim hactenus, avari Iudices, & eorum Officiales: ut, postquam pro pœnis, aut mulctis, in Iudicio condemnatis, aliquos pauperes, aut Nobiles cujusvis statûs, impignorant & obligant, statim spolia & pignora dividunt, nullam gratiam & benevolentiam pignerato facientes, ad succidendam itaq; & amputandam hanc consvetudinem pernicioſam, eamq; observari ampliùs nolentes & prohibentes, Statuimus: Vt si quis Iudex, Palatinus, Castellanus, *Kaz. Vislic. 1368. Folio 9.*

aut ipſorum Officiales, vel maleficiorum Iudex, qui *Opravcà* dicitur, aut alius quicunque, pro pœnis Iudicialibus per eos latis, aut aliis exceſſibus, aliquem noſtrum terrigenam, divitem vel pauperem, Nobilem vel ſimplicem, impigneraverint, vel pignerare jufſerint: pignora in equis, pecudibus, aut in aliis ſubſtantiis quibuſcunq;, ſic recepta non diſtrahendo, vel minuendo, (ſi fuerit in æſtivo tempore, duabus ſeptimanis integris: Si autem hyemali tempore, octo diebus) illibata per recipientem debeant obſervari: ſive juſtè pignerati fuerint: vel indebitè rapina in eos commiſſa. Et ſi extunc per illum, vel illos, quorum vel cujus ſunt pignora, pro commiſſis pœnis, non fuerit illis qui pignoraverint ſatisfactum: vel ſuam innocentiam non oſtenderint: tandem licitum ſit illis, qui pignora detinent, illa diſtrahere, dividere: & pro libera ipſorum voluntate convertere. Quod ſi tales Iudices, aut alii ſuperiùs nominati, ſuæ avaritiæ non parcentes, infra prædicta debita tempora inter ſe diviſerint, aut diſſipaverint, vel etiam alienaverint: unum animal de prædictis, damna paſſo, juxta valorem animalis deperditi (quod ſuo com probabit Iuramentô) cum pœna *Piatnadzieſta* tenebuntur reſtituere. Hoc itaq; Statutum ſalubre, propter noſtrorum Iudicum, & Procuratorum rapinam enormem, quàm ſæpiùs committunt, ad ipſos, & ad Iudices eorum extendimus, & promulgamus.

Pignora, pro contumacia ac pœnis.

Kazim: Magnus Vislic. 1368 Fol.14

EXperientia nos edocuit: quòd quandoq; non Contumaces pro Contumacibus, vel ipſi Contumaces etiam, modum & illud quod juſtum & æquum eſt excedendo, pro Contumacia puniuntur, & gravantur. (in eo videlicet: quòd cùm in aliqua villa pignora recipiuntur, ubi ſex boves fuerint recipiendi, triginta vel quadraginta recipiebantur: & antequam ad locum debitum depellebantur, per modum rapinæ, in non modicam pauperum deſtructionem dividebantur, & conſumebantnr) ideoque ad ſubveniendum huic morbo peſtifero, Statuimus, & ordinamus certam quandam menſuram, & obſervantiam: videlicet quod pro prima Contumacia punienda, Miniſterialis cum duobus famulis Iudicis, ad villam accedens, (ſicut aliàs præmiſſum eſt) ſi dominus villæ tantummodo fuerit culpabilis, in duobus bobus duntaxat impignoretur, ſi autem Kmethones, aut villani, extiterint culpabiles, & citati Contumaces: quilibet eorum tantùm in uno bove pignoretur. Et idem decernimus pro ſecunda Contumacia eſſe faciendum, & obſervandum. Si autem tertiò dominus cum villanis, fuerint contumaces, decrevimus: quòd Contumax cauſam, pro qua dignoſcitur eſſe citatus, perdat: & cadat ab ea, per ſententiam judicantis. Declarantes nihilominus: quòd dicti boves pignoraticii, per ipſos Iudices, in æſtate duabus ſeptimanis, in hyeme verò octo diebus, abſq; aliqua diſtractione obſerventur. Volentes deniq;, & decernen: Quòd dicti boves pignorati, ſine pœnâ cujuslibet Contumaciæ, tantummodo Nobis & Iudici noſtro applicentur. Decernimus etiam, & Statuimus: Quòd ſi prædicto Miniſteriali, deputato ad eandem

dem pignorationem, cum familia ipſius Iudicis, villa pignoranda per dominum villæ, & villanos non permittatur pignorari, juxta præmiſſam ſeu prædictam imitationem: vel ſi ipſa pignora habita, per eoſdem dominum aut villanos, in villa vel ante villam, ſeu in via recipiantur violenter: dolum & rebellionem eorum puniendo, volumus: quod pœnam *Piatnadzieſta*, quæ dicitur 15. aliàs iidem rebelles Nobis, & Iudici ſolvere teneantur, & nihilominus cum aliâ pœnâ *Siedmadzieſta*, eadem pignora denegata, vel violenter ablata, integraliter obſervare, aut aſſignare teneantur. Qui ſi in dandis pignoribus prædictis, & in ſatisfaciendo de pœnis prædictis, fuerint doloſi & rebelles: ita quod fortè Iudex, propter potentiam eorundem, ad puniendum & pignorandum eoſem paveſceret: Volumus & decernimus, quòd pœnâ *Siedmdzieſiat* dictâ, noſtræ Cameræ applicanda, puniantur.

Pignorationis modus.

Kazim. Magnus Vislic. 1369. Fol. 15

PRæterea quia per frequentem & immoderatam pauperum pignorationem, pleriq; plurima damna, & oppreſſiones multiplices patiuntur: (videlicet in eo, quòd Catervatim, & in turmis, non per modum juſtitiariæ poteſtatis, ad aliquam villam pignoratores accedentes, damnabiliter, & interdum abſq; Iudicis mandatô, & ſine culpa domini villæ, vel villanorum, committere plurimas præſumunt rapinas, prætextu pignorationis) quapropter ſuper hoc providere volentes, Statuimus: Quòd deinceps Iudex, vel ſubjudex, ad impignorationem faciendam, non plures quàm duos familiares, cum Miniſteriali tranſmittat: & quòd ſine culpâ vel cauſâ, aut non condemnatos ſeu convictos, aut in Iudicio non confeſſos, ipſe Iudex, vel Subjudex non præſumat vel permittat pignorari. Quodſi ipſe Iudex, vel aliqui alii, quavis authoritate, vel potiùs propria temeritate vel præſumptione pignorare, vel potius rapinas committere præſumant: præcipiendo decrevimus: Quòd pecora, vel quaslibet alias res, ratione impignorationis ablata & recepta, Iudex domino villæ, & villanis villæ ejuſdem, aſſerentibus ſe indebitè, & contra juſtitiam eſſe pignoratos, remota & ceſſante qualibet difficultate, eadem pignora integraliter, & ex toto (præmiſſa tamen, & recepta fidejuſſoriâ cautione) reſtituere teneantur: Termino eidem villæ domino, aut villanis pignoratis, ad oſtendendum ſuam innocentiam & juſtitiam aſſignato. Et nihilominus, ut audacia & temeritas pignorantium reſtringatur decernimus: Quòd dum præmiſſo modo patefacta fuerit eorum innocentia, Iudex & Subjudex, qui tenent Iuriſdictionem, ab omnibus & ſingulis, qui fuerint in dicta impignoratione, vel potiùs rapinâ, qui vel auxilium præſtiterunt, & à quolibet illorum in ſpeciali, recipiant pœnam *Piathnadzieſta*, domino villæ pignorato, damnumq; paſſo perſolvendam.

Pignoratio in perlucris.

CUm aliquis ſuper aliquo rem habuerit judicatam, aliàs perlucratus

fuerit Ius · & dabitur ad brachium Capitanei: extunc ille, qui per-
Consvetudo terræ Crac. 1505 Fol.121 lucratus est, duabus vicibus debet ire ad pignorandum: & duabus vicibus ad intromissionem, & pro qualibet repercussione, debet condemnare pro pignore, & pro intromissione. Et post hoc Capitaneus debet desistinare cum eo, authoritate sua aliquem, suo nomine: & intromittere victorem, vadiumq; imponere tenebitur.

§ Quòd pro pœnâ Nobilis, utpote Obligatione, fidejussoria cautione, non debent pignorari Kmethones- Vide in Tit: KMETHO.

§ De pignoribus apud Iudæos oppignoratis: Vide in Tit: IUDÆI.

PISCES.

De furto piscium.

Kazimi Magnus Vislic. 1368 Fol.38 PRæterea Statuimus: Quòd si quis in alterius villa vel possessione, in lacu, piscina, in aqua fluenti, in fœno, frumentis, furtum fecerit Iudicio convictus, damnum passo satisfacere teneatur: & domino villæ, in qua hujusmodi furtum commissum est, ipse fur pœnam solvere teneatur. Depascentes verò & incidentes gramina cum falce, in tunica vel pallio impignorentur.

PYXIDES.

Capitaneus providebit: ne vel equites, vel pedites pyxides deferant, præterquam in terris Russiæ.

Sigis. Petr. 1519. Fol.24 NEmo deinceps tempore pacis, sive eques, sive pedes, pyxides breves, quas *Rucznice* vocant, deferre audeat, ab hac tamen Constitutione terras Russiæ liberas esse volumus: quæ parata arma, contra insultus hostium, habere semper solent, & debent.

Qui aliquem ex pyxide occiderit, aut vulneraverit.

Sigis. Aug. 1557. SI aliquis ex pyxide aliquem vulnerare, aut occidere præsumpserit: talis duplici pœnâ puniri debet, pro occisione tamen, scrutinium fieri debet. Nemo tamen audeat cum onerata, aliàs *znabita rucznica*, in Civitatibus incedere: sub pœna 14. Marcarum. Qui verò contra ejusmodi Statutum incedere præsumpserit: illam Officium Capitanei cum pœna recipere debet. Qui verò illam tradere nollet: tum pœnam duplicem 14. Marcarum succumbet, pro qua Capitaneus, in Officio suo facere debet. Cùm verò Nobilis impossessionatus, vel Civis, vel Kmetho illam gestaret: tamdiu in turri per Capitaneum, vel Officium illius detineri debet: donec pœnam solvat.

PONDUS.

Pondus & Mensura Cracovieusis cum Posnaniensi, sint æqualia: Leopoliensis verò cum Lublinensi.

Sigis. Crac. 1507. Fol.7 UT æqualitas servetur in Regno, ponderis & mensuræ, Statuimus: Quòd pondus stateræ, & similiter ulna Cracovienſis, cum Posnanien-

si, sint perpetuò æqualia, pondus autem & ulnam Leopolienſem, ac Lublinensem, ex rationabili causa in suo statu remanere volumus.

Mensura Plocensis, Posnaniensi exæquatur.

Sigis. Crac. 1532. B 2. LIbram & pondus, quam adæquari Nuntii terræ Plocensis libræ & ponderi Civitatis nostræ Posnanien: petierunt, Palatinus, Capitaneus, Castellani cæteriq; Officiales terræ Plocensis, advocatis ad se Civibus & mercatoribus Civitatis nostræ Plocensis, illam mandato nostro coæquabunt: & æquivalentem constituent, prout eis melius & commodius videbitur.

PORCUS.

Si alienos porcos in tua sylva reperias?

Kaz. Mag. Vislicæ 1368 Fol.35 STatuimus etiam: Quòd quicunq; scrophas proprias, ad glandes sylvæ alterius depulerit: hic cujus sylva fuerit, pro prima vice, porcum unum: secunda vice si invenerit, duos porcos mactare poterit, & valeat: & tertia vice si invenerit, omnes scrophas pellere poterit ad curiam nostram viciniorem, easdem nobiscum per medium divisurus, ita tamen: quod ubicunq; prædictos porcos, infra suos limites mactaverit, signum in arbore facere teneatur. Et si pars adversa, damnum ibidem illatum esse negaverit: tunc impignerans teneatur signum, in arbore incisum & factum, exhibere: & hoc propriô suô Iuramentô firmare: videlicet, ipidem porcos esse inventos.

§ Quando quis porcos, per bona alterius pellere voluerit: quomodo id facere debeat: Vide in Titulo: SYLVA.

POSSESSOR.

De possessore ad probationem admittendo.

Wladislaus Iagel. Cracov. & Varsæ, Folio 44 AD præcludendam viam calumniis, per nos provisum est: quòd si quis vellet qvempiam, pro hæreditate impetere: dicendo possessionem eandem in obligatione aut pignoratione possidere, & tenere: quam fortassis legitimè & liberè possidet: quòd tunc possessor, Actore repulso, ad probationem testium admittatur, & maximè, ubi utraq; pars literatoria & legitima testimonia, super hujusmodi possessionem non habuerit. In tali itaq; casu, possessoris probatio admittatur.

§ Possessor quam habeat in bonis emptis præscriptionem: Vide in Titulo PRÆSCRIPTIO.

POSSESSIONATUS.

Nullus etiam terrigena possessionatus, pro aliquo excessu, nisi sit Iure convictus, Captivandus.

Ex Privil. Iagel. in Iedlna 1453. Folio 52. CÆterùm promittimus & Spondemus: Quòd nullum terrigenam possessionatum, pro aliquo excessu aut culpa, capiemus, seu capi manda-

mandabimus: nec aliquam vindictam in ipso faciemus: nisi Iudicio rationabiliter fuerit convictus: & ad manus nostras, vel nostrorum Capitaneorum, per Iudices ejusdem terræ, in qua idem terrigena residet, præsentatus. Illo tamen homine, qui in furto, vel in publico maleficio, ut pote incendio voluntario, raptu virginum aut mulierum, & villarum depopulationibus & spoliis deprehendetur, similiter illis, qui de se nollent debitam facere cautionem vel dare, juxta quantitatem excessus vel delicti, exceptis. Nulli autem bona seu possessiones recipiemus: nisi fuerit judicialiter per Iudices competentes vel Barones nostros nobis condemnatus.

§ Possessionati pecunia quomodo arrestetur: & ubi arrestentur impossessionati, Vide in Titulo: ARRESTATIO.

PLANTÆ.

De Plantarum destructione, vel evulsione.

Kaz. Vislit. 1368 Fol. 27 STatuimus & decernimus: Quodsi aliquæ plantationes, jam insertæ & radicatæ, evellentur & extirpentur: etiam si fuerint propriæ ipsius extirpantis: qui debet medietatem illarum plantationum dimittere in solo, seu area: pœnâ sex Marcarum teneatur.

PLEBEII.

Plebeii ad majores Ecclesias non recipiantur.

Ioan. Albert. Petr. 1496. Folio 100. ITem quamvis per divos olim Reges Poloniæ, prædecessores nostros, ex antiquo fuerit constitutum, & aliquanto tempore inviolabiliter observatum: ut propter defensionem Ecclesiarum, ac bonorum Ecclesiasticorum, in principalibus videlicet, Gnesnensi, Cracoviensi, Posnaniensi, Wladislaviensi, & Plocensi Ecclesiis, non susciperentur (prout non suscipiebantur) ad Dignitates, Personatus, & Officia, & Canonicatus, & Præbendas ignobiles, Plebeiasq; personæ: quæ ad defensiones Ecclesiarum, in Regno nostro per necessarias, (præsertim propter homines licentiosos & crebras expeditiones bellicas) parum aut nihil prodesse possunt Ecclesiis: sed duntaxat recipiendi erant Barones, Generosi, & Nobiles: è quibus prompta, & facilis Ecclesiarum defensio esset: tamen cùm per dissimulationem quandam, in observando Statuto & Privilegio veteri habitam, quamplures ignobiles ad Ecclesias prædictas his temporibus sumerentur: ita quòd Ecclesiarum bona, cernerentur omni defensione destituta: exindeq; magnâ in parte vestata, & destructa esse: & in nonnullis locis, adeò annihilata: ut non extent domus, in possessionibus Ecclesiæ habitatoribus commodæ, Ignobilibus illa minimè defendentibus: Simul etiam animadvertentes gravissima, nedum Cleri, verùm etiam Regni nostri ac Reipubl. incommoda: quæ ex reservatione Beneficiorum, vivente possessore nuper adinventam, ac etiam expensionibus, extra Regnum nostrum Poloniæ genitis, & habitantibus (ut quotidianis

nis experimur effectibus) evenire consveverunt: per quas cultus divinus minuitur: defensio Ecclesiasticæ libertatis adimitur: & abstrahitur facultas personis idoneis, Reipubl. Christianæ Regnoq; nostro prodesse volentibus: Scandalaq; exinde à Clero, in plebem subjectam nobis oriuntur: pro tanto nos indemnitati non minus Reipubl. quàm Ecclesiarum Regni nostri in hac parte providere (uti tenemur) cupientes. Statuimus: Vt in singulis Capitulis Ecclesiarum suprascriptarum, ad Dignitates, Personatus, & Officia, ac Canonicatus, & præbendas recipiantur personæ, tantummodo Regni Poloniæ indigenæ, Nobiles ex utroq; parente. Quorum Nobilitatem sic constaret probabilem esse: uti in Iure Regni nostri communi, Nobilitas irreprehensibilis probari consvevit.

Quot tamen plebeii, & quales, ad Ecclesias Cathedrales recipiendi sunt.

VErùm ne quid in ea re actum videretur esse, in odium plebeiorum: (quorum conditio, perinde ac ut consvevit, prærogativis gaudet specialibus in Regno nostro) idcirco tametsi Nobilium nati videantur æquè docti, & plerumq; doctiores plebeiorum natis: non fueritq; Capitulum, quod doctos ad doctissimos Prælatos, & Canonicos, Nobiles haud contineret, non minus necessitati, quam etiam honori & decori Ecclesiarum sufficientes, consulereque scientes, atq; solitos: tamen ultra eosdem Doctores natorum Nobilium, in Capitulis existentium, Decernimus admittendos plebeii generis eosdem Doctores, numero & ordine infrascriptis. Videlicet quòd in Ecclesiis prædictis, in quibus habentur Doctores, aut Lectores, Iuris ac Theologiæ, ex antiquo sive etiam noviter fundati, aut ubi habendi sunt per novam fundationem fiendam, ad eos datos, unus in Theologiæ, unus in Iure Canonico, & unus in Medicinæ Facultatibus promoti In eisdem verò Ecclesiis, ubi non habentur fundati Doctores prædicti, Decernimus non plures, quàm duos in Theologiæ, duos in Iuris Canonici, & quintum in Medicinæ Facultatibus promotos. Qui tamen non aliter suscipiantur per Capitula: quàm quos loci Ordinarii idoneos, & in Facultatibus ipsis doctoratu dignos, approbaverint: ac ut tales censuerint, sub eodem numero recipiendos. Quodque nullus subditorum nostrorum, aut aliàs undecunq; fuerit, cujuscunque statûs, gradûs, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existat, ac quacunq; præfulgeat dignitate, Beneficium Ecclesiasticum quodcunque Regni nostri Poloniæ, vel per impetratam in vita possessoris reservationem, nuperrimè adinventam, vel sub aliqua pensione annua, etiam si tale beneficium sibi motu proprio, & ex certa scientia daretur aut provideretur, acceptare: seu sibi de eodem, sub ipsa pensione, vel alias cessione Iuris, aut Resignatione cujuscunq; extraneæ personæ, quæ fortasse possessionem Beneficii ipsius non habeat, ut sub eo pallio pensiones ipsæ celarentur, providere, facere: vel procurare audeat, aut præsumat. Sin autem aliquis, aut aliqui Plebeiorum, in contrarium præsentis & anti-

qui Privilegii, & Consvetudinis Regni Poloniæ, Beneficia in Ecclesiis & Capitulis prædictis acceptare, aut se recipi procurare, petereq; præsumpserint: demum etiam si aliquis subditorum nostrorum, aut undeounq; fuerit cujuscunq; statûs, gradûs, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existens, Beneficium vel Beneficia Ecclesiastica in Regno nostro, vel per viam reservationis prædictæ in vita, vel sub pensione, (ut horum meminimus) acceptaverit: & similiter si quispiam beneficia Iurispatronatus nostri, & subditorum eorundem nostrorum, ex causa quacunq; impetraverit: Statuimus, decernimus, & mandamus, omni bonorum suorum, communium & privatorum, mobilium & immobilium secularium, ærario seu fisco, vel mensæ nostræ applicandorum privatione: Ecclesiasticorum verò arresto confiscatione, & extra Regnum nostrum bannitione, immediatè puniendos. Verùm ne quispiam Constitutionibus, & ordinationibus præsentibus nostris, per media aliarum personarum contravenire tentaret: Statuimus & decernimus, simili mulctæ subjacere, & esse puniendos omnes & singulos Prælatos, Spirituales & Seculares, ac Capitula, Canonicos, Plebanos, Vicarios, Beneficiatos quoscunque, & Presbyteros omnium Ecclesiarum, necnon Tabelliones & Notarios Regni nostri Poloniæ, & alias undecunq; existentes: qui literas quascunque suprascriptis ordinibus nostris conrrarias, personis extraneis, sive indigenis, & aliis quibusvis, cujuscunq; statûs, gradûs, conditionis, & præemineniæ existant, & quacunq; præfulgeant dignitate, Ignobilium provisiones, prædictas quoq; in vita reservationes, cum pensionibus, provisiones, & processus de super fortasse obtentos, portarent, afferrent, & publicarent, palàm aut privatim: vel qui pensiones hujusmodi celando, illas summariè pecuniis redimerent: & prædictas Cessiones, seu Resignationes susciperent, vel acceptarent: seu qui Monitoria, Censuras, Privationes, & Sequestra, ob non solutionem pensionum, etiam motu propriô impositarum, in se continentes, quacunq; authoritate datis vel concessis, admitterent aut exequerentur, vel ea ad eas, admitti, exequi, prosequi, foveri, & promoveri, procurare præsumerent, vel auderent: seu aliquis præsumeret, vel auderet: Mandantes præsentium per tenorem, atq; decreti præsentis publicitus promulgati vigore, Constitutiones, Ordinationes, & Decreta præsentia, ab omnibus Prælatis, Capitulis, & universo Clero Regni nostri Poloniæ, inconcussè teneri, observari, easq; in Ecclesiis publicari suprascriptis: tandem earum & eorum originalia, vel transumpta in Capitulis haberi, ne de præmissis quispiam ignorantiam allegaret in futurum.

De eodem numero Plebeiorum, ad Ecclesias Cathedrales suscipiendorum.

Alexand. in Radom 1505 Folio 116.

AD Ecclesias Cathedrales in Regno nostro non suspiciantur, in Episcopos, Prælatos, & Canonicos: nisi Nobiles ex utroq; parente, & more Nobilium educati: utq; Plebeiorum certus sit numerus, circa easdem Ecclesias. Et qui ex eis, ad Episcopatus & Prælaturas evecti sunt, qui

non essent ex utroq; parente progeniti, & educati more Nobilium: ad altiora non ascendant. sub pœna perpetui exilii, & confiscationis bonorum, parentum & consanguineorum, eorum qui niterentur venire contra hujusmodi Ordinationem: sub prætextu authoritatis cujuscunq;. Quapropter præsens & inscriptum Statutum, super hoc publicitus editum, nostris præsentibus, & aliis per nos approbatis prædecessorum nostrorum Statutis, ac Privilegiis perpetuis, adscribimus hujusmodi sub tenore.

Statutum Ecclesiarum, seu de Plebeiis, ad vota Serenissimæ Principis Dominæ Elizabeth, Dei gratiâ Reginæ Poloniæ, genitricis nostræ sancitum: continens, qui, & qualiter ad Episcopatus, & dignitates Ecclesiarum recipiendi: & qualiter Nobilitas talium probetur in futurum.

VOlentes tempore nostri felicis regiminis, obviare tempestivè periculis dissensionum, & seditionum intestinarum: qui omni externo bello sunt graviores: quarum dissensionum nonnulla indicia jam pullulant, ex eo: quod Dignitates, & loca Ecclesiarum Regni nostri Cathedralium, inferioris statûs homines sæpè per ambitionem quærere consueverunt: cum periculô manifestô earundem Ecclesiarum, & Dignitatum: & cum præjudicio nostræ Nobilitatis: quæ ab antiquis temporibus laborum & virtutum suarum officio, eisdem Dignitatibus Ecclesiasticis semper præficiebatur: tum quòd eadem Nobilitas suis propriis cervicibus, â casibus bellicis Regnum ipsum defendere consvevit: & astricta est: tum etiam eidem Ecclesiæ, propter genus & assistentiam sui ipsius, invicem sub pace & defensione debita existebant: quod esse nequaquam posset: si per eos regerentur, qui eadem assistentia, & cæteris adminiculis protegendi ipsas, carent. Proinde de communi omnium Consiliariorum nostrorum consilio & assensu, atq; ejusdem universæ Nobilitatis expostulatione, hoc præsenti Statuto & decreto, perpetuis temporibus duraturo, sanximus, constituimus, & irrevocabiliter decrevimus. Vt de cætero ad Cathedrales Ecclesias, in Episcopos, in eisdem Ecclesiis, in Prælatos: in Collegiatis verò Ecclesiis, ad principales Dignitates, homines tantummodo de corpore ejusdem Nobilitatis possint promoveri. Inhibentes strictissimè, sub pœnâ perpetui exilii, & confiscationis bonorum omnium, cui pœnæ tam eos, qui præsenti Constitutioni quoquomodo, vel aliquo colore, aliquando auderent contravenire, ambiendo ubivis locorum suprascriptas dignitates, vel etiam oblatas acceptando, quàm eorum parentes, propinquos, ac promotores, adjutoresque, clandestinos ac etiam manifestos subjacere volumus: ita ut cùm primùm huic decreto aliquis, quocunq; titulo insignitus, non existens Nobilis: inventus fuerit contravenisse: ipsô factô prædictæ pœnæ sit subjectus, cum eisdem parentibus, & propinquis suis. In Canonicatibus verò earundem Cathedralium Ecclesiarum, per alios quâm Nobiles obtinendis, servari volumus Privilegium & Decretum, aliàs per prædecessores nostros editum.

tum. Adiicientes hoc etiam: ne quiſpiam, cujuſcunq; generis vel conditionis exiſtat, audeat Beneficium quodcunq; noſtri Iuriſpatronatus, quoquo modo impetrare: vel oblatum à quovis ſuſcipere, ſine noſtro conſenſu, ſub incurſu præfatæ pœnæ exilii, confiſcationis ſuorum bonorum, & parentum ac propinquorum ejus. Et quoniam quæſtio incidere de genere Nobilitatis, quod diverſo modo à quibuſdam interpretari ſolet, declaramus; quantum ad præſens Statutum attinet: Eum tantummodo vocari Nobilem, & capacem dictarum Dignitatum, & Beneficiorum: cujus uterq; parens Nobilis, & ex familia ſit progenitus: & quòd tam ipſe, quàm parentes ejuſdem, habitàrunt & habitant, in ſuis poſſeſſionibus, caſtris, oppidis, & villis: juxta morem patriæ, & conſvetudinem Nobilitatis, viventes legibus & Iuribus Regni noſtri Nobilium. In quo genere Nobilitatis, eos quoq; Nobiles appellandos cenſemus: qui licèt matre populari, Patre tamen Nobili ſunt procreati: quorum tamen parentes, & ipſimet vivant, & vixerint, ad inſtar aliorum Nobilium in Regno: ut ſupra, & non exercuerint, vel exerceant eas artes & actiones: quas communiter Cives, & qui in Civitatibus morantur, exercere ſolent. Per contrarium enim uſum, Nobilitas ipſa, in popularem & Plebeiam conditionem tranſire ſolet.

Nobilis quis?

Sigiſmundus quoq; confirmat priores leges, contra Plebeios & Cortiſanos editas.

Sigiſ. Crat. 1510. Fol. 14 AD tollendas murmurationes univerſæ Nobilitatis, (quæ plerumque fiunt, propter Plebeios: qui exquiſitis conatibus, ſe ad Eccleſias Cathedrales recipi procurãt) Decernimus: Statuta, quæ contra Plebeios, & Cortiſanos, à prædeceſſoribus noſtris ſancita ſunt, in ſuo robore obſervanda: decernimuſq; & volumus: ut eadem debitæ executioni, quoties opportunum fuerit, etiam per Officiales noſtros, demandentur: ſub pœnis, in Officiales inſtitutis.

Tertiò Rex Sigiſmundus contra Plebeios & Cortiſanos ſtatuit, quos etiam ex Vrbe Romana, ad Sacerdotia, quæ tantopere venantur, ſub pœnâ Proſcriptionis & infamiæ, revocat.

Sigiſ. Petr. 1538 B 1 STatuta de numero Plebeiorum, ad Eccleſias Cathedrales recipiendorum, & de penſionibus ſubmovendis, ac de pœna contra Cortiſanos edita, quoties opus fuerit exequemur: & executioni debitæ demandari faciemus.

De eodem §.

Sigiſ. Aug. Petr. 1550. QVandoquidem in ordine militari multum ſitum eſt in Regno, videtur nobis res eſſe competens, & conveniens: ut ſpecialibus Privilegiis, ac prærogativis communiatur. Et quia hoc eſt Statutis anteceſſorum proviſum: ut homines plebeii, ad primarias ſeu Cathedrales Eccleſias ne dentur: ſed tantùm homines ex genere, aliàs ordine Nobilitatis, gentis Polonicæ: Quocirca mandabimus Capitulis: ut ne illos inter ſe, ſupra præſcriptum numerum ſuſcipiant.

PRATVM.

Prati demeſſor probet ſe emiſſe.

Kaz. Viſlic. 1368. BArtholdus depoſuit querelam, contra Andream: quòd pratum ipſius falcaſtraſſet, & dramina abſcidit: Andreas licet ſit confeſſus, prædictum pratum ſe falcaſtraſſe: tamen adijciendo propoſuit: quòd idem pratum Wladarius Bartholdi, pro pecunia certa ſibi falcaſtrandum vendidiſſet: & pro eodem prato, pecuniam idem Wladarius recepiſſet. quem tamen mortuum aſſerebat. Nos autem conſiderantes confeſſionem prædictæ Andreæ, & mortem ipſius Wladarii, in tali caſu decernimus: eundem Andream probare, prædictam prati emptionem & ſolutionem, taliter ut præmittitur eſſe factam.

§ Idem repetitur in Titulo: FOENUM.

§ Qui demetit alicujus fœnum, Vide in Titulo: FOENUM.

PRÆDONES.

Sigiſ. Crat. 1532. A 4 DE incendiis, & aliis violentis invaſionibus domorum, & injuriis, quæ à *Myſſká, Berká,* & reliquis prædonibus Sileſiis, Regno Poloniæ, & ejus incolis inferuntur, cenſemus cum toto Senatu ita providendum, ut ex publicis contributionibus, certus numerus equitum, in præſidiis finium terrarum majoris Poloniæ & Sileſiæ collocetur: qui hujuſmodi violentias & injurias hoſtiles inferri non permittant: teneriq; & ſervari ipſe numerus equitum debebit hoc anno: aliàs quandiu fines & terræ illæ non pacificabuntur. Reſtituta autem pace & pacificatione, ſublatoq; metu, à violentiis prædonum prædictorum, numerus ille equitum ſervari amplius non debebit: & ampliùs declaratis Sereniſſimo Regi Ferdinando, & Principibus, aliiſque ordinibus Sileſiæ, injuriis & damnis ſubditorum noſtrorum, niſi prædones poſt declarationem factam à vi & injuriis inferendis contineantur, & pro illatis damnis ſatisfaciant, Statutum, quod de non inferendo bello vel inimicitiis non denuntiandis cavet, relaxãbimus: & ut unicuiq; in poſterum vim vi impellere liceat, permittemus.

Exequutio Statuti Sereniſſimo olim Regis Alexandri de malefactoribus, prorogatur ad quinque annos.

Sigiſ. Petr. 1519. Fol 13 STatutum autem Sereniſſimi olim Alexandri Regis de malefactoribus & prædonibus, ſive ipſorum fautoribus, in Radomienſi Conventu quondam editum, ab hinc ad quinque annos exercendum etiam & exequendum, Conſiliariis noſtris idipſum ſvadentibus & petentibus promittimus & pollicemur. De quibus etiam Capitanei locorum nos certiores facere teneantur: Regiſtra examinum nobis tradendo: ſub pœna præmiſſa.

PRÆSCRIPTIO

Poſſeſſionis Præſcriptio animadvertenda eſt, & fines oſtendendi.

Wladislaus Iagello. Folio 44.

EX consvetudine, & Iure antiquo fervabatur: quòd vendens hæreditatem, emptorem per tres annos, & tres menses, ab impetitione quacunque, ad intervenientem & liberandum eundem sit astrictus, sed quia multoties contingit: quòd vicini illius venditæ hæreditatis, quorum limites etiam ipsam contingunt infra præfatos tres annos & tres menses, emptorem vexare postponunt: donec venditor & intercessor Præscriptione emptionis evadat: qua elapsa, primò emptorem pro Limitibus inquietare non formidant: licet venditioni præsentes extiterint: Ea propter volumus & Statuimus: Quòd cùm aliqua hæreditas emptori, per venditorem ostenditur, vicini illius hæreditatis per emptorem cum Ministeriali evicentur: quòd illi ostensioni interssint. Qui si venire noluerint, sic per Ministerialem vocati: & infra tres annos & tres menses, possessori quæstionem pro Limitib is non moveant: tunc possessor, ad probatiouem suæ emptionis, cum testibus admittatur: Præscriptioneq; tanti temporis juvabitur.

Præscriptio agendi pro Capite, trium annorum est.

Kazimi Magnus Vislic. 1368 Fol. 31

UT calumniis malorum hominum via præcludatur: Consveverunt enim quidam homines litigiosi, calumniosè viros innocentes, de crimine homicidii, commissi ante multos annos, querulosè accusare: cujus probatio vel expurgatio, propter facti vetustatem, haberi non potesti unde Statuimus: Vt si quis de crimine homicidii, vult accusare, vel agere contra aliquem: pœnam pro capite sibi cupiens vendicare & obtinere, antequam tres anni elabentur, à die criminis commissi, hoc in Iudicium deducat, aliàs tribus annis elapsis, petenti & agenti pro pœna capitis, obstabit Præscriptio, & exceptio Præscriptionis.

De eadem Præscriptione.

Sigis. Aug. 1550.

PRæscriptio currere debet pro capite, juxta Statuta.

Mulier maritata decennio præscribit.

Kazi. Magn. Vislic. 1368 Folio 18.

MVlier maritata, ad aliquam hæreditatem dicens, & credens (ratione dotis, vel quolibet alio modo) se Ius habere, & ad eam pertinere, si infra decem annos non curaverit, vel neglexerit, pro eadem hæreditate quæstionem intentare: ita quòd infra idem tempus decem annorum, tempore pacis & concordiæ, patiatur possessorem pacificè, & quietè possidere extunc decernimus: quòd eadem mulier, ab omni Iure hæreditatis ejusdem, se agnoscat cecidisse.

Vidua sexennio præscribit: & Præscriptiones tempore belli amittunt robur.

Kaz. Vislic. 1368 Fol. 18

VIdua, eodem modo asserens aliquam hæreditatem, ratione dotis, vel quomodolibet alio Iure ad se pertinere, quam hæreditatem alius possidet, si infra sex annos tempore pacis & concordiæ, sustinuerit vel passa fuerit, possessorem ipsam hæreditatem quietè possidere: Decernimus: Quòd vidua sentiat, se ab omni Iure illius hæreditatis cecidisse, ipsi verò possessori, ratione Præscriptionis, in eadem hæreditate plenum Ius sit acquisitum, Volumus tamen & declaramus: quòd præmissæ Præscriptiones, tempore pacis & concordiæ, vendicant sibi locum: tempore autem guerrarum, seu discordiarum, nullatenus sibi locum debeant vendicare: sed tunc opportebit se salutari remedio ejusdem Præscriptionis providere: juxta discordiam guerrarumq; qualitatem, sicut & captivis per Tartaros, nullam volumus fieri Præscriptionem.

De eisdem: viduarum & maritatarum Præscriptionibus: tum & virorum.

Kaz. Mag. Vislic. 1368 Folio 31.

CÙm realis distinctio personarum habeatur: inter quas quædam personæ sunt liberæ: ut virorum: aliæ autem, ut mulierum, quæ minus liberè agere possunt in Iudicio, super rebus & hæreditatibus, ipsi debitis & obligatis: Propter quod Statuimus: Vt viris, & Masculis, tantùm Præscriptio triennalis currat: viduis, sex annorum Præscriptio, propter fragilitatem sexus, apponatur: mulieri autem maritatæ, cùm non habeat sui ipsius potestatem liberam, propter maritum, decem annorum opponatur Præscriptio.

De maritarum Præscriptionibus.

Sigis. Petr. 1519.

NVptæ decennalem habeant Præscriptionem.

Præscriptiones Terrestres in Russia eædem.

Sigis. Crac. 1532. B 2.

PRæscriptiones Terrestres, quæ in aliis terris Regni nostri currunt, etiam in terris nostris Russiæ currere volumus, & Decernimus, præter easdem terras, & districtus: in quibus, propter hostilitatem, Iudicia celebrari & agi non possunt, nec celebrantur.

Qui emit villam, nec majorem partem ejus solvit, qua Præscriptione uti debet.

Kazi. Mag. Vislic. 1368 Fol. 19.

FRanciscus vendidit Georgio hæreditatem, pro centum Marcis: pro qua ipse Georgio statim quadraginta Marcas exolvit: residuam pecuniam promittens, in certis Terminis per annos soluturum, & sic idem Georgius, per quatuor annos pacificè & quietè, non facta totali solutione, tenuit & possedit prædictam hæreditatem. Demum propè finem quarti anni, idem Georgius emptor reliquam pecuniam offert se daturum, & soluturum Francisco venditori: Franciscus verò nititur, & quærit, quòd possit rescindere, & revocare eandem venditionem: cùm per tantum tempus, sibi totalis solutio non fuit facta, nec subsecuta. Quapropter nos Statuimus, & declaramus: propter quietam & pacificam possessionem, habitam per tres annos, & tres menses, venditionem prædictam perpetuam habere firmitatem: obstante tanti temporis taciturnitate, & Præscriptione.

Emptor villæ, contra Propinquos, Creditoresq; vendentis, triennio & tribus mensibus præscribit.

Kaz. Mag. Vislic 1368 Folio 33. DE cætero Statuimus: Quòd cùm aliquis emens hæreditatem, & ipsam tenens tribus annis, & tribus mensibus, pacificè & quietè: & si ipsam aliquis consanguineus, vel affinis, post prædictos annos impediat, volens ipsum ab eadem emptione, per proximitatem videlicet repellere, Statuimus: Quòd ex quo idem proximior tacui tribus annis, & tribus mensibus prænotatis: ut amodo non sit ei licitum, prædictam acquirere hoc modo hæreditatem. Hoc etiam volumus intelligi: Quòd si aliquis debitor diceret: Hæc hæreditas est mihi propinquior, quam tu tenes: Quia venditor ipsius, fuit mihi priùs debitus, antequam ipsam comparasti: Si talis, cujuscunq; conditionis fuerit, Christianus, vel Iudæus: & tacuit tribus annis, & tribus mensibus: silentium sibi perpetuum, pro eadem hæreditate imponatur.

Præscriptio, pro pecoribus, vel jumentis, vi vel furto ablatis.

Kaz. Mag. Vislic. 1368 Folio 38. STatuimus insuper: Quòd passus damna, per furtum vel spolium, in pecoribus, vel pecudibus, vel rebus minutis, infra annum tantummodo, evocandi ad Iudicium, quem voluerit, habeat facultatem: sed in jumentis, vel equis, violenter vel furtim ablatis, infra duos annos, post annos verò supradictos, ad agendum nonnisi cum testibus admittatur.

De Præscriptione Librorum Terrestrium, & Castrensium.

Ioan. Albert. Petr. 1446. Folio 109 ITem dubia declarantes, super Librorum Terrestrium & Castrensium Præscriptionibus, Statuimus: Quòd Libri Terrestres Præscriptiones habeant sic: ut Statuta antiquiora Kazimiri Magni, & aliorum successorum ejus, continent. De Castri verò Præscriptione, meminimus satis supra dictum, circa tribunalia Capitaneorum loca: sic ut ibidem specialiter colligitur, quamdiu Inscriptiones in eis contentæ sint valituræ.

§ De Præscriptione furti, Vide in Titulo: FURTUM.

§ Præscriptio divisionis inter fratres factæ, tribus annis & tribus mensibus ratificatur. Vide in Titulo: DIVISIO.

§ Moniales bona hæreditaria, intra XX. annos repetant, Vide in Titulo: MONIALIS.

De Præscriptione obligatæ hæreditatis, redimendæ vel non redimendæ.

Kaz. Mag. Vislic. Fol. 18 SI aliquis dedit bona quædam hæreditaria, in obligationem seu pignorationem: Volumus & decernimus: quòd idem sic obligans, aut eo deficiente ejus consanguinei, aut proximiores in gradu, coram Iudice nostro, (si saltem ipsius præsentiam habere poterint) vel in Parochia illa, ubi impignorata illa hæreditas sita est, aut præsertim in Colloquio generali, faciant fieri publicè, semel ad minus in anno, unam Protestationem

nem & denuntiationem obligatæ illius hæreditatis: nomenq; & summam pecuniæ, pro qua impignorata extat, exprimere faciat. Qua Protestatione sic facta, & denuntiatione, dictus obligans, aut proximiores ejus in gradu, (ut præmissum est) infra XXX annos, redimendi & liberandi prædictam hæreditatem, plenam & liberam habent facultatem. Quodsi non curaverint, vel neglexerint, per continuos quindecim annos dictam facere Protestationem: ab omni Iure hæreditatis, sic obligatæ, sentiant se cecidisse.

De Præscriptione hæreditatis petendæ.

Kaz. Mag. Vislicæ Folio 18. CÙm Præscriptio, propter segnitiē & pigritiam dominorum, sit instituta: proinde statuimus, & decernimus: Quod si aliquis credit, vel reputat se habere aliquod Ius, ad aliquam hæreditatem: quam aliquis præsentialiter possidet: si infra tres annos, & tres menses, tempore pacis & concordiæ, sustinet & patitur pacificè ipsum possessorem possidere eandem hæreditatem ita tamen, quòd licèt possit de facili, intra prædictum tempus & spatium trium annorum, & mensium, ad ipsum possidentem venire, vel coram Iudice convenire eundem: tamen immotam eandem reliquit quæstionem, & passus est possidentem: extunc ab omni Iure hæreditatis, quomodolibet sibi competenti, Censemus eundē, post decursum trium annorum & trium mensium, cecidisse.

§ Præscriptio sepis. Vide in Titulo: SEPES.
§ Præscriptio Virginis, seu orphanæ: Vide in Titulo: VIRGO.
§ Præscriptio frumenti mutuati: Vide in Titulo: FRUMENTUM.
§ Præscriptio fidejussionis: Vide in Titulo: FIDEIUSSIO.
§ Præscriptio furti: Vide in Titulo: FURTUM.
§ Præscriptio Kmethonis petendi: Vide in Titulo: KMETHO.
§ Præscriptio possessionis sive hæreditatis in pecuniis obligatæ: Vide in Titulo: OBLIGATIO.

PRIVILEGIUM.

Privilegia ab initio concessa, quibus derogatum est, quoquomodo ad statum priorem deducuntur, & confirmantur.

Wladisl. Iagello Fol. 52. ITem attendentes, quòd dicti Regni nostri incolæ & habitatores, in favorem nostræ Majestatis, Privilegiis ipsis, per Nos & Nostros prædecessores concessis, quandoq; derogârunt: eadem ipsorum Privilegia nostra, & prædecessorum nostrorum, Regum ac Ducum, & hæredum legitimorum & verorum Regni Poloniæ prædicti, ad statum priorem reducimus, reintegramus, restauramus: & præsentis scripti patrocinio confirmamus, ratificamus, & declaramus, ipsaq; robur obtinere perpetuæ firmitatis.

Privilegium Ludovici Regis, confirmans omnes Literas, Jura, & Libertates, per anteceſſores ejus indigenis Regni Poloniæ conceſſas: per quod novas exemptiones ſuas Regno dedit, Pulchras, & perutiles, ut Privilegium continet.

Ludov. Rex 1374 Fol. 40

IN Nomine Domini, Amen. Cùm geſta Principum debeant inviolabiliter futurorum memoriæ enodari: & Confirmationes, Libertates, immunitates, Privilegia, inſtrumenta, ratificationes, perpetuis temporibus perennari: Proinde Nos Ludovicus, Dei gratiâ Vngariæ, Poloniæ, Dalmatiæ, &c. Rex, ad univerſorum, tam præſentium quàm futurorum, notitiam volumus devenire: Quòd ex puro animo, & ſinceris affectibus, Regnum noſtrum Poloniæ in bono ſtatu & robore permanere anhelantes: Licèt aliàs promiſſionibus Inſtrumentorum, ſeu Privilegiorum, Nobilibus ipſius Regni Poloniæ fuiſſemus obligati: quòd decedentibus nobis de hac luce, maſculinam prolem noſtram tantùm, & non fœmineam, deberent habere & ſibi recipere noſtrum hæredem, & ſucceſſorem Regni Poloniæ: demum Baronum, Militum, Nobilium, & aliorum omnium conſenſu & voluntate accedente, filias noſtras, non extante prole maſculina, ſibi in dominos & hæredes Regni prædicti acceptârunt: quas fieri noſtros ſucceſſores, & Coronam Regni Poloniæ ipſas volunt, & voluerunt obtinere: Tamen in eo caſu, quo filium vel filias (Divina nobis providente clementia) habuerimus, unum ex eiſdem maſculis, illis deficientibus unam ex noſtris filiabus, nunc natis & extantibus, ac in futurum naſcituris, quem vel quam Nos, vel excellentiſſima Regina mater, conſors noſtra chariſſima, ipſis aſſignabimus, & aſſignabit, illum vel illam habeant, pro hærede & ſucceſſore noſtro: & ipſi Regnicolæ aſſumere teneantur, & habere: prout eiſdem, per Barones, Nobiles, Proceres, Civitatenſes, & ſingulos inhabitatores Regni Poloniæ, ſit & facta eſt, de noſtra voluntate, obligatio omagialis, & promiſſio fit & facta eſt: exnunc, prout extunc, & extunc, prout exnunc, recipient in Principem, hæredem, & legitimum ſucceſſorem: & deinde vel abinde, ſucceſſores eorundem vel earundem locum Regiminis habeant obtinere, in Regno Poloniæ prænotato.

Sutteſſores Regni, poſt Ludovicum.

Terræ Regni Poloniæ non alienandæ

§ Sed quia Corona Regni prædicti, per has ſucceſſiones poſſet aliquo modo dividi, rumpi, vel quovis modo violari: Promittimus bona fide, abſq; omni dolo cujuslibet fraudis, ſub Sacramento fidei noſtræ, ipſam Coronam Regni Poloniæ ſemper ſalvam, & integram, ac illibatam conſervare: & nullas terras, vel partes earum, ab ipſa alienare, vel minuere: ſed eam augere, & recuperare, velut in Coronatione noſtra, ſumus & fuimus obligati noſtris munimentis.

Libertates Polonis datæ, &c.

§ Et quia prædicti noſtri Nobiles, affectum ad nos habentes ſpecialem: quòd etiam prolem noſtram fœmineam, veluti maſculum, eis in Principem & Dominum (ut dicitur) acceptârunt: ideo ob merita, fideliaq; ſervitia facta, & voluntates univerſitatis ipſorum, quæ Nobis & noſtris pueris utriuſq; ſexus, facto fideli omagio præſtiterunt, & in poſterũ

loco

loco & tẽpore fidelia ſervitia ſunt parati (dante Domino) exhibere, eos ſpeciali favore proſequendo: Civitates, Caſtra, poſſeſſiones, oppida, & villas, incolas villarum totius Regni Poloniæ inhabitantes, ipſorum Baronum ac Nobilium omnium abſolvimus, liberamus & eximimus: ab omnibus & ſingulis collectis, donationibus ſive tributis, tam generalibus, quàm ſpecialibus, quocunq; nomine cenſeantur, & ab omnibus ſervitiis, laboribus, vexationibus, angariis, præangariis, in rebus, & perſonis cõmittendum, purè & ſimpliciter, ſolutos & abſolutos eſſe volumus, ac exemptos, ſed his tantùm volumus eſſe contenti, quod duo groſſi, uſualis monetæ in dicto Regno currentis (quorum quadraginta octo Marcam faciunt Polonicalem) de quolibet manſo, vel ſorte locatis, vel poſſeſſis, ſingulis annis, Nobis & noſtris ſucceſſoribus, in feſto Beati Martini Confeſſoris, in ſignum ſummi dominii, & recognitionem Coronæ Regni Poloniæ, exolvantur: Eo expreſſo: Quòd ſi inſultus hoſtium, in dictum Regnum invaleſceret: tunc Nobiles ipſius Regni, ad repellendum eorum ſævitiam, occurrant cum omnimoda eorum poteſtate. Demum ſi noſtro & noſtrorum ſucceſſorum regiminis tempore, pro aliqua expeditione facienda, ultra fines ipſius Regni, procedere nos expediat: vel eoſdem nobiſcum, cum inimicis quibuſcunq;, in eadem expeditione, conflictum ſeu bellum facere & inire contigerit: & aliqui ex ipſis, in eodem conflictu, ſi capti vel detenti fuerint: damnaq; parva, vel magna, perceperint: in rebus & perſonis, ipſis plenariam ſatisfactionem impendemus.

Folio 42.

§ Item ſi aliquod Caſtrum vetus reparatione indigeat: tunc tempore pacis Burgrabius, ſeu poſſeſſor, & conſervator illius Caſtri, tenebitur reparare. Oriente autem guerra & diſcordia, Caſtra noſtra in confinibus Regni noſtri Poloniæ ſita & exiſtentia, homines illorum diſtrictuum, ubi ipſa caſtra ſita exiſtunt, adjuvare ad reparationem, reformationemq; teneantur. Item ſi aliquod Caſtrum, pro defenſione & utilitate ipſius Regni, cum conſilio & conſenſu eorundem Baronum conſtruere voluerimus: tunc ad ejus conſtructionem, iidem Regni Proceres tenebuntur adjuvare. Si verò ſine ſcitu & conſenſu eorundem Nobilium, & Procerum, ædificare voluerimus: tuc ad ejus conſtructionem, noſtris ſumptibus & expenſis faciemus. Item promittimus: quòd tales honores & dignitates, utpote Palatinus, Caſtellanatus Iudicia, & Succamerariatus Officia, & his ſimilia, qui vel quæ uſq; ad vitam conſervari conſueverunt, aliis quibuſpiam hominibus extraneis hoſpitibus non conferemus: niſi talibus, qui ſint regnicolæ terrarum ejuſdem Regni: in quibus hujuſmodi dignitates vel honores conſiſtunt. Quas etiam dignitates, & omnia Officia ac ſingula, volumus in eorum Iuribus, prout fuerunt tempore Sereniſſimorum Principum dominorum, Wladislai avi, & Kazimiri avunculi, noſtrorum Regum Poloniæ, conſervare plenariè. Promittimus: Quòd nullum Baronem, Militem, ſeu Nobilem, vel alium quemcunque, cujuſcunq; conditionis exiſtat, extraneum, hoſpitem, ſeu alienigenam, præterquam natione Polonum, in Capitaneum præficere debemus: niſi talem, qui ſub eadem Corona, de gente Polonica ſit oriundus,

undus, dummodo non descendit de stirpe Ducali. Cæterum promittimus: Quòd nullum Castrum, seu Fortalicium Regni Poloniæ, alicui Duci uel Principi, aut descendenti de gente Ducali, regendum & tenendum committemus, pro tempore & in ævum. Deinde spondemus Castra & Civitates sæpè dicti Regni, de quibus honores & Iudiciales sedes procedunt, (hæc videlicet, Cracovia, *Biecz*, *Sadecz*, *Wislica*, *Woynicz*, in terra Cracovien si, Sandomirien si: *Zawichost*, *Lublin*, *Sieczziechow*, *Lukow*, *Radom*, in terra Sandomirien si: ac Castrum Lancicien: in terra Lancicien: terra Siradien: & *Piotrkow*, item in terra Cujaviæ, *Brzeście Kruſswica*, Wladislavia: item in Polonia Majori, Posnania, *Miedzyrzecz*, *Sbaſsyn*, *Kaliß*, *Nakiel*, *Konin*, & *Pyzdry* nuncupata) nulli alteri nisi terrigenis, seu Capitaneis, in eodem Regno consistentibus, conferemus. Alia autem quæcunq; hospitibus, vel aliis, quibuscunq; voluerimus Nos & nostri successores habebimus & habebunt, liberam conferendi facultatem. Decernentes: quòd ipsi Burgrabii, seu Rectores Castrorum, & homines ipsorum, coram Capitaneis, Iudicibus, Subjudicibus Regni prædicti, qui pro tempore fuerint, citati compareant, & respondeant de se querulantibus: prout cæteri Nobiles, & homines quicunq; Regni prædicti, dummodo causa ultionis sanguinem non requirat: cujus cognitionem, pro Nobis & nostris Successoribus reservamus specialiter. Præterea si per Regnum illud, quocunq; tempore, Nos & Successores nostros procedere contigerit: descensus super Barones, Nobiles, Milites, ipsorumq; populum, Kmethones, seu Ivagiones, non faciemus contra eorũ voluntatem: nec aliquid, occasione dicti descensus, exigi faciemus ab eisdem. Quòdsi aliàs pro faciendo descensu divertere non possemus: extunc pro nostris sumptibus, & pecunia nos procurari in victualibus, & aliis necessariis faciemus. Insuper omnes Barones, Magnates, Nobiles, Civitates, Oppida, Villas, possessiones eorundem populum, & Kmethones, in eorum libertatibus, pollicemur & spondemus conservare: nec eos contra illas intendimus aggravare: vel per quempiam faciemus aggravari. Omnes autem alias Literas, Ordinationes, pacta instrumenta & munimenta, data & concessa, per nos & successores nostros parte ex una, ac prædictos Barones & Nobiles Rgni prædicti: parte ex altera, quæ successionem filiarum nostrarum ducem vel inducem, in dicto Regno fieri excludebant, de consensu eorundem Baronum, Militum, & Nobilium dicti Regni Poloniæ, cassamus, vacuamus, annullamus· Cassas, vanas, vacuas, & irritas nuntiamus: volentes ipsas carere omni robore firmitatis, præsentibus solummodo perpetuis temporibus valituris. In quorum omnium evidens testimonium, firmitatemq; perpetuam, præsentes concessimus literas nostras, pendenti & evidenti Sigilli nostri simplicis munimine roboratas. Datum & actum Cassoviæ, 17. Mensis Septembris, Anno Domini 1374.

Wladislai

Wladislai Iagellonis Statuta, de libertatibus regnicolarum, tam Spiritualium quàm Secularium, in Iedlna concessum Privilegium: tamen datum erat Cracoviæ, Rege ex Iedlna illuc veniente: & sic in thesauro continetur scriptum.

WLadislaus, Dei gratiâ Rex Poloniæ, nec non terrartm Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Litvaniæq; Princeps, Pomeraniæ, Russiæq; Dominus & Hæres, &c, Significamus tenore præsentium, quibus expedit universis: Quomodo libramine veræ rationis, pensantes intemeratæ fidei & insuperabilis virtutis constantiam: quibus incolæ Regni nostri Poloniæ, in bellis & certaminibus, (quæ cum prosperis, auspice Domino, nostrorum triumphorum successibus, sæpe sæpiusque, pro defensione nostra, & Regni ejusdem, hostium sustinendo insultus suscepimus) placere nobis meruerunt: & votis nostris, obsecundatione fideli, non absq; variis periculis corporum, & extenuatione rerum, devota subjectione ubiq; & semper paruerunt: Horum intuitu, & aliorum contemplatione meritorum, quæ excelsa dona nostræ munificentiæ non indignè promerentur: volentes etiam, ut benevolentia eorum, fidei affectus, quos cum tanta sinceritate, in filios nostros, præclaros Principes, Wladislaum & Kazimirum direxerunt: quorum unum, quem aptiorem ad regimen Regni cognoverint, quem nostris requisitionibus admoniti, sibi, expleta vitæ nostræ periodo, pro Rege, Principe, Domino & Hærede Regni hujus Poloniæ, & terrarum Litvaniæ, & Russiæ, (quas præclarus Princeps Dominus Sigismundus Kerstuthi, Magnus Dux Litvaniæ, frater noster charissimus, prout in præsentiarum possidet, & debet ad tempora vitæ suæ possidere, & post obitum ejus ad Nos, & filios nostros prædictos, ac Coronam, vera & hæreditaria successione devolvi: sicut patentibus literis, ad hoc confectis, est firmatum) devotè & humiliter susceperunt: & Corona Regni, sceptrisq; Regalibus, cum solennitate cæremoniarum debita, promiserunt, tanquam verum & legitimum successorem, postquam ætatem legitimam habuerit, insignire: dignis pro grata vicissitudine, Regiæ celsitudinis muneribus compensentur: Omnia Iura, & ipsorum Privilegia, quæ dudum circa Coronationem nostram, & aliis post modum momentis & temporibus, ipsis concessimus, vel quæ eis alii Reges, & Principes, veri hæredes Regni Poloniæ prædecessores nostri, ab antiquis temporibus concesserunt, patrocinio præsentis Privilegii nostri ratificamus, approbamus, renovamus & confirmamus: sub infrascriptorum moderamine articulorum: quorum regulatione, si quæ obscura tenor prædictorum Privilegiorum comprehendit, sensum recipient clariorem: & ambigua omni dubietate carebunt: per quæ intellectus confundi, & nasci errores consueverunt. § * Primò quidem, quòd universas ædes sacras, seu Ecclesias, in omnibus eorũ Iuribus, immunitatibus, & libertatibus, ac metis, & distinctionibus antiquis, quibus temporibus dominorum prædecessorum nostrorum Poloniæ Regum ac Ducum fruebantur, volumus omnimodè coservare, Digni-

Wladisl. cõfirmat Privilegia & Iura per prædecessores suos incolis Regni Poloniæ data, interpretãdo obscura.

** Ecclesiæ omnes in suis libertatibus conservantur.*

tates autem Ecclesiasticas & Seculares Regni Poloniæ, æquo modo circa Iura & Consvetudines ac libertates ipsorum, quæ & quas temporibus Sereniſſimorum Principum Dominorum, Kazimiri, Ludovici, & aliorum Regum ac Ducum, hæredum Regni Poloniæ, obtinebant, dimittemus perſiſtere & permanere. § Quas qvidem Dignitates, cùm eas vacare contigerit, nulli extraneo terrigenæ, niſi Nobili benè merito, & in fama laudabiliter conſervato, illius terræ in qua dignitas vel honor vacaverit, (terræ videlicet Cracovienſis, terrigenam Cracovienſem: Sandomirienſis, terrigenam Sandomirienſem: & Majori Poloniæ, terrigenam Majoris Poloniæ: & ſic de ſingulis terris Regni Poloniæ) & ſic de ſingulis terris Regni Poloniæ) dabimus, & quomodolibet conferemus. § Super quibus Dignitatibus, Eccleſiaſticis & Secularibus, Literas expectativas nulli perſonæ dabimus in futurum. Et quòd præ dictas Dignitates, tam Eccleſiaſticas quàm Seculares, non debemus minuere: nec etiam ſuffocare: & poſſeſſiones, cenſus aut ſalaria ad eos pertinentia, abſq; Iuris debito examine non auferre. § Item quia per Tenutarios Caſtrorum & Fortaliciorum alienæ gentis, & extraneæ nationis, Regnum in ſe, & in ſuis partibus, crebrius periclitari contingit: pro eo, & ex eo, nulli Ducum, & de Ducali genere deſcendenti, ſeu extraneo alienigenæ cuipiam, aliquod Caſtrum, Fortalicium, aut Civitatem, ad regendum pro tempore, vel in ævum dabimus, aſſignabimus: aut quomodolibet conferemus, nec etiam aliquem talium, in Capitaneum aut Tenutarium terræ alicujus, aut terrarum Regni noſtri prædicti præficere volumus: nec etiam ſurrogare. § Item promittimus inſuper & ſpondemus: Quod dum ad requiſitionem noſtram, Nobiles noſtri Regni, extra metas eiuſdem Regni noſtri, ad repellendam hoſtium ſævitiam transferre contigerit: ipſis ſatisfactionem condignam, pro captivitate, cæteriſq; damnis notabilibus, faciemus. § Metas verò ſeu granicies ſæpe dicti Regni memorati, Nobiles, ab inſultu & incurſu æmulorum & hoſtium, proprijs ſumptibus tueri debent, & omnimodè teneantur. § * In caſu verò, quo aliquis æmulus Regni noſtri, quocunq; modo regnum noſtrum intraverit: & cùm eodem conflictum, intra metas eiuſdem Regni, terrigenas noſtros facere contigerit: eiuſdem terrigenis, pro captivitate duntaxat: Si verò extra metas idipſum fieri contigeritit: tunc & pro damnis, ſi quæ (quod abſit) incurrerint, & pro captivitate, ſatisfactionem condignam impendere. § *b* Et ſi quis ex noſtris Baronibus, Nobilibus, Proceribus, ſeu terrigenis, aliquem vel aliquos, captivum vel captivos, cujuſcunq; ſtatûs, conditionis, aut eminentiæ: captivaverit illis vel illis promittimus, à quolibet hujuſmodi captivo, dare & ſolvere unam Sexagenam monetæ, in Regno noſtro currentis: & recipere pro nobis captivum depactandum: exceptis Civibus & Plebeiis: quos ille vel illi depactent, qui eos duxerit, ſeu duxerint captivandos: pro libito ſuæ voluntatis. § *c* Item quòd quando præfatis noſtris terrigenis, extra metas Regni noſtri expeditionaliter exire, ſeu ſe transferre mandabimus, ſeu mandaremus: quinq; marcas ſuper quamlibet haſtam, dare, ſolvere,

Dignitates vacantes Nobilibus terrigenis illius districtus bene meritis dãda. Si per Beneficia & Dignitatibus Expectativæ non dabũtur. Provẽtus verò earundem non minuentur.

Nulli alienigenæ ſeu extraneo, Caſtra ſeu Civitates, ad regendum committantur.

Nobilibus extra Regnũ proficiſcentibus, indemnitatem Rex promittit.

Nobiles ab inſultu hoſtium, ſuis ſumptibus fines Regni tueri debent.

** Captũ in conflictu inter metas Regni, de captivitate duntaxat: extra metas verò, tam de captivitate quàm de damnis, Rex ſatisfaciat.*

b Nobilis Nobilem Regi tradet, ſexagenam recepturus: Civẽ verò per ſe depactaturus.

ſolvere, & diſtribuere promittimus: in Civitate nobiliori cujuslibet diſtrictus, ſeu antequam metas Regni noſtri exiverint prædicti. Caſu verò, ſeu ſucceſſu temporis ſe offerente, dum infra ſpatium duorum annorum, poſt diſtributionem pecuniarum ſic (ut præmittitur) factam, ad expeditionem non proceſſerimus: extunc iidem terrigenæ, ab hujuſmodi pecuniis & ſervitiis, ratione prædictarum pecuniarum faciendis, erunt ſoluti penitus & exempti. § Si autem infra decurſum eorundem duorum annorum, ad expeditionem cum eiſdem terrigenis noſtris tranſitum faceremus: & extra metas Regni noſtri, cum expeditione proceſſerimus: extunc prædicti terrigenæ, ab eiſdem pecuniis & ſervitiis, prætextu earundem ſimiliter ſint abſoluti. § *d* Item promittimus pro inclytis filiis noſtris prædictis: quòd poſtq am, dante Domino, unus illorum in Regem electus, ſceptra Regni Poloniæ amplectetur, monetam ex quocunq; genere metalli, abſque conſenſu & conſilio ſpeciali, Prælatorum & æaronum, in Regno Poloniæ cudere non permittet, quemadmodum Nos, ſine ipſorum conſenſu & conſilio hujuſmodi monetam cudere noluimus, neq; cudimus. § Abſolvimus inſuper, & perpetuo liberamus, omnes & ſingulos omnium noſtrorum terrigenarum Kmethones, ab omnibus Solutionibus, Contributionibus, & exactionibus, vecturis, laboribus, equitaturis, *Podwodis* dictis, angariis, gravaminibus, frumentorum dationibus, dictis *Sép* vulgariter: præterquam duos groſſos monetæ uſualis Polonicalis, & in Regno Poloniæ communiter decurrentis, quos quidem duos groſſos, quilibet Kmethonum prædictorum terrigenarum, de quolibet laneo poſſeſſo ſolvet: etiamſi illum plures perſonæ poſſideant. § Scultetis eorum, & ſervitoribus, (quos ab hujuſmodi ſolutione duorum groſſorum, volumus eſſe liberos & exemptos) necnon Molendinatoribus, Tabernatoribus, & Hortulanis, non habentibus nec colentibus agros, hoc eſt manſos, ſeu laneos, integros vel medios, duntaxat exceptis atq; demptis: ſingulis annis in futurum, in feſto Sancti Michaelis Archangeli, uſq; ad diem Sancti Nicolai, ſolvere ſit aſtrictus. Si autem prædictorum Molendinatorum, ſive Tabernatorum aut Hortulanorum aliquis, integrum Laneum agrorum coluerit: tunc ad ſolutionem duorum groſſorum. ſi verò medium laneum, ad ſolvendum unum groſſum, ſimiliter monetæ prædictæ, nobis ſint aſtricti. Ad quos quidem duos groſſos monetæ præſcriptæ, aliàs Sereniſſimo Principi Domino Ludovico, Vngariæ & Poloniæ Regi, ſolvere liberè ſe ſubmiſerunt. § Quòd ſi infra præfixum terminum, nobis aliqua villa pecuniam hujuſmodi ſolvere neglexerit: extunc Exactor noſter, quem pro tollenda eadem exactione duxerimus deputandum, in eadem villa unum bovem, ratione non ſolutionis, abſq; reſtitutione, habebit recipiendi omnimodam facultatem: Si verò infra quatuordecim dies, poſt ejuſdem bovis receptionem, eadem villa, & quævis alia, dictam pecuniam non ſolverit: extunc Exactor noſter duos boves conſimili modo, ſine ſpe reſtitutionis recipiat, atq; tollat. § Memoratus etiam Exactor, pecuniarum prædictarum prætextu, notæ (quod

c Terrigenis extra Regnũ Rege mãdãte progredientib. 5 Martii, pro qualibet haſta, per Regẽ denturo.

Terrigenæ pecuniu receptis, ſi Regem ad bellũ progredi non cõtingat infra biennium, à ſervitiis liberi erunt.

d Sine cõſenſu Cõſiliariorum monetã non cudenda.

Kmethones ab omnibus ſolution. & Contributionibus abſolvuntur: tantummodo duos groſſos de laneo dent.

Sculteti Molendinatores Hortulani, Tabernatores, agros non colentes à ſolutione duorũ groſſorum ſunt exempti.

Villa non ſolvens Contributionem duorum groſſorum quomodo pignoratur.

Exactor ratione notæ, ſeu Spiſne, nihil tollat.

Napiſne dicitur) nihil exigat, atq; tollat, & nihilominus literis ſuis Kmethones quittet, de ſolutis. § De Civitatibus autem antiquis, & novis, tempore regiminis noſtri locatis, ſic Statuimus: Quòd ille Civis ſeu Oppidanus, qui Civitatem cum uxore, filiis, & familia inhabitat, & agrum ſolus, vel per ſuum hortulanum, aut agricolam colit, non tenetur ad prædictam *Poradlne* penſionem, ſed ſi ante Oppidum vel Civitatem reſideret: ſolvet præfatam *Poradlne* penſionem: ac ſi in villa reſideret, non obſtante, quòd ad Ius & Iuriſdictionem ejuſdem Oppidi, ſeu Civitatis pertinere, vel cum eis onera ſufferre prohibeatur. § Item ſpondemus: Quòd in nulla terra totius Regni Poloniæ, Iuſtitionarium conſtituere volumus, vel quomodolibet ſurrogare. § * Præterea promittimus, Singulos articulos & clauſulas, in Privilegiis, nullo vitio falſitatis depravatis, Sereniſſimorum Principum Dominorum, Kazimiri & Ludovici, ac omnium aliorum Regum, Ducum, ex vera ſucceſſione hæredum antiquorum Regni Poloniæ, Eccleſiis, terrigenis, & Civitatibus conceſſis, noſtrorum prædeceſſorum contentas, præſertim commodum & profectum noſtrum, Regniq; Poloniæ ſæpe fati & ipſius incolarum, concernentes, firmiter & inviolabiliter obſervare perpetuis temporibus & tenere. § Item pollicemur: Quòd nullas ſtationes, ſeu procurationes: vel deſcenſus, in Civitatibus, villis, & hæreditatibus, curiis ac prædiis Eccleſiarum, Nobilium, & terrigenarum noſtrorum, faciemus. Si verò caſualiter, neceſſitate & opportunitate nos cogente, ſtationem in bonis, Civitatibus, Caſtris, aut Curiis Eccleſiarum, Nobilium, nos facere contigerit: extunc nil vi vel potentiâ recipere faciemus: vel quomolibet facere recipi permittemus, imò quæq; neceſſaria, noſtris pecuniis propriis volumus comparare. § Cæterum promittimus & ſpondemus: Quòd nullum terrigenam poſſeſſionatum, pro aliquo exceſſu ſeu culpa capiemus: ſeu capi mandabimus: nec aliquam vindictam in ipſo faciemus: niſi Iudicio rationabiliter fuerit convictus: & ad manus noſtras, vel noſtrorum Capitaneorum, per Iudices ejuſdem terræ, in qua idem terrigena reſidet, præſentatus. * illo tamen homine, qui in furto, vel in publico maleficio, (utpote incendio, homicidio voluntario, raptu virginum & mulierum, Villarum depopulationibus & ſpoliis) deprehendererur: Similiter illos, qui de ſe nollent debitam facere cautionem vel dare, juxta qnantitatem exceſſus vel delicti, duntaxat exceptis.

§ *a* Nulli autem bona ſeu poſſeſſiones recipiemus: niſi fuerit Iudicialiter, per Iudices competentes, vel Barones noſtros, nobis condemnatus. § *b* Item promittimus: Quòd omnibus terrigenis, cum bonis & hæreditatibus noſtris granicies poſtulantibus ac petentibus, non denegabimus. § *c* Item pollicemur: Quòd omnes terras noſtras Regni noſtri Poloniæ, etiam terram Ruſſiæ includendo, ſalvis tamen avenæ Contributionibus (de quibus nobis, ad tempora vitæ noſtræ, ſola Ruſſia reſpondebit) ad unum Ius, ad unam legem communem omnibus terris reducemus: reducimuſque, adunamus, & unimus, tenore præſentium

Civis extra Civitatē habitans Poradlne ſolvet: intra verò, minimè.

Iuſtitionarius non inſtituendus.

** Privilegia Eccleſiū ac reliquis terrigenis conceſſa, inviolabiliter tenenda.*

Rex ſtationes non capiat: ſed pecuniis æmat.

Nullus terrigena poſſeſſionatus, niſi iure convictus captivetur.

** Fur, latro, Incēdiarius, homicida, raptor virginū, villarum depopulator, ubiq; detinentur: Similiter qui de ſe Cautionē facere nollent, iuxta delicti quantitatem*

a Bona nulli niſi Iure victo confiſcāda.

b Terrigenis Commiſſarii ad faciendos limites dabuntur.

c Omnes terræ Regni ad unum Ius reducuntur.

mediante. § *d* Item attendentes, quòd dicti Regni noſtri incolæ, & inhabitatores, in favorem noſtræ Majeſtatis, Privilegiis ipſis, per Nos & noſtros prædeceſſores conceſſis, quandoq; derogârunt: eadem ipſorum Privilegia, noſtra, & prædeceſſorum noſtrorum, Regum ac Ducum, & hæredum legitimorum & verorum Regni Poloniæ prædicti, ad ſtatum priorem reducimus, reintegramus, reſtauramus: ac præſentis ſcripti patrocinio confirmamus, ratificamus, & declaramus: ipſaq; robur obtinere perpetuæ firmitatis. § Item ſi qui terrigenæ, aut quivis aliis incolæ Regni Poloniæ prædicti, pendente Lite in Iudiciis, pro quibuſcunque cauſis concordare voluerint: à pœnis noſtris, & Iudicum, & Subjudicum, Palatinorum, ac Caſtellanorum: eoſdem liberos facimus, & ſolutos. § Item promittimus: Quòd nulli pœnas ſuper Nobilibus, ad quas nobis Iudicialiter fuerint condemnati, exigendas donabimus; ſed eas per Nos, aut noſtros Capitaneos, ſeu Officiales exigemus: & exactas, juxta beneplacitum noſtrum convertemus. § * Item omnes incolæ terrarum, Cujavienſis & Dobrynenſis, de avena ſolita, quam nobis ſolvere conſvevcrunt, ad decem annos duntaxat nobis reſpondere ſint aſtricti, quibus revolutis, ab hujuſmodi avena liberi ſint, & exempti. § *b* Item Notarii Terreſtres, ad Officium Notariatus promoti, ſemper ſoli Iudiciis, & non per alios, vel Subſcribas, vel ſurrogandos reſideant: ubi commodè potuerint, aliàs liceret eis habere ſubſtitutos quos Baronibus, Iudicibus terrarum, in quibus Officium hujuſmodi poſſident, ſubſtituendos præſentare teneantur: & quòd tales ſint bonæ famæ: & à dictis Baronibus, & Iudicibus, ad Officium hujuſmodi approbari, aliàs nobis continuò hoc ipſorum Officium, aliis habilioribus, & magis aſſiduis eſt conferendum. § *a* Nulla autem levis cauſa, niſi ardua, abſentiam Notariorum poterit excuſare. Harum, quibus Sigillum noſtræ Majeſtatis appenſum eſt, teſtimonio literarum. Datum Cracoviæ Feria ſexta infra Octavas Epiphaniæ Domini, Anno Domini, 1433. Præſentibus Reverendis in Chriſto Patribus, Magnificis: & Nobilibus: Alberto, Sanctæ Gneſnenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, & Primate: Zbigneo Cracovien: Ioanne Wladislavienſi, Ioanne Chelmenſi, Epiſcopis: Nicolao de Michalow Caſtellano & Capitaneo Cracovienſi: Petro Szafraniec Sandomirienſi, Martino de Kalinowa Siradien: Ioanne de Lichin Brzeſten, Iarando de Grabie Wladislavien, Palatinis: Petro de Bnyno Gneſnen: Laurentio Zareba Siradien: Alberto Malski Lancicien: Dobeslao de Oleſznica Voynicenſi, Criſtino de Koziegłowy Sandecenſi, Domaratho de Kobylany Bieczen: Criſtino Brzezen, Ioanne de Kretkow Dobrinen, Varſchio de Samborzecz Zawichoſten, Paulo de Slodczy Malogoſten, Stanislao Gamrath, Polancecn, Paſzkone de Goslawice Konarienſi, Stanislao de Gozdna Brzeſten, Caſtellanis: Ioanne de Oleſznica, Regni noſtri Poloniæ Mareſchalco, Petro de Pieſzkowa Skała Cracovienſi, Petro Korczbok Poſnanienſi, Stanislao Bielawski Lancicienſi, Stanislao Sczkowski Wladislavienſi, Andrea de Lublin Dobrinenſi, Regni noſtri Poloniæ Theſaurarii, Succamerariis: Paulo de Bogumilowice

d Priv. legiis quib. aliquid derogatū eſt, robur priſtinum reſtituendum.

Lite pendente, concordiam tētantes à pœnis quibuſvis abſolvuntur.

Pœnæ Regiæ nulli donandæ, ſed per Capitaneos exigendæ.

** Ad decennium incolæ terræ Cuiavien. & Dobrzynen. avenæ Coutributionē dabunt.*

h Notarii terreſtres, per ſe in Iudiciis reſideant: alias ex cauſa rationabili, ſubſtitutos ad arbitrium Iudicū & aliorum Nobilium. habere poſſunt.

a Notarius negligēs, Officio privatur.

milowice Cracovien: Ioanne de Sprowa Sandomirienſi, Abrahæ de *Sbaſzyn*, Poſnanienſi, Petro de Widawa Siradienſi, Nicolao Slup Dobrinenſi, Iudicibus: Stanislao de Chrabiowice Sandomirienſi, Zegotæ de Moykowice Siradien, Alexio Dobrinen, Nicolao de Koſcielec Bydgoſtienſi, Vexilliferis: Petro Strynkowski Pincerna Lancicienſi, Sigiſmundo Bobowski Cracovienſi, Zwiſſio de Oleſznica Sandomirienſi, Subjudicibus: & aliis Militibus in generali Parlamento, ſeu Conventione conſtitutis. Datum per manus prædicti Reverendi Patris, Domini Ioannis Epiſcopi Wladislavien: Regni Poloniæ Cancellarii: & Venerabilis Wladislai de Oporow, Decretorum Doctoris, Decani Cracovien: Sedis Apoſtolicæ Protonotarii, ejuſdem Regni Vicecancellarii.

Confirmatio Privilegiorum, & aliorum Iurium, cum additione aliquorum articulorum, per Wladislaum Iagello Regem, ipſis regnicolis in loco Campeſtri, prope Czyrwienſko, de Anno Domini M.CCCC.XXII. conceſſorum.

Folio 48. IN Nomine Domini, Amen. Ad perpetuam Rei memoriam, non debent res humanæ uſq; quaque deficere in robore, & viribus enervari à quopiam: quos ſolida Principum firmavit authoritas: perfectio planta vit literarum: & fides plena teſtimonii perfecit. Proinde Nos *Wladislaus* Dei gratia Rex Poloniæ, necnon terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ: Princepſq; ſummus Litvaniæ, Pomeraniæ: Ruſſiæq; Dominus & Hæres &c. Significamus tenore præſentium, quibus expedit univerſis, tam præſentibus quàm futuris, præſentium notitiam habituris: Quomodo ad fidem eximiam, & obſequia ſemper fideli continuata ſtudio attendentes: Quibus Prælati, Barones, Proceres, Nobiles, ac univerſa Regni noſtri militia, nunc ſuis nos dirigendo conſiliis, nunc in bellis, nunc in caſibus & contingentiis noſtris, infatigabili virtute nobis adhærendo, gratos ſe nobis reddiderunt, & quotidie reddunt inceſſanter: & aucta fidelitatis ſuæ præſtantia, adhuc magis reddere poterint in futurum: propter quæ Regalis munificentiæ noſtræ dona, merentur à nobis recipere. § Horum intuitu, volentes ipſos gratiarum noſtrarum favoribus prævenire: & eorum profectibus, quos ſemper cum propriis computamus, intendere: quatenus ſic ad noſtra ſervitia valeant, ferventioribus animis convolare: ad inſtantes petitiones ipſorum, nobis cum humilitate oblatas, & maximè ad preces, interventus, & ſuaſum Sereniſſimi fratris noſtri charisſimi, Domini Alexadri aliàs *Witowdi*, Magni Ducis Litwaniæ, ſpeciales: infraſcripta Iura, libertates, & exceptiones, velut ipſis accommoda & neceſſaria, perpetuis temporibus ipſis concedimus duratura. § Inprimis pollicemur: quòd amodo & in antea, nunquam abſq; conſilio, ſuaſu. & conſenſu, & annuentia ſpeciali Prælatorum, & Baronum *Regni* noſtri, monetam nunc currentem in Regno noſtro, vel aliam extraneam, aut de novo inventam cudere faciemus, aut cudi permittemus: & cudentes juxta ipſorum demerita pœnis legis affligemus: ut per hæc damna, & importabilis ſubditorum

Commendat Regia Maieſtas Regnicolas ſuos, recẽſendo virtutes eorum quàm multiplices.

Exprimit Regia Maieſtas affectum quẽ habet ad ſubditos ſuos.

Rex non debet cudere Monetã, abſq; communi ſuorum Regnicolarũ conſenſu & decreto cudens, alias Monetam clam pœnæ legis eſt puniendus.

ditorum noſtrorum penuria, per cujus abuſum hæc ubique, in Regno noſtro abundarunt, tempore noſtri regiminis, feliciter auferatur.

Meminit Statutorum Kazimiri Magni, Visliciæ editorum.

§ Quemadmodum divæ memoriæ, Dominus Kazimirus Olim Rex Poloniæ anteceſſor noſter, hoc ipſis conceſſerat, in libro Terreſtri, quẽ cum Prælatis & Baronibus ſuis, quondam Visliciæ in Conventione generali edidit, pro memoria ſempiterna dereliquit. § Item, in gratia uberiori conſolentur à nobis: etiam nos fide & ſervitiis amplioribus proſequantur: promittimus: quòd exnunc & de cætero, nunquam alicujus ſubditi Regni noſtri, cujuſcunq; eminentiæ, ſtatus, aut gradus fuerit, bona hæreditaria recipiemus, confiſcabimus: recipi vel confiſcari faciemus. § Nec ſe de eis per nos, vel Officiales noſtros, vel alios quoſcunq; homines intromittemus, vel intromitti faciemus, pro quibuſcũq; exceſſibus aut culpis: niſi priùs ſuper hoc præcedat Iudicium noſtrorum: quos ad hoc deputaverimus: cum noſtris Prælatis, Baronibus, matura cognitio & ſententia ſequatur. §* Item nolumus amodo, nec debemus alicui petenti noſtram Majeſtatem, granicies militum, ſeu granicierum hujuſmodi cum bonis, villis, & hæreditatibus noſtris diſtinctionem denegare vel differre: dummodo per vim & violentiam non exigatur à nobis. § Item cùm ex hoc non modica ſubditis noſtris contingant diſpendia, ſi Iudices in terris, in quibus præſunt, Iudiciis in Capitaneos præficimus: propterea exnunc & in antea nolumus, aliquem Iudicem illum, terræ illi in Capitaneum præponere, in quo Iudicio præſidet, & Iudicii obtinet poteſtatem. §*Præterea ut inter Nobiles Regni noſtri, & alios ſubditos, jurgia, contentiones, diſſidia, ſtrages, & homicidia ſubmoveantur: quæ poſſent veriſimiliter ſuboriri, dum pœnas noſtras, quæ nobis de Iudiciis noſtris proveniunt, familiaribus, vel aliis ſubditis noſtris, ad eorum importunas petitiones, ab illis concedimus exigendas: qui ad illa, nobis condemnantur. Proinde præſenti ſcripto Pollicemur: nunquam alicui hujuſmodi pœnas in ſubditis dare, aſſignare & deputare: ex quacunq; cauſa vel ratione: ſed eas per Officiales noſtros, pro nobis faciemus exigere: aut eas illis, qui nobis ad eas ſunt obnoxii, pia manſvetudine indulgere: vel aliàs de exactis diſponere: juxta noſtram Regiam voluntatem. Cæterum, cùm omnibus terris, quas Regni noſtri ambitus comprehendit, velut unicus Princeps & Dominus æqualiter dominemur: non eſt æquum, ut variis modis judicandi populus nobis ſubjectus, & ſub noſtro exiſtens regimine, in varios ritus judiciorum dilabatur. § Præterea perpetuò edicto Statuimus: ut omnes & ſinguli homines Regni noſtri, cujuſcunq; conditionis, ſtatus, dignitatis, aut gradus fuerint, cauſas in Iudiciis noſtris terreſtribus proponentes, vel proponere volentes, ſingulariter ſinguli, & generaliter univerſi, eodem Iure, modis conſvetudinibus, & ritibus per regnum noſtrum potiantur nec audeant Iudices ſedibus & tribunalibus Iudiciorum noſtrorum præſidentes, alios modos, ritus, & conſvetudines, circa terminos & ſententias obſervare: niſi illos quos præfati Domsni Kazimiri prædictus Liber & Conſvetudines doceant & informent: ad quem ſemper recurrant.

Rex promittit nulli Regnicolarum recipere bona pro quolibet exceſſu, niſi quis fuerit iure convictus.

** De granicebus per Regem faciẽdis.*

Nullus Iudex poteſt effici Capitaneus illius terræ, cuius eſt Iudex.

** Pœnas in ſubditis ſuis Rex nemini debet conſer re.*

In omnibus terris, Regno Poloniæ ſubiectis unum Ius, una conſvetudo Iudicii debeat obſervari.

Quicquid autem per ipsos aliter fuerit Iudicatum, & sententiatum, irritum remaneat: & nullius roboris vel momenti. § Insuper licèt collectores nostri per terras nostras Cracovienſem, & Sandomirienſem, pro Exactionibus nostris, vulgariter *Kroleſtwo* nuncupatis, in signum subjectionis & veteri dominii nobis solvi ibidem in moneta currenti, & consvetis grossis Pragen, à Kmethonibus receperint, & nostro infiscaverint Thesauro: ne tamen hoc valeat in posterum dictis terris parare aliquod detrimentum: vel juribus eorundem derogare: Decernimus, & edicto perpetuo Statuimus: ut amodo, in dictis terris Cracovien, & Sandomirien, non alia nisi currens & communis in Regno Moneta, pro hujusmodi Exactionibus nostris exigatur. hoc proviſo: q' òd si aliqui subditi nostri in dictis terris à suis Kmethonibus, pro ipsorum censibus grossos Pragen, receperint, vel recipere voluerint: illi etiam Kmethones: ad solvendum nobis similes grossos Pragen. pro Exactionibus nostris per nostros Collectores arceantur. § Postremò ut subditi & indigenæ Regni nostri tam Spirituales, quàm Seculares, absq; ulla ambiguitate juribus & Privilegiis, quæ nobis dudum à nostris prædecessoribus divæ memoriæ Regibus Poloniæ, & à nobis sunt concessa, securiùs uti possent, & potiri: nec aliqua circa eorum continentiam hæsione suspendi: omnia & singula Piivilegia, & Iura, libertates, & concessiones nostras, & nostrorum prædecessorum prædictorum, quas obtinent, articulis, sententiis, & clausulis præsentibut, innovamus, ratificamus, approbamus, & robur perpetuum apponimus & addimus eisdem. In quorum omnium & singulorum præmissorum testimonium, Sigillum nostrum præsentibus est appensum. Actum in *Kolo* Campestri stationum Exercituum nostrorum, ultra *Wislam*, propè Monasterium *Czerwienſko* dicœce. Plocen. in Crastino S. Mariæ Magdalenæ electæ. Anno Domini M. CCCC. XXII. Præsentibus præfato Sereniſſimo fratre nostro Domino Alexandro, altàs *Witowdo*, Magno Duce Litvaniæ, &c charisſimo, consensum & consilium ad omnia præmissa præstante, & præbente, necnon Reverendis in Christo Patribus, ac Magnificis, & Nobilibus Viris, Dominis, Nicolao Archiepiscopo Gnesnensi, Iacobo Episcopo Plocensi Ecclesiarum. Ioanne de Tarnow Cracou. Sandivogio de Ostrorog Posnanien. Nicolao de Michalow Sandomirien. Nicolao de Oporow Lancicien: Palatinis. Martino de Kalinowa Siradien. Dobkone de Oleſznica Woynicien: Martino de Rytwiány Zawichostен: Castellanis. Paulo de Bogumilowice, Cracov. Petro de *Widawa* Siradien: Prandota Sarnowski Lancicien: Iudicibus, & aliis pluribus Baronibus, & Militibus nostris fidelibus dilectis. Datum per manus Reverendi Patris Domini Alberti Episcopi Cracovien: Regni Poloniæ Cancellarii supremi: & Venerabilis Ioannis Decani Cracovien. Vicecancellarii, nobis sincerè dilectorum.

Exactio, dicta Kroleſtwo quæ aliàs duorum grossorum, seu Poradlne nuncupatur, cõmuni Moneta, & Pragenſibus grossis debet solvi.

Confirmat Omnia Privilegia, & libertates, universis regnicolis.

Wladislaus

Wladislaus Iagello Rex Poloniæ, confirmat Statutum Kazimiri Magni, & pœnam decernit contra eos, qui ad bellum eundo, damna inferunt, in bonis Spiritualium, & Monasteriorum, & Secularium.

QVanquam felicis recordationis Kazimirus Rex Poloniæ, Prædecessor noster, cum nonnullis Principibus terrarum, Regno & Majestati suæ contrariantibus, per multa tempora bella & expeditiones habuerit, fecerit, tenuerit, & exercuerit: & nunquam tamen tempore felicis sui regiminis Regni, per bellatores, tot gravia damna, pericula, sacrilegia, effractiones Ecclesiarum, & devastationes bonorum Ecclesiæ, & Monasteriorum, ac aliorum bonorum fuerunt, nec sunt tot, & tam gravia: uti felicis tempore nostri regiminis Regni (quod condolentes referimus) perpetrata ac commissa. § Statuerat enim & ordinaverat, laudabiliter præfatus prædecessor noster, cum Prælatis & Dominis Regni sui: Quòd omnes & singuli regnicolæ, ad expeditionem euntes, quocunq; nomine censerentur, nunquam in Civitatibus, Oppidis, villis, allodiis, & aliis bonis tam Ecclosiarum, & Monasteriorum, & Secular õ, qui ædificia habent, sed in campis, vel rubetis stationem facere: nullasque rapinas, bonorum quorumcunq;, & violentias cuiquam inferre debuissent. § * Item, Statuerat tum Prælatis & Dominis prædictis, leviori comparatione expeditionem transeuntium & utilitate Regni pensantis: Quia euntes ad expeditionem, pro expensis suis comparandis, bovem pro media marca, vaccam pro octo Scotis, pro fertone porcum, Mutonem pro duobus grossis, duas aucas pro grosso uno, sex pullos pro grosso. Capetam tritici, pro duobus grossis, Capetam siliginis, pro grosso, & Capetam avenæ, pro grosso similiter emere debuissent. Quod Statutum, per longam consvetudinem terrigenarum nostrorum, fuit & est tentum & laudabiliter obsservatum. Sed tempore felicis nostri regiminis Regni, quorundam incolarum, Regni nostri detestanda perversitas, nesciens abstinere à vetitis, nec debito modo gaudere concessis, tam laudabile Statutum, in abusum damnabilem, deducentes, non tantùm præmissa, sed multò plura, & majora mala, quæ divinæ Majestatis offensam, Regniq; nostri desolationem, inducere videntur, fero citer perpetrando commsiit: prout ex subditorum nostrorum querelis, & querulosis clamoribus percepimus: & nos ipsi, certa experientia, probavimus. Ex quibus in Regno nostro, multa scandala, magna pericula & gravia incommoda, necnon destructiones Ecclesiarum, & Monasteriorum sunt secuta: & ampliora sequi (nisi celeri remedio succurratur) verisimile est in futurum. § Nos igitur præmissis & aliis malis occurrere, & iudemnitatibus Regni nostri, & Ecclesiarum Monasteriorumque, provida circumspectione providere cupientes: tam laudabile Statutum, prædicti prædecessoris nostri, de consilio pariter & assensu, Prælatorum & Dominorum Regni nostri, approbantes illud, auctorita-

Folio 63.

Ad Bellum euntes, non in Civitatibus, Oppidis, villis, vel allodiis Spiritualium, vel secularium, faciant stationem: sed in Campis.

** Euntes ad Bellum, bovem media Marca, vaccam octo Scotis porcum Fertone, Mutonem duobus grossis duas aucas uno grosso, sex pullos uno grosso capetam tritici duobus gross. siliginis uno gross. capetã avenæ gross. cõparabunt.*

Wladislaus Rex, confirmat Statutũ Kazimiri, & mãdat illud publicari: Trãsgressores Statuti, pœna 14 Marc. una cum illatis damnis puniendos.

te noſtra Regia confirmamus: noſtris vobis dantes in mandatis: quatenus tam laudabile Statutum in Civitatibus, & Oppidis noſtri Regni, ac ipſius confirmationem, & approbationem publicare, & proclamare faciatis: illudq; ab omnibus regnicolis noſtris, ſub obtentu gratiæ noſtræ obſevari præcipiatis. Tranſgreſſores verò ipſius, nobis & illis quibus damna intulerint, pœnam *Siedmnadzieſta*, aliàs 14. Marcas vel majorem pœnam illius terræ, per cujus Terrigenas prædicto Statuto contraventum fuerit, una cum illatis damnis, & injuriis, ſolvere tenebuntur.

b *Damna iuramẽto ſolius, cui illata ſunt, probari debent: Pontificibus in remotis agentibus, exceptis qui per Procuratorss idones, tam Spirituales quàm Seculares, Nobiles iſtud præſtabunt.*

§ *b* Quæ damna & injuriæ per illius ſolius juramentum, cui illata ſunt, quicunq; ille ſit, coram nobis probari. duntaxat exceptis Pontificibus, qui cùm ſæpius ex diverſis, in remotis partibus cauſas agere habent, Procuratores ipſorum, diſcretos & idoneos Spirituales, & Nobiles Seculares, nobis iſtud præſtent. § * Vobis nihilominus hujuſmodi tranſgreſſores Statuti præſentis, noſtra approbatione & confirmatione judicandi, condemnandi, & ſatisfactionem compellendi, & puniendi, omnibus dilationibus remotis, omnimodam damus & committimus facultatem. § *c* Mandantes vobis omninoq; habere volentes: Quòd præſentes noſtras approbationis & confirmationis hujuſmodi literas, in libro Terreſtri, de verbo adverbum, ad perpetuam memoriam ſcribi & inferri facidtis, Nos igitur Wladislaus Dei gratia *Rex* Poloniæ, &c. Hoc laudabile Statutum ſuperiùs notatum Sereniſſimi Principis, & Domini Kazimiri, Dei gratia Regis olim Poloniæ, prædeceſſoris noſtri, renovando confirmamus: & ad librum Iuris Terreſtris ſcribi, & notari juſſimus: prout antea in Statutis ejuſdem Domini Regis Kazimiri continetur: ac in omnibus prius enarratis, obſervari, & teneri fecimus, de Cõ. ſilio Prælatorum, ac Dominorum noſtrorum.

* *Dat Rex authoritatẽ Iudicibus tranſgreſſores iudicãdi, cõdemnãdi, puniendi, & ad ſatisfaciendũ compellendi.*

c *Ad perpetuam rei memoriã, Rex mãdat hanc cõfirmationẽ, in Librũ Terreſtrẽ ſcribi & inferri, de verbo ad verbum.*

Conſtitutio Kazimiri Regis tertii Filii Wladislai Iagellonis, de profectione bellica, & pro damnis in profectione illa commiſſis, in Conventione Piotrcovienſi generali, Sabbatho poſt feſtum S Andreæ Apoſtoli Anno Domini 1457. edita: per quam datur arbitrium, damna poſſis, excommunicandi Iudices, pro injuſtitia.

Folio 64. Iſta Conſtitutio Kazimiri eadem eſt in forma cum Cõſtitutione Wladisl. ſui progenitoru, præter paragraphũ illũ. Quòd ſi vos, aut aliquis veſtrum.

KAzimirus Dei gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæq; Dominus & Hæres. Vniverſis & ſingulis Capitaneis Regni noſtri, tam generalibus, quàm particularibus, quibuſcunq; terris, & diſtrictibus præſidentibus, Gratjam & benevolentiam Regalem. Magnifici, Generoſi, & Nobiles fideles noſtri dilecti: Quanquam felicis recordationis Kazimirus, Rex Poloniæ, Prædeceſſor noſter, cum pluribus hoſtibus Regni ſui, per tempora multa, bella, expeditiones, habuerit, fecerit, tenuerit & egerit: nunquam tamen tempore felicis ſui regiminis Regni, per bellatores, tot & tam gravia damna, pericula, ſacrilegia, effractiones bonorum Eccleſiæ & Monaſteriorum, fuerunt & ſunt commiſſa: quod & quàm gravia tempore noſtri felicis regiminis Regni, (quod

(quod dolenter referimus) fuerunt, & ſunt commiſſa, & perpetrata. Statuerat enim & laudabiliter ordinaverat, præfatus prædeceſſor noſter, cum Prælatis & Conſiliariis Regni noſtri: Quòd omnes, & ſinguli regnicolæ, quocunque nomine cenſeantur, ad expeditionem euntes, nunquam in Civitatibus, Oppidis, villis, allodiis, & aliis bonis, tam Eccleſiarum, & Monaſteriorum, quàm Secularium quæ ædificia habent, ſed in campis, vel rubetis ſtationem facere. Nullaſq; rapinas, bonorum quorumcunqe committere & violentias inferre cuicunq; debuiſſent.

§ Item ſtatuerat cum Prælatis & Conſiliariis prædictis, pro leviori comparatione expenſarum, ad expeditionem tranſeuntium commoda, & utilitate Regni penſatis: Quia euntes ad Expeditionem, pro expenſis ſuis comparandis bovem pro media Marca, vaccam pro octo Scotis, porcum pro fertone, Mutonem pro duobus groſſis, Caſſulam ſiliginis pro groſſo, & Caſſulam avenæ pro groſſo emere debuiſſent. Quod Statutum per longam conſvetudinem terrigenarum noſtrorum, fuit & eſt tentum & laudabiliter obſervatum. Sed tempore noſtri felicis regiminis quorundam regnicolarum noſtrorum deteſtanda perverſitas, neſciẽs abſtinere à vetitis, neq; debito modo gaudere conceſſis, tam laudabile Statutum, in abuſum damnabilem deducens, non enim præmiſſa, ſed multò plura ac majora mala, quæ Majeſtatis divinæ offenſam, & Regni noſtri deſolationem inducere videntur, ferociter perpetrando commiſſit: prout ex ſubditorum noſtrorum clamoribus queruloſis percepimus: & nos ipſi certa experientia probavimus: ex quibus in Regno noſtro multa ſcandala, magna pericula, & gravia incommoda, necnon deſtructiones Eccleſiarum & Monaſteriorum, ſunt ſecuta & ampliora ſequi (niſi celeri remedio ſuccurratur) veriſimiliter præſumitur in futurum. Nos igitur præmiſſis & aliis malis occurrere, & indemnitatibus Regni noſtri, ac Eccleſiarum & Monaſteriorum utilitatibus provida circumſpectione providere cupientes tam laudabile Statutum, prædeceſſorum noſtrorum, pariter & aſſenſu Prælatorum, Conſiliariorum Regni noſtri, approbantes illud, authoritate noſtra Regia confirmamus. Vobis & cuilibet veſtrum dantes in Mandatis: quatenus tam laudabile Statutum, ac ipſius approbationem & confirmationem, in Civitatibus & Oppidis Regni noſtri, publicari & proclamare faciatis Illud quoq; ab omnibus regnicolis noſtris, ſub obtentu gratiæ noſtræ, obſervare præcipiatis. Tranſgreſſores verò ipſius, nobis, & illis quibus damna intulerint, pœnam *Siedmnadzieſta*, vel majorem pœnam terræ illius, per cujus terrigenas prædicto Statuto contraventum fuerit, unà cum illatis damnis & injuriis, ſolvere tenebuntur, quæ damna & injuriæ, per illius ſolius juramentum, cui illata fuerint, quicunq; ille ſit, coram nobis probari debet: exceptis Pontificibus, qui cùm ſæpiùs ex diverſis cauſis in remotis partibus agere habent, per Procuratores eorum diſcretos & idoneos Spirituales, vel Nobiles Seculares, coram nobis illud præſtent: Vobis nihilominus, & veſtrum cuilibet, hujuſmodi tranſgreſſores Statuti, præſenti noſtra approbatione, & confirmatione judicandum & con-

demnandum, satisfacere compellendum, puniendum, omnibus dilatiõnibus remotis, omnimodam damus & committimus tenore præsentium facultatem. § Quod si vos aut aliquis vestrum, in exhibenda justitia, injurias aut damna passis, postquam per eos requisiti fueritis, negligentes ac remissi fueritis: ¦poterint personæ Ecclesiasticæ contra vos, & quemlibet vestrum, pro hujusmodi negligentia, uti Iure Spirituali: & per Iudices Ecclesiasticos, censuris Ecclesiasticis compellere: quibus vos subijcimus. § * Volumus tamen esse in optione & arbitrio injuriam aut damnum passi, quod possit & valeat super damnis & injuriis sibi illatis, ad Ecclesiasticum vel Secularem Iudicem pro justitia recurrere. Mandamus vobis & cuilibet vestrum, omninò habere volentes, quod præsentes nostras hujusmodi approbationis & confirmationis literas, in libro Terrestri, de verbo ad verbum, ad perpetuam rei memoriam scribi & inseri faciatis: in testimonium futurorum, secus nostræ gratiæ sub obtentu non facturi. Actum & Datum Petricoviæ, in Conventione generali: Sabbatho post festum Sancti Andreæ æpostoli. Anno Domini, Millesimo, quadringentesimo, quinquagesimo septimo: nostro sub Sigillo præsentibus appenso, &c. Præsentibus ibidem Reverendissimo Reverendisq; in Christo Patribus, Dominis, Ioanne in Sanctæ Ecclesiæ Gnesnensis Archiepiscopo, & Primati: Thoma Cracovienſi, Ioanne Wladislavienſi, Cancellario: Andrea Posnanienſi Episcopis, Venerabiliq; Ioanne Lutkonis de Brzezie, Vtriusq; Iuris Doctore, Archidiacono Gnesnen. Vicecancellario Regni Poloniæ: necnon Magnificis, Generosis, Strenuis, & Nobilibus: Ioanne de Czyzow, Castellano & Capitaneo Cracovienſi, Stanislao de Ostrorog Calissienſi, Derslao de Rytwiany Siradienſi, Petro de Oporow Lancicien. Nicolao de Koscielec Wladislavien: Palatinis. Andrea de Sprowa Palatino & Capitaneo Leopolienſi, Petro de Szamotuly Posnanienſi, Petro de Gay Calissienſi. Hincza de Rogow Siradienſi, & Regni Poloniæ Vicethesaurario, Creslao de Kurozwiaki Lublinenſi. Ioanne de Borek Brzezenſi. Petro de Moscina Dobrinenſi. Petro de Strykow Wladislavienſi. Stanislao de Szydlowiec Zarnovienſi, Castellanis. Creslao Woyszyk de Woycza Cracovienſi. Sandivogio de Lazenica Sandomirienſi: & Capitaneo Lublinen. Floriano de Paczanow Cracovienſi. Christino de Smolsko Iuniwladislavienſi, Dapiferis, Ioanne Kraska de Lubnica Calissienſi, Iacobo de Dambno Cracovienſi, Pincernis, & aliisq; pluribus fide dignis: circa præmissa. Datum per manus præfati Reveren. Patris Domini Ioannis Episcopi Wladislavien. Cancellarii, & Venerabilis Ioannis Luthkonis de Brzezie: Vtriusq; Iuris Doctoris, Archidiaconi Gnesnenſis Reg. Pol. Vicecancellarii, sincerè nobis dilectis. Sub Sigillo nostro præsentibus appenso, in fidem præmissorum: ad relationem ejusdem Reveren: Patris Domini Ioannis Episcopi Wladislavienſis, Regni Poloniæ Cancellarii.

Iudices Seculares, iustitiã facere negligentes, damna passis postquam fuerint requisiti, possunt per personas Ecclesiasticas censurari & compelli.

** In optione & arbitrio est, passi damnum an ad Iudicẽ Spiritualem, vel Secularem, voluerit pro Iustitia recurrere.*

§ Privilegium Wladislai Iagellonis de Decimis, ac iis, qui in communicatione permanent, Vide in Titulo: DECIMÆ.

Privile-

Privilegium qui exhibet, Sexagenam solvat.

STatuimus: Quòd dum aliquis contra suum Privilegium, in qualicũq; causa citatur, & exhibendo suum Privilegium in Iudicio, amittit Sexagenam, quam Iudex ab exhibente pro se tollit. Si Actor jurare tenuerit: quia nesciebat Reum, quem citaverat, fuisse Privilegiatum: solvet Reo Sexagenam, sicuti præmittitur, amissam. sed idem Actor si velit jurare, se nesciviſſe Reum fuisse Privilegiatum, & provisum isto tali Privilegio: præstito hujusmodi Iuramento, Sexagenam illam non solvet Reo, quem citaverat. *Kazim. Mag. Folio 24.*

Privilegia cassantur, per quæ se aliquis delinquens excipit à Iudicio.

STatuimus: Quòd citati, pro quibuslibet criminibus & delictis, in nostro Iudicio judicentur, & respondere teneantur: & convicti debitâ pœnâ puniantur: non obstante prædicta qualibet nominatione: etiamsi super hoc Privilegiis nostris, vel nostrorum prædecessorum, essent communiti, quæ quantum ad hoc, ut pernicioſa & erronea, cassamus, irritamus, & revocamus. In hæreditariis verò, & aliis quibuslibet quæstionibus, per citatos in nostro Iudicio nominati, tales si nostram Iurisdictionem declinare voluerint, nolentes eadem quæstiones in se recipere: Decernimus: quòd extunc prædicti citati, cujuscunq; statûs & conditionis existant, habeantur pro convictis. *Kazim: Magnus Vislic. Folio 23.*

§ Privilegia pacis Prussiæ: Vide in Titulo: PRUSSIA.

§ Privilegia unionis Ducatûs Litvaniæ. Vide in Titulo: VNIO.

PROCESSVS IVDICIARIVS.

IN primis igitur pro consvetudine volumus observari: ut in Citatione Terrestri, sufficiat ponere tantùm de Titulo nostro Regio: videlicet: Sigismundus Dei gratiâ Rex Poloniæ &c. & non plus. *Sigis. Rex 1523. Fol. 32*

Item, quòd eadem Citatio Terrestris, Sigillo Terrestri sui districtus sit obsignata.

Item, ut in ea Citatione exprimatur nomen Actoris, & Rei, pro quo Reus erit citatus: ita ut Citatus intelligat, propter quid sit per Actorẽ evocatus.

Vbi autem debitè non intellexerit: tenebitur Actor ibidem coram Iudicio, in sua propositione suam intentionem Citato declarare.

Et si quis in ejusmodi sua Citatione, omiserit titulum, vel nomen Actoris, aut Rei: vel si Citatio ipsa Sigillo adulterino fuerit obsignata: talis Actor, luendo solvendoq; ibidem mox, pro hujusmodi insufficientia suæ Citationis, sex Scotos parti, & totidem Iudicio, in instanti ibidem proponere poterit, & ex eadem sua Citatione: insufficientia illa non obstante: & Citatus, tenebitur sibi ad obiecta respondere.

Omnes autem alias pœnas accessorias, videlicet propter defectum

literæ unius, aut totius dictionis, vel alterius cujuſcunq; defectus in Citatione, ſive ex quacunq; alia cauſa, quam Citatus Actori objceret, volens Dilationibus & diffugiis labores, etiam à coadjutoribus antea ſolvi ſolitas, penitus annullamus, exceptis pœnis, poſt Decretum negotii principalis fieri ſolitis.

Debebit autem Iudex præſidens, à Partibus comparentibus, ante Sententiæ prolationem inquirere, an haberent aliqua ſua munimenta, vel documenta, defenſioneſq; Iuridicas, ad cauſæ proſecutionem opportunas: ne homines ſimplices, ruditate ſua in cauſis ſuis ſuccumberent. Et licebit utriq; partium introducere res ſubſidiarias, & verbales, & literatorias, ante prolationem Sententiæ.

Et Proteſtationes Memoralium, ſeu captioſæ, nullum deinceps ſint robur habituræ: quæ ſolebant fieri ante prolationem ſententiæ: ſed pro re Principali decreta tantummodo, fiet Memoriale.

Licebit quoq; utriq, parti, omnia quæ opus habet allegare, reponereque, ante Sententiæ prolationem.

Debet autem Miniſterialis, propter mortem ſuam, cum uno Nobili in perſona Actoris miſſo, ponere Citationem indifferenter: vel apud Nobilem citandum, in curia ejuſdem: vel apud Wladarium, aut Kmethonem, ſive apud Hortulanum: publicando nihilominus Citationis poſitionem, in curia terrigenali, quæ ſi defuerit in eadem villa: extunc villanis idem ipſum Miniſterialis notificabit, ut ad notitiam Citati deveniret.

In villis verò deſertis, poſſeſſionatis deficientibus, Citatio in lignum reciſum poſita, terræq; infixa publicetur: vel in villa viciniori, vel in Parochia, ejuſdem villæ deſertæ.

Et ut poſitio Citationis, præcedat terminum, una integra ſeptimana.

§ Citatus evadendæ pœnæ Contumaciæ luitionem, poterit ſibi differre primum terminum, ſimplici infirmitate.

Item ſecundum terminum, tanquam peremptorium, poterit differre reponereq, idem citatus, vera infirmitate à Deo permiſſa: per certũ nuntium ſuum, Nobilem poſſeſſionatum ejuſdem terræ, ad Iudicium miſſum: juraturus mettertius dictus citatus, in Terminis ſequentibus, cum aliis duobus paribus ſuæ conditionis: Quòd tunc temporis fuit infirmus vera infirmitate à Deo permiſſa, repoſuit.

Si verò Citatus reponens in Termino ſibi aſſignato non comparuerit: permiſeritq; ſe in lucro condemnari: & poſtea comparens in Termino Concitatorio, ad ſatisfaciendum, negaret ſe reponere illi Nobili commiſiſſe: extunc juxta ſuam negationẽ, mettertius jurare debebit: Quòd illi nuntio ſuo, repoſitionem hanc Termini minimè commiſerit.

Præſtito autem hujuſmodi Iuramento, idem citatus ibidem mox reſpondere teneatur, ſuper citationem Actoris.

Si autem dictus reponens, negans hanc termini peremptori, repoſitionem, ſuper ſuam allegatam ægritudinem, modo præmiſſo non juraverit: vel ſe à Termino hujuſmodi Iuramenti abſentaverit: talis ſuccumbet in cauſa ſua, ipſo facto.

Vlteri-

Vlteriores verò dilationes ejuſdem infirmitatis, penitus à modo abrogamus.

Idem volumus de Actore intelligi: cùm liceat Actori, quod & Reo: præter ſimplicem infirmitatem, quæ Actoribus non convenit: eò quòd Actores ſemper habent Terminos peremptorios, & propter hoc ſemper debent eſſe ad comparendum parati. Poterint tamen & Actores, in faciendis documentis habere dilationem: cum Citato id ipſum ſit permiſſum.

Volumus autem: ut liceat unicuiq; alium quempiam, pro quacunq; ſumma pecuniæ, vel injuria hæreditaria, & perſonali aut bonis quibuſcunque, toties quoties citare ad Iudicium Terreſtre, ubi citatus parere, reſpondereq; tenebitur, & debebit: non excipiendo ſe ad Terminos generales, ob ſummæ magnitudinem, vel potius licebit Iudicibus Terreſtribus, etiam pro magna ſumma judicare: cùm licebit unicuiq; partium appellare.

Etſi citatus in ſecundo Termino peremptorio, temere ſine repoſitione Termini, non paruerit: Actor eum condemnabit in lucro: juxta continentiam ſuæ Citationis, tamen in talem condemnationem Citatio debet inferi, ſive acticari.

Poſt hoc debebit condemnatus per Actorem concitari, aliàs *mabyć przypowießczon*, ad ſatisfaciendum ſibi: pro his omnibus, pro quibus ipſum Citatum condemnavit, in Termino peremptorio. Quòd ſi ipſe Citatus, in tali Termino concitato non comparuerit: extunc Actor faciet aſtitionem Termini concitati, ex qua aſtitione obtinebit damnum, juxta ſuam extimationem, in Citatatione expreſſam: quam habebit jam conjunctam cum ſumma principali, ſive Eſſentiali, in Citatione expreſſa, ſine Iuramento.

Tandem in eiſdem terminis, & in continenti, debet ſibi Actori, Iudicium addere Miniſterialem Terreſtrem, tanquam victori: ad intromittendum eum, in bona Citati, ſive victi, in ſumma perlucrorum, tam ſummæ principalis, quàm damni, & pœnis inde ſequutis, quæ pœnæ concernunt Actorem, & Iudicium, ex condemnatione in lucro, & ex aſtitione Termini concitati. Et dabit Iudicium ſibi literas perlucrorum, remittendo ipſum in defectu intromiſſionis, ad loci Capitaneum. *Folio 34.*

Sed ſi citatus in Termino Concitato comparuerit: & voluerit attentare Actorem jurare: ſive ſuper integram, ſive etiam ſuper minorem: (quod erit in ejus arbitrio) non tamen augendo ſummam.

Si verò quis concitatus comparens, negaverit ſe de ſui Citatione ſciviſſe: caſu, quo Miniſterialis Actori ad teſtificandum deeſſet protunc, circa Iudicium: talis negans tenebitur jurare: Quòd talis Citatio, ſuper quam condemnatus eſt, non pervenit ad ejus notitiam: nec ſibi de ea quicquam conſtat: & nihilominus mox ibidem Actori reſpondere tenebitur: ſuper contenta Citationis. Et ſi poſtulaverit ab Actore Citationem, ad reſpondendum: Actori tenebitur ſibi communicare Citationem ſuã,

Si verò Citatus, perſonaliter coram Iudicio, ſive in primo termino,

sive in secundo paruerit: factaq; responsione ad obiecta Actoris, in causa sua succubuerit: & nihilominus à Iudicio rebelliter recesserit: victori pro re decreta, sive lucrata, non satisfaciendo: talis rebellis, in pœna quatuordecim Marcarum pecuniæ condemnetur, & illi victori dabitur Ministerialis, ad intromittendum eum, in convictis, sive lucratis, in bona convicti: tam in summa principali, quàm etiam in damnis, & pœna expressa: & procedetur contra victorem, prout supra.

Si verò Citatus Iure victus, consentiet Actori sive victori intromissionem: & admittet pacificam possessionem, in bona, super quibus perlucra perducta sunt: dando sibi in loco bonorum, in præsentia incolarum possessionem, & eorum obedientiam: ex nunc Ministerialis post factam intromissionem, faciet recognitionem cum Nobilibus, ad acta Castrensia districtus illius: Quòd victus talis admisit intromissionem & possessionem, in bona præfata, sic ut præmissum est perlucrata. Quam possessionem si inde victor impedire quovis modo niteretur, hujus possessionis defensio, ad loci Capitaneum pertinebit, tanquam violenter expulsi, & spoliati.

Si verò victus Intromissionem victori denegaverit: tam post tale (ut præmissum est) decretum, quàm etiam post astitionem Termini conciti, contra non comparentem: extunc idem Ministerialis, qui fuit victori de Iure ad intromittendum additus, cum Nobilibus sibi adjunctis, coram loci Capitaneo, aut ejus Officio Castrensi, facere debebit personalem relationem præfatam: scilicet N. Iure convictum, parti se vincenti, intromissionem Iure decretam, temere denegasse, extunc idem Capitaneus loci, & eo absente suus Vicegerens, vigore præfatæ remissionis, de Iudicio Terrestri factæ, citabit victum literis suæ innotescentiæ: ad videndum, & audiendum se, victorem præfatum, in bona talia, ex vi perlucrorum Iure Terrestri obtentorum, & in summa, sive summis ibidem expressis authoritate brachii Regalis intromitti: sub hac forma

Folio 35. § Tibi Nobili N. innotescimus, providum N. Ministerialem Terrestrem N. cum certis Nobilibus, secum comparentibus coram Officio nostro Castrensi, personalem feciſſe Relationem: Quomodo dum nuper additus fuisset ad Iudicium Terrestre N. Nobili N. Actori Iure vincenti, ad intromittendum ipsum, vigore suorum perlucrorum, in bona tua hæreditaria N. quorum literas, sub sigillis ejusdem Iudicii Terrestris, coram nobis & Officio nostro obtulit, & produxit: prout hoc ipsum Iudicium Terrestre, ad Nos & Officium nostrum, tanquam brachium Regale remisit: & tu existens Iure victus, tanquam rebellis, intromissionem sibi temerè denegasti, quo facto, executio ipsorum perlucrorum ad brachium nostrum Capitaneale, quin potius Regale, cujus vice fungimur, in hac parte est devoluta. Propter quod tibi mandamus, Vigore Regio, & nostro ex Officio: quatenus coram nobis, aut nostro Vicegerente, sive Officio Castrensi, Feria tali & tali N. & in crastino N. legitimè compareas: ad videndum & audiendum nos, authoritate brachii Regalis, in vim executionis, præfatam partem Iure vincentem, in bona tua prædi-

prædicta, & juxta perlucrorum ejus continentiam, potenter intromitti, fuerique: prout ad nostrum pertinet Officium, aliàs contumacia tua non obstante, nos ad ea, quæ nobis ex Officio nostro incumbunt, procedemus.

Quòd si talis victus, ad talem avisationem loci Capitanei, in Termino sibi præfixo, coram officio Castrensi comparuerit: & metu pœnarum, sive vadiorum interponendorum, victori intromissionem & possessionem, in tali bona se daturum obtulerit: extunc loci Capitaneus Ministerialem addet: & vadia triplicata super victum imponet, ut jam in instanti ipse victus victori, in bona præfata, in quibus talia perlucra perducta sunt, intromissionem de facto daret: & pacificam possessionem admitteret: nec eum in ipsâ possessione, quovis modo inquietaret, per se, vel submissas personas: sub eodem vadio triplicato.

Quodsi talis victus victori possessionem non admiserit, vel quovis modo præpediverit: extunc loci Capitaneus movebitur manu forti, & armata: & tenebitur ipsum victorem, in bona partis victæ intromittere, eundem victum de bonis præfatis potenter ejiciendo: & vadia triplicata, super eodem decernet. Et idem faciet Capitaneus: si victus, in termino innotescentiæ non comparuerit: quòd videlicet cum triplicato vadio, victorem intromitteret cujus vadii medietas, pro Capitaneo loci cedere debebit, & propter hoc Officiales Castrenses, ab intromissione hujusmodi nihil recipient à victore.

§ Quòd si victus esset adeò fortis: quòd per Capitaneum, sua temeritas non poterit prohiberi: quòd videlicet brachio Regali contravenire niteretur: extunc in instanti decebit citari, per Officium illud Capitaneale: ad Iudicium Castrense peremptoriè, ad audiendum, se uti rebellem, & Iuri communi Regni contravenientem, de Regno, ac dominiis sibi subjectis banniri, & proscriptum pronuntiari. Quodsi in tali Termino cõparuerit, metu Bannitionis, & Proscriptionis: debet satisfacere pro vadiis interpositis, & Capitaneo, & parti: & possessionem pacificam, sub similibus, non præpedire victori. Folio 36.

Similiter & omnes complices, eidem victo palam patrocinantes, citari debebunt: ad banniendum, & de Regno, unà cum ipsorum prætato principali, Iure convicto, proscribendum se decerni, contra quos, prout eorum principalem, Officium Capitaneale procedere debet.

Qui verò essent impossessionati, per Officium illud Castrense comprehendantur: & in turrim coniiciantur, quorum punitio, in arbitrio & gratia nostra consistat.

Et statim post factam Bannitionem, in quantum idem victus bona sua Iure amissa defenderet, exequutioni brachii Regalis se opponendo: extunc juxta Regni Statutum, universa Nobilitas terræ districtus ejusdem, in quibus bona victi consistunt, unà cum Capitaneo loci, movebitur cum apparatu bellico, contra victum rebellem: ita quòd poterit de bonis ejus repelli, & reiici. Et si talis rebellis, poterit in persona sua

cõmprehendi: talis cum complicibus ſuis comprehendatur: & mancipatus turri includatur: & ipſius vita, in gratia noſtra conſiſtat.

Quodſi aliquis Capitaneus, in facienda hujuſmodi exequutione, negligens eſſet aut remiſſus: extunc victori, toties quoties, ſuccumbet pœnam quinquaginta Marcarum pecuniæ uſualis: & aliam ſimilem pœnã noſtræ Regiæ Majeſtati, pro quibus pœnis, in præſentiam noſtræ Regiæ Majeſtatis citatus, in primo Termino, tanquam peremptorio, parere: ac pro pœnis præmiſſis, parti & fiſco noſtro Regio luitis, ſatisfacere ſimiliter, toties, quoties, tenebitur & debebit. Et nihilominus, ſub eiſdem pœnis, exequutioni ſatisfacere teneantur: ad maximum in duabus ſeptimanis, gradus ſuperius expreſſos explendo.

Similis etiam progreſſus debebit obſervari, in Iudicio Caſtrenſi: ſecundùm materiam ſubjectam, in articulis duntaxat Caſtrenſibus, ubi ſtatim ex Termino concitato aſtito, addatur Miniſterialis ad intromittendum, cum triplicitatis vadiis.

Inſtructio ad conſervationem Terminorum, ac ad proceſſum executionis judicatorum.

Alexander ex antiquo Statuto, Folio 1.

QVamvis ferè in univerſis terris Regni Poloniæ, diverſa obſerventur tempora celebrandorum Terminorum, ſeu Iudiciorum Terreſtrium: prout in quibuſdam quater in anno, videlicet ſuper quælibet quatuor tempora, in aliquibus verò crebriùs Iudicia fiunt: tamen qualitercunque obſervetur differenter conſvetudo ipſa temporum: nihilominus Sereniſſimus Dominus noſter Alexander Rex, decrevit ſcribendam conſervandorum Terminorum, & totius Proceſſus Iudiciarii inſtructionem, per quam inſtructi eſſent Iudices, ad ſervandum rectum & conformem ordinem, in Terminis cõſervandis, & Proceſſu Iudiciario: ac circa executiones judicatorum: ſic, ut infra ſequitur.

Primus Terminus.

DIffertur ſimplici infirmitate, per Citatum. Etſi in eodem primo Terminino, Citatus non compareret: extunc in primo Termino condemnatur, in pœna Contumaciæ, aliàs in pœna non paritionis.

Secundus Terminus.

DIffertur per citatum vera infirmitate: & in Tertio Termino, cum duobus teſtibus, vera infirmitas Iuramento probatur: ſic ut nec Iudex, neq; Actor dubitaret, Reum tunc infirmum fuiſſe. Fit etiam iſtud; quia ſi ſecundò ſecunda Citatione citatur Citatus: tunc eandem Dilationem veræ infirmitatis, habet Terminus ipſe ſecundus.

Tertius Terminus.

SÆpius autem contingit, tertium Terminum alia infirmitate differri; ſic

ſic quòd diceretur in termino: Sic jacet, ita jacet, & adhuc non convaluit, nihilominus tamen in quarto Termino, cum duobus teſtibus Iuramẽtum facere debet, ſic: Quia tunc erat infirmus: & ex ipſa infirmitate non convaleſcens, in ipſa infirmitate tunc infirmus jacuit.

Quartus Terminus.

QVartum Terminum Iudicia conſervant interdum pro Majori: (qui, quo ad Dilationem, fit ultimus.) Qui Terminus pro majori Ius commune diffinit, ſic: dum in alio Iudicio terræ cujuſcunq; Regni Poloniæ, eodem die, pro negotio majori, terminum haberet citatus, tamen quandocunq; Terminus pro majori recipitur, fit ultimæ Dilationis: cujus etiam natura, & proprietas; iſto modo declarabitur. Citatus, Terminumque Pro majori reponens, eodem die debet habere coram alio Iudice, Terminum pro majori ſumma, quàm ſit actio: occaſione cujus fit dilatio majors, & debet notari iſtud in Dilatione, pro majori: videlicet ubi eſt actio, cum quo ex nomine, pro quanta ſumma, coram quo Iudice. Veniente enim termino Dilationis, debet portare literam, ab illo Iudicio: ubi tunc ſe aſſerebat, pro majori actionem habere: ſub Sigillo illius Iudicis. In qua litera contineatur actio, cum quo, & pro quanta ſumma, tunc cauſa majori vertebatur. Quam teſtimonii literam ſic producet Citatus, in Termino per Dilationem ſibi dato: & non ſuccumbet in Dilatione, inquietus pro majori faciendo. Sed ſi literam hujuſmodi non portaverit: aut portatam, in aliqua porta eorum, quæ debeant contineri, (ut præfertur) inſufficientem produxerit: tunc Citatus actionem ſuam amittit, & totaliter perdit,

Ad idem.

NOn conſtat verò in Iudiciis Terreſtribus, & Regiis Regni Poloniæ, plures unquam fieri Terminorum Dilationes, itaq; de Terminorum obſervatione hactenus dictum.

Proceſſus in re judicata: quæ vulgari noſtro, in Iudiciis, & extra ea Perlucra dicuntur.

TAmetſi Conſtitutiones ſatis ſuperq; doceant nos, qualiter Iure proceſſuri ſumus, dum actiones incumbunt nobis: tamen quia nonnunquam fiebant dubia, in proceſſu ipſo, etiam apud Iuris doctos, practicam tamen ejuſmodi habentes: Quapropter Sacra Majeſtas, poſt deſcriptam Terminorum conſervationem mandavit deſcribi, communem in re judicata, ejuſq; executione, practicam infraſcriptam.

De re judicata.

REm judicatam, duobus modis ſcimus Iure obtineri. Aut enim fit, per Sententiam diffinitivam: aut dum citatus, in termino peremptorio, lucro condemnatur.

Ad idem.

SI per Sententiam diffinitivam: tunc fit etiam dupliciter. Aut fit præsens citatus, circa Iudicium: aut fit absens: sed per Procuratorem cũ procuratorio, Sententiam diffinitivam contra se, Iure decernente, scit reportari. Si præsens erat citatus, contra quem Sententia diffinitiva promulgatur: tunc aut satisfacit, ut Iuris est, rei judicatæ: aut rebellis à Iudicio, absq; paritione recedit. Si satisfacturus, aut Sententiæ pariturus erit, faciet istud commodè, au per cautionem fidejussorialem, aut aut per certam Inscriptionis obligationem, aut per bonorum obligationem.

Ad idem.

Folio 2. SI autem rebelliter à Iure recedit, nulla satisfactione rei judicatæ, aut paritione facta, extunc per Actorem condemnatur in pœna trium Marcarum, quæ dicitur *Pietnadzieſta*, parti: & alia pœna simili Iudicio. Propter quam rebellionem rei judicatæ, (quod Iure convictus non satisfacit: sed à Iure rebellis recessit) condemnatur uno & eodem actu, Regiæ Majestati in pœna quatuordecim Marcarum, quæ dicitur *Siedmnadzieſta*, & Ministerialis datur de Iudicio, ad pignorandum eundem convictum, in bonis suis: in perlucris, & pœnis suprascriptis.

Ad idem.

ADveniente tandem proximè futurorum aliorum Terminorum tempore, Actor coram Iudicio Ministerialem statuet: & recepta à Ministeriali recognitione, petit iterum dari Ministerialem, ad intromissionem: cui petenti datur idem Ministerialis, in perlucris, ad Intromissionem in bona convicti.

Ad idem.

IN aliis proximè futuris Terminorum Iudiciis, tanquam in ultimo & finali Termino, si Ministerialis coram Iure recognoscet: Quia intromissio, ad quam fuerat per Iudicium aditus, denegata fuit: tunc primùm datur ad brachium Regale, & de illo Iudicio, ubi causa agebatur, remittitur Actor, & convictus, cum suis perlucris, per literas executoriales, ad loci Capitaneum: ad intromittendum eum, de brachio Regali.

Ad idem.

SI autem Citatus non est præsens, circa Iudicium, sed suus Procurator cum Procuratorio, dum Sententia diffinitiva contra ipsum promulgatur: tunc insuper fit unus Terminus essentialis, videlicet Concitationis, quem in aliquibus terris Regni, sic interpretantur vulgari, uti Latinum sonat: In aliis verò, dicitur vulgari nostro *Przypowieſzczony*: ad satisfaciendum pro re judicata, seu perlucratis, & Iure acquisitis, ea ratione:

ratione: Quia fortasse nollet scire convictus, in Iudicio absens, de re judicata: ideo Concitatio ad hoc est, in terminos Iudiciorum introducta: tanquam monitio, & avisatio: ut ille, qui est convictus, & contra quem absentem, sed per Procuratorem suum comparentem, in sui absentia Sententia diffinitiva prolata fuit, pareret rei judicatæ: & pro convictis satisfaceret.

Ad idem.

IN quo Concitationis Termino, si comparet, decerni consvevit: Vt rei iudicatæ satisfaciat. Satisfacere autem debet sic, ut priùs est descriptum.

Ad idem.

ETsi rebellis recedit: extunc condemnetur: ut priùs contra rebellem est descriptum. Et fit processus, in executione rei judicatæ, (ut suprà scriptum est) ad brachium usq; Regium, de quo infra videbitur.

Item Processus fit alio modo, & in Terminorum observatione, & in re judicata.

IN terris nonnullis Regni Poloniæ, in quibus Termini Iudiciorum Terrestrium fiunt, singulis quatuor septimanis, plures Dilationes fiunt: Processusq; longior fit Iuris, sic: Quia duo Termini, simplici infirmitate per Dilationem conceduntur: Sed expletis eisdem duobus Terminis, simplici infirmitate prorogatis, alii Termini, prout de vera infirmitate, & Majori, cæterisque (ut suprà scriptum est) de Terminorum conservatione, usq; ad Sententiæ Diffinitivæ prolationem, & primæ pignorationis decretum, observantur. Attamen in eo iterum fit differens Processus: quòd in illis terris, in quibus singulis quatuor septimanis Termini judicantur, ter datur de Iudicio ad pignorationem successivè: similiter ter ad Intromissionem datur: & postea remittitur ad brachium Regale, ad loci Capitaneum, de quo infra. Folio 3.

Qualiter Capitanei locorum procedant, brachium Regale extensuri, in demandatione executionis rei judicatæ, seu perlucrorum: pia Majestas Serenissimi Domini Alexandri Regis, ordine infrascripto docebit.

De extensione brachij Regalis, per Capitaneos.

IN primo Processu Regalis brachii, loci Capitaneus, sub cujus Iurisdictione pars victa esset, pro prima vice, cum parte victore, rem Iudicatam, seu perlucra, in scripto sibi repræsentari, aut cum suo Procuratore, Ministerialem cum duobus Nobilibus, ad bona partis Iure convictæ, diriget: & præsertim ad talia bona, super quibus perlucra censentur Iure esse obtenta, seu (ut in Stylo Iuris nostri dici consvevit) perducta: & super quibus Processus Iudiciarius, videlicet pignoris & Intromissionis,

continuabatur. Qui quidem Miniſterialis, veniens ad bona hujuſmodi; ſi in eiſdem fuerit præſens Dominus loci, videlicet jure convictus, aut ſuus Officialis, vel Wladarius illorum bonorum, & coram Kmethonibus, juxta continentiam & exigentiam perlucrorum, victorem in ipſius perlucris, de brachio regali, authoritate Capitanei loci, coram Nobilibus intromittet: dabitq; ei intromiſſionem realem: & obedientiam Kmethonum conſignabit: inhibendo Iure convicto, quòd non audeat victorem de cætero, in poſſeſſione & Intromiſſione, iſto modo ſibi data, impetere, & invadere quovis modo: ſub vadio M. M. quod vadium ſit literale, ſub titulo loci Capitanei, ſummam fere ſimilem perlucrorum non excedens. In quibus intromiſſis bonis, victorem intromiſſum, iuxta conſvetudinem relinquet: aut ſaltem eam ipſam poſſeſſionem ſibi tradet. Quæ de brachio Regali intromiſſio, pro prima vice facta, & vadii inter poſitio, ex recognitione Miniſterialis & Nobilium, in Actis Caſtrenſibus debet, modo & ordine Iuris recognoſci, aliàs rrponi, & acticari ſufficienter. Vadium tandem illud, etiam ſi pro ſecunda vice interpoſitum eſſet, ubi Capitaneo nullam facit fatigam, parti debetur: non Iudicio, neq; Regiæ Maieſtati, ea ratione: quia pars ipſa Miniſterialem & Nobiles, in ſuffragium brachii Regalis, impenſis conducit privatis.

Si Intromiſſio iſto modo data, eſſet aut adempta, aut impedita violenter.

POſteaquam victor intromittitur, de brachio Regali: ſi caſu quocunque violento, eius Intromiſſio, ſeu poſſeſſio violatur, vel irritatur: neceſſariò victus ille, ſeu convictus, contra quem proceſſum erat ad Iudicium Caſtrenſe, citandus erit pro vadio, & in uno ac primo Termino ſive comparuerit, ſive non, in vadio condemnetur: omnibus Dilationibus, & ſubterfugiis prætermiſſis.

Pro ſecunda vice Intromiſſio de brachio Regali.

SI poſſeſſio, ſeu Intromiſſio, ſic (ut ſuprà ſcriptum eſt, vadio non obſtante) irritabitur, ſeu violabitur: tunc præmiſſa iſta citatione, & condemnatione, pro vadio prædicto, (de quo ſupra) iterum Miniſterialis ſecunda ſeu altera vice, cum Nobilibus & Actore, aut ſuo Procuratore, per Capitaneum debet ad talia bona, modo priori, pro ſecunda vice mitti: & omnia, prout in prima intromiſſione fuerunt, ſecunda vice faciet: hæc ipſa ſecunda vice, de brachio Regali, tam in perlucris, quàm in vadio, Intromiſſionem dando: iuxta continentiam vadii, & perlucrorum, dataq; Intromiſſione, duplicabit vadium: ut ſcilicet vadium literale, maiorem dupliciter ſummam continens, daret & relinqueret interpoſitum, inter intromiſſum victorem, & victum.

Si intromiſſio, pro ſecunda vice data, irritaretur.

IN quantum ipſe Iure convictus, adeò rebellis, protervus & violator Iuris communis Regni eſſet: Sic quòd Intromiſſionem, pro prima, ſecunda vicibus, de brachio Regali datam, contemnendo violare præſumeret: extunc, prout priùs, pro vadio ad Caſtrum citetur. Et ſimiliter, præmiſſis præmittendis, ut ſuprà ſcriptum eſt, abſq; omni indulto Dilationum excuſationumque, in primo Termino, ſive comparuerit ſive non: in vadio peremptoriè & Iudicialiter condemnetur.

Pro tertia vice, perſonalis Capitanei executio finalis.

DEmum poſt primam & ſecundam vices prædictas, ſi iterum victus ageret rebelliter, ſe manu, ſeu brachio opponendo Regali: movebitur Capitaneus perſonaliter, de ſede Regali, cui in Officio Capitaneatus præſidet, armatus proviſus: ſic ut temeritatem violatoris vinceret. Ibit cum Miniſteriali, & cum victore, ad bona hujuſmodi, cum perlucris: ſicq; victorem, authoritate brachii Regalis, & ſui Officii, (accitis, ut præſentes eſſent, hi ſcilicet, victor aut factor: aut villicus: prout ſupra: coram quibus modo ſupradicto, Miniſterialis primis vicibus intromittebat) pro tertia vice realiter intromittet victorem, in perlucris: & in vadiis, pro omnibus vicibus interpoſitis: ejecto abinde manu potenti victo. Præterea ne Capitaneus fruſtretur impenſis, per eum ad id factis, immediatè dabit, & relinquit vadium literale, inter partes triplicatum; quod quidem ibidem relinquet, ſaltem Kmethonibus illud dando, pro quo vadio (ſi expediet) proceſſus fit, ſic ut ſupra, ad condemnationem. Executionem autem eam ultimam Capitaneus, æquè bene per alium, ut per ſe faciet: ſi commodè poteſt, ſin aliter: tunc ibit ſolus ipſe, Officii debito ſatisfacturus. Habebit tamen ſecum Miniſterialem, & Nobiles, Capitaneus: ſive per ſe, ſive per alium iſtam faceret executionem perlucrorum, in bonis, in quibus perlucra ſunt obtenta, ſeu perducta facien do. Cumq; daturus erit Intromiſſionem hujuſmodi, in perlucris, & in vadiis: ſi bona valorem vadiorum, & perlucrorum, ferre poſſunt: faciet intromiſſionem, dando unum laneum poſſeſſionatum, de quo una Marca annuatim proveniret, in quibuslibet decem Marcis. Si autem lanei non ſunt poſſeſſionati, ſeu cenſuales: tunc Intromiſſio detur in agros: in quibus duodecem Chori ſiliginis ſeminari conſveverunt, aut ſeminari veriſimiliter poſſunt agros videlicet intelligendo pro Marca cenſus annui. Etſi tam poſſeſſiones, quàm agri, & alia hujuſmodi, in quibus bona ſunt, & in quibus executio perlucrorum facienda eſſet, deficiunt: ſeu ſi ea victus non haberet: tunc ipſo Iure convictus, propterea quòd Iuris proceſſum, ad hæc ultima Iuris puncta temerè ſuſtinuit) capiatur in perſona: ſicq; ejus captivatio relaxanda, in voluntate victoris: uſq; ad ſatisfactionem, pro Perlucris, & pro Vadiis faciendam.

Realis inſtructio, ad poſſeſſionis aſſignationem, circa executionem rei judicatæ.

Dum hæc fierent, in prima ſecunda & tertia vicibus, ut ſunt abundè ſuprà ſcripta: eam quiſq; loci Capitaneus ſervabit inſtructionem, circa ſuam ipſam, aut ſui Viceſgerentis, vel alterius nomine ſuo de brachio Regali miſſi, executionem. In loco hæreditatis, ſeu villæ, vel bonorum perlucrorum, conſtitutus ipſe brachii Regalis executor, vocabit convictum: ſi eſt præſens: vocabit etiam Kmethones, præſertim illos, in quos eſt intromiſſio danda, quibus declarabit, ſeu declarari faciet perlucra & vadia, aliàs notificabit ea. Similiter etiam literas Perlucrorum, ſeu executoriales, coram Miniſteriali & Nobilibus, eis oſtendet, intimabit, & publicabit. Sic quoq; Capitaneus ipſe per ſe, aut alius nomine Capitanei, dicet: Audi ea, attende, Miniſterialis: Ego Capitaneus, juxta Officium: aut alius ſic: Ego juxta Officium Domini M. Capitanei, de brachio Regali, Nobili P. de G. in ſuis Perlucris & Vadiis, trado intromiſſionem in iſtam villam D. vel iſta bona P. aut in iſtum Kmethonē, ſeu laneum: vel in iſtum, aut iſtos agros, dicitq; Capitaneus: (ſi per ſe intromittit) Et interpono vadium C. Marcarum, per iſtas literas, aut alius nomine Capitanei, vadium ſive Regium, ſive Capitanei tenens, dicit: Et iſtud vadium centum Marcarum, per Majeſtatem Regiam, vel per Dominum Capitaneum interpoſitum, in his literis ſcriptum, tibi Miniſterialis do: & tu tandem, juxta Officium tuum, iſtud vadium convicto notifices: & ſibi, juxta conſvetudinem Iuris, illud des: vel in domo hîc ſua relinquas: (quod tamen vadium ſit triplicatum: ut ſupra ſcriptū eſt) Dices verò: Quòd ipſe convictus ſe in bona iſta, ad quæ victorē intromiſi, nec per ſe, nec per ſubmiſſas perſonas, intromittere debeat, neq; intromittat: in eiſq; victorem, nullis moleſtationibus, ſeu turbationibus, vel impedimentis aggrediatur. Vobis autem Kmethonibus univerſis, iſtorum bonorum incolis, mandato: ut ipſum Dominum P. de G. pro veſtro Domino habeatis: ſibiq; obediatis, tanquam veſtro Domino: ſubditiq; ejus ſitis, uſq; ad totalem ſolutionem, & ſatisfactionem omnium Perlucrorum, & Vadiorum. Et hæc omnia coram te, Miniſterialis, & coram vobis omnibus, qui eſtis præſentes, teſtificor. Eijciatq; convictum de bonis: & pace facta victori, in bonis perlucratis, exeat de bonis Capitaneus.

Ad idem.

NIhilominus ſi non obſtante iſto Proceſſu, & Intromiſſione tot vicibus data, ac Vadiis tot vicibus interpoſitis, ſi Iuri & brachio Regali victus non pareret: aut ſe defenderet: & Intromiſſionem, & pacificam poſſeſſionem non admittendo: tunc Capitaneus, ſeu vices gerens ejus, in hac parte non inferat ullam victo, aut Kmethonibus, vel ſervitoribus ejus, violentiam: nec ſinat quenquam verberari, aut vulnerari: ſed ipſe victus, cum familia & coadjutoribus ſuis, tanquam Iuris paciſque communis violator atq; deſtructor, capiantur: ſuntq; captivandi: infamiſq; & infames reputentur, & cenſeantur: etiam in corpore, juxta Majeſtatis

jeſtatis Regiæ votum, per Majeſtatem Regiam puniendi. Etſi capiuntur: teneantur, uſque quo ſatisfactio videtur, pro Perlucris, & Vadiis.

Ad idem.

SI idem Iure convictus, & alii ejus complices, non poſſent capi detinerique: tunc convictus de bonis illis citandus erit, ad quæ in perlucris non eſt data Intromiſſio, pro vadio ultimo & finali: quod vadium plenariè cedit, pro Capitaneo: & ad videndum & decernendum, illum proſcribi: & proſcriptum, tanquam rebellem, & Iuris Regni tranſgreſſorem & violatorem, banniri Præmiſſa verò Bannitione, & ipſe, & familiares compliceſq; ſui capiantur, per Capitaneum, vel per alium ejus nomine: quamobrem dabit Majeſtas Regia literas contra tales, patentes, Univerſis quibus expedit bannitionem publicando: & quibuslibet ſubditis mandando: ut tales bannitos capiant, & locorum Capitaneis dent. Folio 3.

Ad idem.

SI verò non eſt poſſeſſionatus aliis bonis: tunc ipſa Citatio per edictum, contra ipſum, & contra ſuos complices, poſſit expendi.

Ad idem.

ETſi comparuerit in Termino primo: qui ſibi & omnibus talibus debet eſſe peremptorius, & finalis, nullam habens dilationem: extunc in vadio ſententietur. Et ſi habuerit bona aliqua: in eodem vadio recipiantur: & pro rebellione teneantur. Captiventur autem: ſi non comparuerint: tunc ipſe, & ſui complices, tanquam rebellis, Iuriſq; Regni violator, decernatur de Regno banniendus, proſcribendus, & capiendus: & ſolus ipſe Iudex proſcribat, ſui Decreti, prolatione mediante, & ibidem ſtatim proclametur, bannitus & proſcriptus capiendus: & non ſolum ipſe: ſed etiam ſui familiares, & alii, dantes ei auxilium, conſilium, & favorem, & præſertim in domibus eum conſervantes, tales omnes ſunt proſcripti, captivandi, & infames: idq; capiendi. Contra quos literæ dabuntur univerſales patentes ante dictæ, per territoria, & ad alios Capitaneos Regni porrigendæ.

In aliquibus terris ſit ſic, ex Conſuetudine.

PRimus Terminus differtur ſimplici infirmitate. Secundus vera infirmitate: & tertius etiam infirmitate, in hæc verba: Iacet, ſicut jacet. Et dum comparet ad reſpondendum, in Termino peremptorio: tunc citatus debet jurare, quòd vere fuit infirmus.

Ad idem.

ETſi citato non recipitur Terminus infirmitate: & neq; per ſe, neque per Procuratorem comparet in Iudicio: tunc condemnatur in pœna Contumaciæ: & datur Miniſterialis in Iure Actori, ad aviſandum Reum:

ut veniret ad alios terminos, immediatè celebrandos, & diceret: Quarè ſuper Terminum aſtare permiſit, qui ſi non dixerit: iterum tunc condemnatur per Actorem, in toto, ſecundùm Citationem: & Iudicium decernit ſolutionem parti, ſub pœnis Iudicialibus: videlicet ſub tribus Marcis, Actori in quatuor ſeptimanis.

Ad idem §.

ITem, ſi non fecerit ſolutionem, in quatuor ſeptimanis: tunc ſcribitur contra citatum pœna ſex Marcarum, ut ſuprà ſcriptum eſt, in communi Terminorum conſervatione.

Ad idem §.

ITem ſimiliter alia pœna, in quatuor ſeptimanis: & in aliis quatuor ſeptimanis ſimiliter. Item ſi non curat ſatisfacere: tunc Concitatur ad ſatisfactionem Perlucris, & pœnis, & ſi in termino non comparuerit: & nullam, per Actorem in proceſſu cauſæ commiſſam, allegaverit nullitatem: tunc datur Miniſterialis de Iure, ad Intromittendum in bona, in Perlucris & pœnis, ad Actorem pertinentibus: & Iudicium mittit ad pignorandum, pro medietate pœnarum, ad Iudicium pertinentium. Et ſi non admittit Intromiſſionem Reus: tunc Burgrabius vadit, & intromittit, receptis ſecum duobus Nobilibus, & Miniſteriali. Si verò reus non admittit poſſeſſionem bonorum, ex Intromiſſione: tunc Capitaneus ſua in perſona vadit: & dat intromiſſionem Actori in bona: & imponit vadium: mandans Reo: Vt Actorem in poſſeſſione, per eum aſſignata, non impediat: ſub vadio, per eum impoſito. Et toties, quoties Actor petit Intromiſſionem, toties oſtendit literas adjudicatorias, ſibi per Iudicem & Subjudicem datas, & Capitaneus intromiſſum in poſſeſſione tueri tenetur. Si verò id non exequetur: tunc in eodem vadio, per eum in Reo impoſito, & Majeſtati Regiæ, & Actori ſuccumbet.

In aliis quibuſdam terris, ſit ſic etiam, ex Conſvetudine privata.

PEr infirmitatem recipiuntur Termini: & Citatus jurat ſolus, ſine teſtibus: Quòd fuit verè infirmus, & ſi Terminus non differtur ſibi infirmitate: tunc Actor condemnat eum in contumacia, pro primo. Et adcitatur literali Adcitatione, ad Citationem originalem: in Adcitatione inſertam: & in ſecundo Termino, ex Adcitatione ſimiliter condemnatur Reus, in pœna Contumaciæ. Et adcitatur ſecundò ad Citationem originalem, & ad Adcitationem: & ſi non comparet: tunc condemnetur per Actorem in toto, ſecundùm Citationem. Et decernitur ſatisfactio, pro rebus citatis: & ſcribuntur pœnæ, & proceditur ad finem ſic: ut in iſta immediatè, ſeu proxima Conſvetudine eſt deſcriptum.

Ad idem §.

FIt etiam Terminus pro majori, qui nulli denegari debet: & pro primo, pro

mo, pro ſecundo, & tertio recipi poteſt, ſed recipiens hujuſmodi Terminum, ad alia Iudicia Iudicis & Subjudicis, illius Iudicii, ubi dixit ſe pro majori habere actionem, Literam ad Iudicium, portare debet: cũ deſcriptione ſufficientis teſtimonii, de Iudicio altero, in quo pro majori habuit. Prout de hoc, in communi ſupradicta Terminorum conſervatione, eſt informatio abundius exarata. Si enim in Litera teſtimoniali, non ſufficienter deſcriptum eſſet id, pro quo in alio egit Iudicio: tunc cauſam iſtam perdet, prout ſuprà ſcriptum eſt.

Ad idem §.

ET licet eadem Majeſtas Regia, aliquarum terrarum privatas deſcripſit Conſvetudines: tamen ſua Majeſtas, per modum conſilii, ſubditos hortatur univerſos: ut eam teneant & obſervent inſtructionem, ubique terrarum, quam inſtructionem aſſumptam, ævoq; diuturniori continuatam, approbabit Lex ac Conſvetudo. Et tantum Majeſtas eadem Sereniſſima Domini noſtri Regis, de Terminorum Conſervatione, & Iuriſperitis, & Vetuſtioribus Regni Privilegiis, aſcripſit.

PROCVRATOR, SEV PROCVRATORIVM.

Qui vult, Procuratore utatur.

QVia cuilibet ſua defenſio & tuitio (cùm Iuris ſit Naturalis) non eſt deneganda: ideoq; Statuimus: Quòd in Iudiciis noſtri Regni, quilibet homo, cujuſcunq; ſit ſtatûs & conditionis, poteſt & debet habere ſuum Advocatum, Procuratorem, vel Prolocutorem. *Kazimi. Mag. 1368. Folio 10.*

Ignaris & egentibus Procurator detur.

SI quis in Iudicio conſtitutus, rem debitè ſuam proponere neſciverit: aut in lingva impeditus fuerit: nec amicum, pro eo loqui volentem, poterit habere: Iudicium ibi ſedens ex ſuo Officio, ſibi petenti Procuratorem idoneum deputare debebit. *Kazimirus in Nieſſowa 1454. Folio 94.*

Qui tamen velit, ſuam cauſam agat.

OMnis qui Procuratore careret, poterit ſuam cauſam coram Iudicio exponere: vel controverſiam, & defenſionem ſui facere: repoſitis atque rejectis in partem, captiũculis pœnarum, quas captiones Iudex permittere non debet: niſi hoc cuſtodire ut Iuſtitia unicuiq; miniſtretur. *Sigiſ. Crac. 1543.*

Mulieres in hoſpitio Procuratorem conſtituunt.

UT dominarum habitatio, propter fragilitatem ſexus, à cœtibus virorum omnimode ſit diſtincta: & ne ad cauſas vocatæ, premant ſe in turmis & conventibus maſculorum: ſanxit noſtra authoritas de præſentiũ: Vt ſi quæ domina, ſive virgo, citans aut citata, venerit ad Terminum *Kaz. Vislic. 1368. Folio 10.*

sibi præfixum: Iudex præsidens Iudicio, Officialem suum cum ejus adversario, ad hospitium illius dominæ, mittere teneatur, coram quo: actionem, sive defensionem suæ causæ, Advocato, vel suo Procuratori, cui placet, in toto delegabit.

Nec Spirituales etiam procurent, nisi causas proprias.

Sigis: Petr. 1538 B 4 PEtitionibus Nuntiorum Terrestrium permoti, & ad sopienda odia quæ adversus Ecclesiasticos viros, ob quorundam insolentiam, apud Seculares excitari contingit, Statuimus: Vt Ecclesiastici viri, Beneficiati, aut Sacerdotes, non se immisceant deinceps Iudiciis Secularibus: neq; causas procurent & promoveant, Secularium personarum, neque Officia Notariorum, aut Vicenotariorum, in Secularibus Iudiciis obeant, ad quæ per Iudices Terrestres non admittantur. Exceptis causis propriis, aut aliarum Spiritualium personarum, in quibus agendis procurandisque, liberam habeant ubique facultatem.

Procuratorium Mandatum tribus grossis venit.

Sigis. Petr. 1511. Fol. 16 ITem ne prædicti subditi nostri, in Cancellaria nostra à Notariis plùs justo graventur, Decernimus: Quòd deinceps Procuratorio, tantùm tres Grossi accipiantur.

Insufficiens Mandatarius punitur.

Consvetudo Terræ Crac, Folio 121. ITem aliquis manifestans se cum Procuratione, in Iudicio, si malum Procuratorium seu Procurationem habuerit: luit pœnam in Iudicio Terrestri trium Marcarum: in Iure verò Castrensi, sex Scotos, quam solus ipse Procurator solvet: non Principalis suus, aliàs, non ille à quo causam dicit.

Procuratores debent esse jurati: & æstimationes pecuniales in Citationibus, sint moderatæ.

Sigis. Crac. 1543. PRocuratores mercenarii, qui mercede conducti hominum causas in Iudiciis communiter procurant, ne ampliùs difficultates & comperendinationes in Iure facerent, debent esse jurati: Quia injustas causas, neq; suscipere, neq; eis consulere, neq; illas promovere debent, in gratiam alicujus partis. Præterea æstimationes pecuniales, quas pro injuriis vel damnis in Citationibus ponunt, debent ita moderari, & ad eum valorem redigi, quanti damnum valet, ne ob hoc, probationibus, & testibus homines gravarentur. Iudex autem, qui Iudicio præsidet, debet prospicere & animadvertere in talem, & punire illum, sicut est, de inordinatis Citationibus, Statuto descriptum. Quòd si certò comperiantur aliqui Procuratores, hujus Statuti transgressores, & audaces: extunc debent per Iudicem ad Nos remitti. Quodsi Decreto nostro Regio, transgressionis Reus reperietur: extunc ei Officio procurandi, in omnibus Iudiciis nostri Regalibus, Terrestribus, Castrensibus inhiberi debet.

Hoc

Hoc autem intelligi debet, præter illos: qui consanguinitatis, aut amicæ consvetudinis Iure ducti, amicorum: nec non præter famulos, qui dominorum suorum causas procurarent: neq; communiter in Iurec, ausas dicerent, deniq; præter illos: qui ipsimet, suas proprias causas Iudicialiter agerent. Tales enim huic Statuto subdi non debent. Attamen Procuratores dominorum, tametsi domino aliquis eorum serviat, & ejus causas procuret, (si modo communiter Procuratoris Officium exerceat) eo non obstante, tenebitur hoc Iusjurandum præstare: & literas authenticas Iuramenti suis ab Iudicio Terrestri accipiendas, habere, cum quibus literis, ubiq; fides debebitur ei indubia.

Procuratores sint diligentes & fideles.

EDicimus: ne cum inordinatis Citationibus & Actionibus, Procuratores ad Iudiciū accedant, si volēt pœnam Statuti evitare. Item, ut vocati secundùm Registrum, præstò sint, siquidem in vocandis personis, juxta Registrum nos conservabimus. Quodsi quis vocatus abfuerit: condemnari permittetur. Etenim studiosè extrahunt causas: ut non solùm Iudices Provinciales, verùm etiam Regia Majestas, Assessoresq; ipsius, non tum, quando volebant, sed quando Procuratoribus libebat, judicabant. Quocirca si quis Procurator, negligentiâ vel nequitiâ, non controvertendo cum adversario, permitteret Principalem suum condemnari; is autem Principalis tali damnô affectus, eo nomine queritur: extēc ibidem coram Iudicio, vel in Comitiis administrabitur de eo Iustitia: non secus, atque de servitore, etiamsi fuerit possessionatus. *Sigis. Aug. Petr. 1548*

De potestate Procuratorum in Civilibus vel criminalibus causis, sed Inscriptiones excipiuntur.

ITem: antiquum Statutum æqua moderatione interpretantes, Statuimus: ut Procurator: sive possessionatus sive non possessionatus, habens sufficiens Procuratorium, possit in Iudiciis comparere: omniaq; agere & exercere, quæ ipsius Principalis causam vel causas attinent seu tangunt: etiam partem, Citatione verbali, aliàs *Nadwornym*, citare: & Iudicem movere: ac alia omnia facere, quæ ad defensionem causæ pertinent, præter Inscriptiones: quas nec novas facere, nec de antiquis quietare, nec pecunias inscriptas tollere poterit, sine præsentia sui Principalis, seu Actoris. *Sigis. Petr. 1511. Fol. 28*

PROFVGI.

Si quis prædo fugiat prædonesve servet: ac pòst redeat.

SÆpius contingit, quòd quidam de militari prosapia procedentes, veluti prodigi honoris & famæ ipsorum, furta sive latrocinia committentes, fiunt profugi nostri Regni, ipsorum spontanea voluntate: & sic occasionem quærentes, mala committere non formidant, pro quibus in iram nostræ indignationis incidunt. tandem de commissis furtis, & cæteris acti- *Kazi. Mez. Vislic. 1368. Folz 26.*

ris actibus malis, pœnitentiâ ducti, amicorum suorum intercessione mediante, nostram consveverunt implorare clementiam: & sic nostræ gratiæ, de novo restaurantur. Volumus itaque: Quòd licèt nostra ira sit dimissa eis & pœna, nihilominus pro furtis, & damnis, viris bonis & justis illatis, tenebuntur Iudicialiter respondere, & satisfacere: juxta diffinitionem, per deputatum Iudicem factam. Et nihilominus tales infames reputamus: neq; aliis Nobilibus, qui nunquam profugi extiterunt, in fama & sublimitate honoris posse adæquari. Statuimus etiam: illum, qui occultè insidiando inhabitatoribus Regni nostri, fures, & profugos, aut prodigos servat, eis hospitium præbet, & partitur cum eis rapta, & malè acquisita, tales infames esse: impareſque viris probis & bonis reputari.

Sculteti & Kmethonis, à Domino profugi, & quater ad Iudicium vocati, nec redeuntis, bona per Dominum loci accipiantur, & quid faciendum sit? si possessori Sculteticæ minetur.

Wladislaus Iagello. Folio 46.

Cùm autem Sculteus & Kmetho, de agro & hæreditate sua, absque culpa domini fugerit: talis profugus debet per dominum, in Iudicio majori & bannito, ter, & ex superabundante quartò, ut ad suam redeat hæreditatem, evocari: qui si non redierit, taliter vocatus, dominus villæ, cum protestatione, poterit suam hæreditatem per alium locare: contumaciâ illius non obstante. Et si is profugus, minas incusserit possessoribus agrorum, qualescunque: tenebitur Dominus: sub quo degerit, requisitus, Ius Polonicale poscentibus, cum eo ministrare, aliàs ille, sub quo fuerit contradicens, pœnam *Pietnadzieſta* incurret toties, quoties contra hanc Constitutionem fecerit quoquo modo.

§ De Kmethonibus profugis, Vide in Titulo: KMETHO.

§ Quibus profugis, & quomodo, Salui conductus dandi? Vide in Titulo: SALVUS CONDUCTUS.

PVERI.

§ Vide in Titulo MINORENNES.

PVPILLI.

§ Vide in Titulo: MATERNALIA BONA

PRVSSIA.

Pax & Concordia, inter Wladislaum Regem Poloniæ, & Conradum de Iungingen: Magistrum Prussiæ, Ratione finium regundorum.

Fol. 132.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Amen. Frater Conradus, de Iungingen, Magister generalis, Ordinis Beatæ Mariæ, hospitalis Ierosolymitan: de domo theutonica: Vniversis præsentibus & futuris, præsentium notitiam habituris, Salutem, & rei gestæ, ad perpetuam memoriam

moriam, cognoscere veritatem. Cùm auctor pacis, ad unitatis & pacis spiritum, suis rigorosis mandatis quotidie nos invitet: dignum arbitramur: ut inveteratæ displicentiæ, guerræ, & offensæ, contra Serenissimum Principem, & Dominum, Dominum Wladislaum Regem Poloniæ, Supremum Ducem Litvaniæ, & Hæredem Russiæ: suosq; progenitores, quo ad Terras Litvaniæ, & Prussiæ, per Nos, nostrum quoq; Ordinem, intuitu Orthodoxæ fidei, diutius exagitatæ, in pacem perpetuam, remissionem, & concordiam committentur. § Hinc est, quod nos de expresso consensu compræceptorum nostrorum, cum dicto Serenissimo Domino Wladislao, Anno, die, loco, infrascriptis, certum terminum placitorum concorditer, celebravimus: super pace, inter nos & Terras Ordinis nostri, ex una, & supradictum Dominum Regem, & Terras suas, videlicet Litvaniam & Russiam, parte ab altera: faciendâ perpetuò & firmandâ, variis præmissis tractatibus, tandem (ut sequitur) concordavimus in hunc modum. § Inprimis promisimus, & præsentibus bona fide promittimus: quod exnunc & in antea tenebimus pacem inviolabilem, & concordiam cum supradicto Magnifico Domino Wladislao Rege Poloniæ, suis Catholicis hæredibus, & successoribus, ac Prælatis & Ecclesiis, omnibus quoq; Terris suis, per Litvaniam & Russiam Terrarumq; Incolis, perpetuis temporibus observare. § *a* Nec unquam volumus & debebimus, aliquam ligam inire, aut facere, contra dictum Wladislaum, suos quoq; Catholicos successores Terrarum Litvaniæ, & Russiæ, cum dominiis, aut aliis hominibus, & rancore quolibet postposito: omnes & singulas injurias nobis, & nostris per se, vel per alios quomodolibet illatas, remittimus penitus & offensas. § *b* Insuper Limites, & Terminos inter nostros, & dicti Domini Regis Terras: videlicet, Litvaniæ & Russiæ: distingui fecimus: & modis distinguimus infrascriptis. Inprimis incipiendo in quadam Insula Sawin, dicta vulgariter Sitta, in fluvio dicto Memla, habente in se Insulam Romeyweider. Quæ quidem Insula tota apud Ordinem permanebit temporibus affuturis: ab hinc directè progrediendo ad fluvium dictum Norveſſe, in declivio seu villæ continuæ, sub sylva dicta Heyligenvalth: Ab hinc, dictum fluvium sequendo in mediis fluctibus, usq; ad Vysuilten, ascendendo ab hinc linealiter & directè eundo ad quendam lapidem magnum, dictũ Roda, jacentem in fluvio dicto A. & Roda vulgariter nuncupatum: ab isto lapide, ascendendo super stagnum dictum Sinarden: ab hinc directè usq; in Novenrithen: ab hinc linealiter procedendo versus finem, seu aciem mericæ, dictæ vulgariter Heyde, ad locum ubi fons oritur: à dicto fontis ortu procedendo, per directum in solitudinem quandam, cõmuniter Wiltniſſe dictam: ubi fluvius Egloſſe ortum habet: ab hinc directè eundo, per medium dictæ solitudinis, usq; ad terminos & gades illorum, de Ploszkow: & hi omnes termini siti, sunt versus Livoniam. Ascendendo verò versùs Prussiam, termini subscripti, per dictum Ordinem, perpetuò, sine quolibet contradictionis obstaculo, habebuntur: Incipiendo à suprà dicta Insula Sawin, in directum procedendo, usque ad

Minister Ordinis, de consensu cõpræceptorum suorũ iniuit concordiam cum Rege Poloniæ, pro die, & tẽpore hâc expressis.

Magister Ordinis promittit servare perpetuã pacem cum Rege Poloniæ & suis successoribus Christi fidelibus.

a Magister Ordinis non debet cũ aliquo inire ligam contra Regem Polon. & suos successores Catholicos, in terris Litvaniæ & Russiæ, iniuriæ & rancores etiam dimittuntur.

b Limites & Termini inter terras Ordinis Theutonici & terras Russiæ & Litvaniæ, distingvũtur modô hîc cõtentô.

fluvium dictum Suppe, ab hinc procedendo ad locum ortûs sui: ab hinc progrediendo usq; ad fluvium, qui effluit à lacu dicto Mothensehe: & dicitur communiter Methensly, ab hinc per descensum fluvii, usque ad fluvium dictum Beber, deinde dictum fluvium sequendo usq; ad miliare: prope fluvium, qui Nare dicitur: & ab hinc directè eundo, usque in dictum fluvium Nare. § Cæterùm pro nobis, nostro Ordine, omnibus nostris successoribus, renuntiamus imni impetitione & Iure, quæ in prædictis Domini Regis Wladislai Terris, videlicet Litvaniæ & Russiæ sitis, terminos superiùs expressos, versùs dictas Terras, habuimus, vel habere videbamur: insuper Terræ & dominia, de magno Novchroden, qualitercunq; sive per nos, nostrum Ordinem, aut per supradictũ Serenissimum Dominum Wladislaum, aut per suos conjunctim, & divisim acquisitæ fuerint: vel aliàs qualitercunq; ad nostrum Ordinem devenerint, easdem ac eadem, dictus Dominus Rex obtinebit: nec unquam bona fide quominus easdem detineat, impediemus. § * Præterea volumus: quòd homines sæpe dicti Domini Regis, & suorum successorum, in Terris Litvaniæ & Russiæ constituti, in omnibus Terris Ordinis, mercari & negotiari liberè valeant: absq; teloneis, aliisq; exactionibus: quos etiam defendere tenebimur: sicuti nostros: salvis tamen teloneis, ab olim institutis: ac quibuslibet edictis nostris editis, & edendis, in Terris Ordinis, quibus nostri arctantur, & dicti Domini Regis, suorumq; successorum homines per Litvaniam, & Russiam sunt arctati. § d Item Ordine nostro in expeditione communi cum prænominato Domino Rege, & suis successoribus, & ipsorum hominibus, per Russiam & Litvaniam, existente, quotquot ipsi captivaverint, suos habeant ùt captivos. § Excessus quoque per dicti Domini Regis, suorumq; successorum homines in prædictis terris, qualitercunq; commissos, Capitaneus exercitûs eorundem, eosdem liberè judicabit. § g Excessus verò communes per utriusq; exercitûs homines commissos, Capitanei utriusq; exercitus, simul & communiter judicabunt. § k Nullos insuper armigeros, dominos, milites, vasallos, vel alterius cujuscunque generis homines, etiamsi Christi fideles fuerint, in damnum seu præjudicium, dicti Magnifici Domini Wladislai, aut suorum, unquam per Terras nostras, scienter ire permittemus: sed impediemus & prohibebimus juxta posse. § h Deniq; omnes proscriptos, seu bannitos, de supradictis Terris, præfati Domini Regis, non recipiemus ad Terras nostras: maximè qui in sui vindictam, homicidia vel incendia, ejusdem Domini Regis, vel suorum successorum, hominibus, in præmissis Terris Litvaniæ comminantut, & Russiæ. § m Præterea per Terras dicti Domini Regis vel suorum successorum Catholicorum, videlicet Litvaniæ & Russiæ, contra quoscunque, nunquam traducemus exercitum, aut traducere per quemcunque, faciemus, nisi expressè fuerit de voluntate dicti Domini Regis, suorumq; successorum: qua obtenta, damnum

Renuntiat Magister & Ordo alios Terminis & omnibus bonis ad Novochrod pertinentibus.

* *Homines de Russia, & Litvania, liberè mercari possunt absq; teloneis in terris Magistri Ordinis,*

d *Ordo quandocunq; cum Rege Poloniæ pro tempore existenti in cõmuni expeditione fuerit, quoscũque captivaverit, pro suis habebit.*

Excessus per homines Regis qualitercunq; perpetratos Capitan. exercitûs iudicabit

g *Excessus per homines, hinc inde cõmuniter commissi per Capitan. utriusq; exercitũ iudicandi.*

k *Armigeri, Milites, vasalli, & aliàs quicunq; homo, in damnum Regũ, non permitteur transire per terras Ordinis.*

h *De Regno Polon. banniti, per Magistrũ in suis terris ne foveãtur.*

m *Per terras Russiæ & Litvan. Catholicorum Magister Ordinis non traducet exercitum contra quemcunq; absq; consensu Regis.*

nequa-

nequaquam ipsis, ac ipsorum hominibus inferemus. § n Præterea promittimus: quòd nullos fratres & consanguineos ipsius Domini Regis fugitivos, seu alios quoscunque erroneos, per quos, Dominus Rex & Regnum Poloniæ, ac Terræ Litvaniæ & Russiæ, possent molæstari, durante pace, debebimus ad Terras nostras recipere vel fovere. § o Omnia verò singula præmissa, in articulis præmissis, & eorum quolibet contenta, bona fide promittimus, pro nobis totoq; ordine nostro, firmiter ac inviolabiliter observare: nec unquam contraveniemus, aut contravenientes procurabimus per quoscunque, arte, ratione, ingeniô, de Iure vel de facto: consilio, vel auxilio, publicè vel occultè. § * In quorum omnium evidens testimonium, & fidem, de & super omnibus præmissis, præsentes literas, nostri majoris Sigilli munimine mandavimus communiri. Datum in fluvio dicto *Wisla*: prope Castrum *Raciaz* Diœcesis Wladislav, feriâ quintâ proximâ ante festum Sanctæ Trinitatis. Anno Domini M. CCCC. IIII. Harum rerum testes sunt, Reverendi in Christo Patres & Domini, Dominus Arnoldus Episcopus Culmen: & Dominus Ioannes Episcopus Pomezaniæ, ac honorabiles & Religiosi viri fratres, Ordo & Commendatores.

n *Sanguine iuncti Regi, fugientes, ad terras Ordinis, per quos Regnum possent molæstari non debet ab Ordine suscipi & foveri.*

o *Magister Ordinis pro se & pro toto Ordine promittit omnia supra dicta servare.*

* *Muniuntur literæ Majori Sigillo Magistri Ordinis.*

Privilegium pacis & concordiæ, per Wladislaum Iagellonis, tunc Poloniæ & postea Vngariæ Regem, in Brzescie Cujaviæ, factæ cum Paulo de Russdorff, Magistro Prussiæ: quæ facta erat Anno Domini 1436. Præsentibus Magno Duce Litvaniæ Sigismundo ejusq; Filio Michaele. Ité Ducibus, Stolpensi, & Mazoviæ, & universis de Regno, & de Magno Ducatu Litvaniæ Prælatis, Baronibus, & Consiliariis, in fine Privilegii subscriptis. quod sic sequitur.

IN Nomine Domini, Amen. Ad perpetuam rei memoriam: Conveniit actus hominum, qui vetustate cadunt, & successu temporis in oblivionem vertuntur, solidis scripturarum & testium fundamentis commendare: in quorum custodia nullis marcescunt temporibus: sed semper jugis perennatione memoriæ incommutabiles servantur. Proinde Nos Wladislaus Dei gratiâ Rex Poloniæ, necnon Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Litvaniæ Princeps supremus: Pomeraniæ Russiæ, &c. Significamus tenore præsentium, quibus expedit, universis præsentibus & futuris, notitiam, præsentibus, habituris: Quomodo, cum divini dispensatione consilii, hujus Regni recipimus gubernacula: ad hoc quoque, tam tum in Terris obtinuimus Principatum: ut propensiori curâ & vigilantiâ nostrâ, semper studia extendamus: per quæ, pacis desideranda tranquillitas, inter Christi fideles (ex quorum discordia, non solum Terrarum & Vrbium, sed Provinciarum atque Regnorum, resultant excidia: prout in plerisque lugenda atq; calamitosa, exempla, mortalibus exhibent argumenta) procurari queant & procurata auctore pacis, de throno suæ ineffabilis Majestatis, atque potentiæ concludi, & mediis salutaribus stabiliri ac extolli felicibus incrementis.

Pax, quà nihil pretiosius est, commendatur.

§ Et attendentes, quod nonnisi in pace, pacis opifex Deus perfectè coli valeat: & eâ nihil in mundo exoptari possit pretiosius, aut desiderabilius concupisci. Hinc est quòd nos non absq; interna compassione, & gravi cordis amaritudine recensentes: quot & quanta mala ex guerris & dissensionibus procedant: quotq; ex contentionibus & bellis, si ea mortales agant, odia hominum, non sine etiam animarum & æternæ salutis dispendiis, ac excidiis Civitatum Provinciarumq; & Terràrum ac in illis degentium interitus subsequantur. Divinus deperit cultus: & sanguinis effusio oritur, Cumq; talium discordiæ atq; bella: non solùm se, suosque, sed etiam alios plurimos tractura sunt verisimiliter in præcipitium & ruinam. § Propterea supremis affectibus exoptantes, ut non crescant jurgia: sed juxta magistram bonorum omnium charitatem (quæ nihil sapit extraneum, nil asperum, nil confusum, imò propria virtute nutrit concordiam, dissociatos jungit, pacem & unitatem consolidat) ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, & Beatæ Mariæ Virginis Gloriosæ, totiusq; Hierarchiæ cœlestis, propagationem fidei, cultum justitiæ, & religionis Christianæ salutiferum incrementum, à guerris deflendis, excidiis, displicentiis, odiis, rancoribus, & offensis, inter nos, VVladislaum Regem Poloniæ, &c. Sigismundum Magnum Ducem Litvaniæ, &c. prædictos: & inclytum Kazimirum germanum nostrùm, Semovitum, Kazimirum, VVladislaum, Boleslaum Mazoviæ, ac Boguslaum Stolpen. & Pomeraniæ Duces, Regum Poloniæ, Terrasque nostras Magni Ducatûs Litvaniæ, Russiæ, Mazoviæ, Stolpen. & Woiewodam Moldaviæ: & alia dominia nobis subiecta ex una: & Magnificum ac Religiosum Dominum Paulum de Rusdorff Ordinis Beatæ Mariæ Theutonicorum Ierosolymitani, & Ordinem suum ac Terras ejusdem Ordinis, Prussiæ, Almaniæ, Livoniæ, & alias omnes ei subjectas, parte ex altera: novissimè gravi offensione, & jacturâ exortas, nostræ mentis propositum retrahere decrevimus: & ea, quæ durantibus hujusmodi controversiarum & guerrarum turbinibus, circa bonum Reipubl. sunt diruta & destructa, per pacis integritatem ad statum cupien. reducere quietum & tranquillum: cum eisdem, Magistro, fratribus, & Ordine ipsius, Terris Prussiæ, Almaniæ, Livoniæ subditis, & sequacibus eorundem, perpetuæ pacis, & inviolabilis fœderis unionem elegimus, assumpsimus, suscepimus: & inivimus, eligimusque, suscipimus, assumimus, & inimus tenore præsentium mediante, omni tempore perpetuè duraturam. Quam sub fide & honore ac juramentis corporaliter præstitis: sine dolo & fraude Promittimus vigore præsentium observare, & ut ipsa unio cum tanta deliberatione & maturitate concepta, ad firmum & constantem ordinem jugiter observandum reducatur: ipsam per articulos infra scriptos omnino duximus regulandum. § Imprimis qnòd inter nos Regem, Magnum Ducem, & Duces prædictos, Regnum Poloniæ, Magnum Ducatum, & Terras Litvaniæ, Samogitarum, Russiæ, Mazoviæ, Stolpen. & Woiewodam Moldaviæ, & aliorum Dominorum & subditorum nostrorum, ab una: & prædictum Magistrum generalem

Charitatis commendatio.

Dissensiones & controversiæ inter Regem & Magistrũ Prussiæ, sopiendæ.

talem & ordinem, Terras & subditos ipsius, tam in Prussia, Almania, quam Livonia & nova Marchia, parte ex altera: omnes dissensiones, controversiæ & damna inter partes hinc, inde facta, dimissa, & totaliter sopita debent esse: nec illorum de cætero, aliqua mentio, aut memoria, & signanter in querelis, aut in detractionem Partium, coram quibuscunque personis habeatur, aut fiat. Sed nec una Partium ad infamiam alterius partis suggeret, consentiet, auxilium dabit, & favorem, publicè vel occultè: & quantum in ea parte fuerit, dilationes & detractiones hujusmodi fieri non admittet, sed potius prohibebit. § Item quòd omnia bona Ecclesiarum, Gnesnen. Wladislavien. Plocen. & Posnanien. Prælatorum, Abbatum, Monasteriorum, Conventuum, & aliarum quarumcunq; personarum Secularium & Religiosarum: quæ sunt in Terris Ordinis prædicti situata, debent circa Iura omnia, tam Ecclesiastica quàm Secularia, & omnes aliquas consuetudines, quæstus, decimas, castra, villas, prædia, curias, & alias utilitates, emolumenta & proventus, quibuscunque nominibus nuncupentur, conservari: nec aliquibus novis consvetudinibus, servitiis & oneribus aggravari. Quodque eadem bona non alienentur, nec pro eorum alienatione instetur per partes, sine consensu Prælatorum Spiritualium. Omnes autem census, decimas, proventus, & alias obventiones qualescunque in Terris Ordinis consistẽ, quos & quas Magister & Ordo Reverendissimis in Christo Patribus Dominis, Archiepiscopo Gnesnensi, VVladislavien si, & Plocensi Episcopis, aliisque Prælatis Secularibus & Regularibus Regni Poloniæ, per biennium sublevaverunt, plenè & integrè restituant, & restitui faciant, medietatem infra hinc ad festum Purificationis Mariæ, reliquam verò ad festum Paschæ proximè affuturum in Civitate Torunen. quittationibus de solutione, à præfatis Prælatis receptis, & quòd bona & decimæ Reveren. Patris Domini Wladislai Episcopi Wladislavien noviter & quomodolibet arrestata relaxentur. § Item ut omnes suspicio & hostilis respectus hinc, inde inter nos & partem Magistri generalis & Ordinis sui in toto evellantur: Volumus: quòd ligæ, confœderationes, Inscriptiones, quæcunq; sunt vel fuerunt inter Magistrum generalem, præceptores per Almaniam, & Livoniam & Ordinẽ ipsorum, Prælatos, Nobiles, Cives, & subditos ipsorum, cum Duce Boleslao aliàs Swidrygal, Prælatis, Ducibus, Boiaris, & subditis Terrarum Litvaniæ, Samogitiæ & Russiæ factæ, debent esse cassæ, inanes, irritæ, & in nihilum redactæ. Ipsique, Magister & Ordo, Prælati, Nobiles, Cives & subditi ipsorum, debent præfatum Ducem Swidrygal, deserere & dimittere, perpetuis temporibus: & nunquam eidem aut alteri cuicunq; Magno Duci Litvaniæ & Russiæ, auxilia & consilia contra nos & successores nostros, & Regnum nostrum, ac etiam præclarum Principem Dominum Sigismundum Magnum Ducem Litvaniæ modernum, Magnũque Ducatum Litvaniæ, præstabunt: nec alias ligas, suggestiones, & cõfœderationes in damnum nostrum, aut Regni facient in perpetuum cum eisdem: imò nec aliquem alium tenere & reputare debent pro Magno

De non ferendis suppetitiis, & auxiliis contra Regnum, Boleslao Swidrygal.

De non fevẽdo auxilio per Polonos contra Magistrum.

Duce Litvaniæ & Russiæ: nisi qui cum nostro consensu, & Regio (quem admodum præfatus Dux Magnus Sigismundus modernus est electus, juxta dispositionem dudum factam inter Regnum Poloniæ, & Terras Litvaniæ) electus sit & positus in Ducatum: nec etiam permittent Swidrigal de terris seu per terras & dominia Ordinis ipsorum, damna aut impedimenta Regno Coronæ nostris, Ducatui Magno Litvaniæ, & Ducatibus prædictis inferre, nec ipsum publicè, vel occultè, per se vel submissas personas juvare aut sublevare quovis modo. § Item: ut hujusmodi pacem perpetuam & concordiam sub certiori attentionis firmitate & robore custodiamus & servemus, promittimus, sine dolo & fraude, sub fide & honore ac onere præstiti juramenti: Quòd ad nullius hominis viventis requisitionem, inductionem, suggestionem, persvasionem vel mandatum, etiam quacunq; dignitate perfulgeat, Papali, Imperiali, vel Regali, aut cujuscunque congregationis legitimæ, personarum Ecclesiasticarum vel Secularium, debebimus vel poterimus contravenire ipsius in parte, vel in toto, expressè, manifestè, vel occultè, per se vel alium seu alias quascunq; personas submissas Spirituales vel Seculares: neq; eas taliter aut quocunq; modo violare: etiam si modernus Imperator, aut successores sui Imperatores, personaliter cum exercitu contra Magistrum & Ordinem, se moverent, non debemus ei nec successores nostri assistere ope, consiliô, auxiliô vel favore. § Item quòd medius fluvius *Drwanca* sit limes inter Regnum nostrum & Terras Ordinis: nec fiat in eodem fluvio aliquod molendinum in limitibus & ripis communibus. § * Et præcipuè in loco Lubicz dicto, in quo aliàs factum fuerat: sic quòd idem fluvius suum antiquum meatum habeat: quodq; residuum aggeris unà cum ponte maneat, sine omni clausura diurna & nocturna pro strata publica, nec novum ibidem molendinum deinceps erigatur. § *a* Quo per descensum intrāte flumen *W*isla, iterum descendendo per Wislam inferiùs, ipse medius fluvius Wisla erit iterum limes inter Regnum Poloniæ, & Terras Magistri Ordinis Prussiæ: cum omnibus suis Insulis, piscaturis, Juribus, & obventionibus universis, nullis exclusis penitus & exceptis: usquequo ipsa medietas prædicti fluvii *W*isla tanget locum limitum: quem quondam Sereniss. Princeps Dominus Kazimirus divæ memoriæ Rex Poloniæ, cum Magistro Prussiæ, dicto Duszmar: inter Terras Bydgostien. & Pomeraniæ certis literis, & signis notabilibus limitavit, descripsit, & distinxit. § *b* Castro Iasieniec in Terris Ordinis remanente. § *c* Ita tamen quòd Castrum *Nieszowa*, cum territorio suo & villis *Murzynowo*, *Orłowo*, *Nowawieś*, & aliis villulis, molendinis, & usibus ad dictum Castrum, & territorium, cum omnibus Castri territoriis, ac villarum prædictarum bonis, sylvis & utilitatibus: aquis quoque & earum decursibus, cum pleno & totali dominio: ac cum medietate navigii in flumine *W*isla, & ejus proventibus & Insulis, ac piscaturis: Juribus, libertatibus omnibus & singulis ad ipsa spectantibus ab antiquo, nullo penitus alicui præter nos, & Coronam Regni Poloniæ, Jure in eisdem, Castro, & territorio ac Villis

Drwanca medius fluvius limes inter Regnum & Terras Ordinis.

* *In loco Lubicz non fit molēdinū.*

a *Medium Vislæ limes inter Regnū Poloniæ & Terras Ordinis ubi Drwáncza influit descendendo per Vislam.*

b *Castrum Iasieniec pro Ordine.*

c *Nieszowa Castrum cū villis Murzynowo, Orłowo. Nowawies pro Regno.*

lis reservato, remaneat circa nos & Coronam Regni Poloniæ perpetuè & in ævum. § Sic tamen quòd nulli subditorum, salvo censu debito, & solvi consveto, per hanc cessionem in Juribus ipsorum, in insulis & molendinis præjudicium generetur. Et si nos in Juribus ipsorum, ipsos tolerare noluerimus: extunc licitum sit nobis juxtam antiquam taxam, prout ab antiquo inter se vendere consveverunt hujusmodi, Jura comparare & solvere: quemadmodum Serenissimus Princeps divæ memoriæ Dominus *W*ladislaus genitor noster charissimus, & Corona Poloniæ pacificè & quietè tenuit: à tempore concordiæ, circa locum Melno, jacentem, in Terris Ordinis, inter Castra *Radzyn*, & *Rogozno*, circa flumen Ossa, die Sancti Stanislai Episcopi & Martyris, de mense Septembri factæ, ad receptionem & occupationem eorundem per Magistrum & Ordinem de anno Domini 1431. attentatam. § Specialiter additô & expressô: quòd omnibus hominibus, & Mercatoribus, cum quibuscunq; rebus, cujuscunq; generis, pretii, vel valoris existant proficiscentibus, liberum est vendere hujusmodi res seu merces abq; impedimento & compulsa, & stare sive manere cum eis, aut eas in Civitate Nieszowa locanda conservare, vel transire cum eis, quo placebit, sive per terram: sive per fluvium *W*isla infrà vel suprà vel in Torun, aut alia loca in Terris Ordinis constituta. Item incipiendo ab eo loco, in quo prædicti limites per Dominum Kazimirum Regem Poloniæ, & Magistrum Prussiæ facti, & in eorundem Literis expressi terminantur, & desinunt in procedendo ulteriùs: usq; ad introitum fluminis Nothesz sive Birzwennik observabimus istum modum & ordinem. § Quodsi de prædictis limitibus poterint bonæ famæ, tres homines pro parte nostra & Coronæ, & tres pro parte Magistri & Ordinis, electi, visis utriusque partis literis, Juribus, & possessionibus, & aliis legitimis documentis concordare, stabunt limites taliter concordati. § Vbi autem non possent electi illi homines boni concordare, extunc sortes ab utraq; parte mittantur: quamcunq; autem partem sors contigerit, sic emissa: pars reliqua, quam sors ipsa non tetigit, debet sex personas quas placebit de parte prædicta eligere, quæ personæ sic electæ: postquam juramentô corporali limites inter partes prædictas, sic de limitibus discrepantibus firmaverint: limites illi, sic juramentô firmati, pro signis & limitibus inter Regnum Poloniæ & novæ Marchiæ perpetuè remanebunt. Testes autem illius Partis, cui sortes advenerunt, in processu limitum prædictorum, Castra, Civitates partium prædictarum, ex hac sortium accessione non attingent nec movebunt: aut pro sua parte aliqui iterven dicabunt: sed partes superiùs expressæ, Castra, Civitates ab antiquo tentas, absq; impedimento sortium, obtinebunt. § Ita tamen quòd pons in fluvio *Drawa*, circa *Ochczeth* cum libero transitu, perpetuò manebit hôc additô: quòd si in parte Magistri seu Ordinis cesserit, & in ejus structura, negligentia commissa fuerit, licitum sit nobis aut Capitaneis nostris: hujusmodi pontem novum construere, & antiquum reformare: quoties fuerit opportunum. § Et ne in posterum de hujusmodi per-

De redimendis Juribus per Regem juxta taxam antiquam.

De transitu Mercatorum libero in Terras ordinis.

De concordia super limitibus tentāda.

De sortibus mittendis super limitibus

De sex personis juraturū super limitibus pro parte, quā sors non tangit.

De pōte in fluvio Drawa per Regē restaurādo, Magistro negligente.

De cōpositō

ribus & teſtibus, caſu quo ſors Magiſtrum & Ordinem tetigerit.

ſonis & teſtibus ſupra ſcriptis aliqua difficultas oriatur, nos Reverendum in Chriſto Patrem, D. Franciſcum Epiſcopum Varmien. & honorabiles ac Religioſum Wolff. de Sauſzenn commendatorem in Oſtrorode, & ſtrenuum Ioannem de Sayſen, pro hujuſmodi compoſitoribus, & honorabilem ac Religioſum Conradum de Erbinghawſchen, Hermannum Reuſſop Torun, Henricum Forothdanen Præconſules: cum ſupra ſcriptis, Epiſcopo commendatore, & Ioanne, pro teſtibus (in caſu, quo ſors, Magiſtrum & Ordinem tetigerit) duximus nominandos & eligendos: qui ad faciendum præmiſſa cum noſtris, per Magiſtrum & Ordinem nominatis & electis, conveniant noſtri in Bydgoſtiam, ex parte Ordinis in Swece, in craſtino Nativitatis Mariæ proximè venturo, aſſunde hujuſmodi limites ſicut præmittitur diſtinguendos, ulterius proceſſuri. § Poſtquam autem ventum fuerit per limites prædictos, ſic ùt præmittitur diſtinctos juramentô, quando limes fluvium Noteſz & Birzuennik inſiliet, ipſe fluvius Birzuennik medius erit limes perpetuus inter Regnum Poloniæ & Terram novæ Marchiæ: & iterum ubi Birzuennik cum Noteſz confluit, medius fluvius Noteſz erit limes: ita quòd Ordo & ſubditi ejus, ipſum flumen, aſcendendo dimidium miliare, & deſcendendo ſimiliter medium miliare, ac verſùs Regnum dimidium miliare pro paſcuis pecorum, & pecudum quorumcuque, ac pro receptione argillæ, calcis, lapidum, pignorum, tam pro igne quàm ædificiis Caſtri & Oppidi liberum habeant uſufructum: & ſimiliter homines & ſubditi Regni & Coronæ, dominio & proprietate apud Regnum noſtrum remanentibus.

De limite, in medio fluminit Byrzvennik & Noteſz, perpetuo in Regnum & terram Novæ Marchiæ.

De Teloneo & ponte pro Magiſtro & Ordine.

§ Teloneum autem aquaticum & Terreſtre cum ponte & ipſius ſtructura, ſecundùm antiquam conſvetudinem, abſq; ampliori augmento prædicti telonei, apud Ordinem remanebunt.

** De piſcatura libera per medium miliare ſupra & infra.*

§ * Piſcaturam etiam, præfatus Ordo ſolus liberam in eodem flumine Birzuennik ſeu Noteſz, aſcendendo & deſcendendo, ùt præmittitur, per medium miliare, à ponte qui ducit verſùs Poloniam, obtinebit: eo ſalvo, quòd Villa Trzebieſzow in ſuis limitibus, piſcandi liberam habeat facultatem.

De non erigendo aliquo fortalitio in Byrzuennik

§ Hôc adjectô quòd in eodem dimidio miliari, aſcendendo & deſcendendo fluvium Birzuennik, & etiam verſùs Regnum, ſimiliter per medium miliare, aliquod fortalitium non erigatur.

a De Epiſcopo Lubucen. pro iudice per utramq; partem eligendo.

§ *a* Item poſtquam ventum fuerit ad limites, per aquam, ubi fluvius ſive Birzuennik, ſivè Noteſz taliter procedendo inferiùs, ùt ſupra dictum eſt, verſùs Lanczberg ſuper differentiam ibidem ex oppoſito prædicti Oppidi conſurgente, pars utraq;, videlicet Nos & Magiſter ac Ordo elegimus nobis pro Iudice Reverendiſs. in Chriſto Patrem Dominum Chriſtophorum Epiſcopum Lubuczen. in quem, partes ipſæ de alto & de baſſo compromittent: & ad Feſtum Sanctæ Trinitatis proximum, ibidem circa Lanczberg adducent, & productis coram eo, Iuribus & probationibus legitimis in Termino ſeu Terminis competentibus ab utraq; parte, laudum, & pronuntiationem, quam, uſus conſiliô ſapientum ſuper omnibus differentiis inter Regnum & Oppidum prædictum Lanczberg tulerit, ambæ partes hujuſmodi ſententiam ſuſcipere, laudare, & emologare, & ſervare

ſervare ſub fidei puritate tenebuntur. § Volumus etiam & Decernimus per præſentes: quòd teloneum & depoſitum vulgariter & ablata, Magiſter & Ordo reſtituere teneatur.

De Theloneô per Magiſtrũ ablato & ordinem, reſtituendo.

§ * Et ſi aliquis ſubditorum, de Terris aut dominiis noſtris vellet ad Terras Ordinis, ratione incolatûs ſe transferre, licitè poterit & liberè recedere: abſq; quovis impedimento aut arreſto perſonæ: & bona ſua vendere, aut de eis diſponere juxta beneplacitum liberæ voluntatis, pari modo volumus de bonis in Terris Magiſtri & Ordinis ablatis ſeu occupatis obſervari.

** De libero tranſitu incolarum hinc inde faciendo pro placito.*

§ Item omnes coadjutores & adhærentes, qui in favore noſtri & Regni noſtri Poloniæ coadjutorum & ſubditorum noſtrorum, Magiſtrum & Ordinem Pruſſiæ diffidarunt, ab omni impetitione Magiſtri & Ordinis prædicti ſint liberi & ſoluti.

De coadiutoribus Magiſtrum diffidantib. liberè remittendis.

§ Item omnes apoſtatæ Ordinis prædicti in Regno noſtro & Terris Litvaniæ, Samogitiarum, Mazoviæ, Ruſſiæ, & Stopen, & aliis dominiis Regni noſtri & Terrarum prædictarum commorantes, ne diutius in ſuis peccatis tolerentur, de Regno noſtro & dominiis noſtris prædictis, per nos & Officiales noſtros, exire compellantur: & deinceps hi & alii in eiſdem nullatenus foveantur.

De Apoſtatis à Regno Poloniæ pellendis.

§ Item quòd nullus Mercator, ſeu alius homo cujuſcunq; conditionis exiſtat, aut bona ipſius propter delictum ſeu debitum alterius arreſtetur, vel turbetur, nec etiam captivetur.

De non arreſtandis Mercatoribus ratione culpæ alienæ.

§ Item ſi vectores & aurigæ bona ſeu merces Mercatorum pro pretio ducentes, telonea ſeu loca datiarum præteriêrint, ipſi duntaxat in rebus & equis ſuis propriis puniantur: & quòd præterea, bona Mercatorum, non debent occupari nec detineri

De pœna vectorum, teloneæ non ſolvendi.

§ Item ſylva Babsko circa Fredelanth in diſtrictu Naklen. impignorata Ordini, pro certa ſumma redimi poterit, per impignorantem vel per Regnum, ſoluta ſumma Ordini, pro qua extat obligata, & in Literis deſuper confectis continetur.

De ſilva Babsko redimenda per Regnũ vel impignorantem.

§ Item datio ſive exactio dicta Funthomczol, ſuper qua priſcis temporibus & hactenus, controverſia inter Magiſtrum & Ordinem ac Mercatores Terrarum Poloniæ, Magni Ducatûs Litvaniæ, & Ducatuum prædictorum vertebatur, & pendebat ex certis cauſis indeciſa, talem ponimus ordinem.

Exactio Funtomczol per Mercatores ſolvenda.

Quòd Mercatores Regni, Ducatûs Magni, & Ducatuum prædictorum, præter alia quæcunque gravamina & ſolutiones in poſterum imponendas, quibuſcunq; nominibus nuncupentur, reſpondeant Ordini de eadem duntaxat, ſi aliquando contigerit ipſos, cum bonis ſuis in navibus propriis navigare ultra mare.

** Si civitates maritimæ à teloneô liberæ ſint, Mercatores Regni Poloniæ, eadẽ libertate potiantur.*

§ * Ita tamen, quòd ſi Civitates maritimæ, libertatæ & abſolutæ viâ ſuis fuerint ab eadem, quòd Cives, Mercatores & indigenæ Regni & Terrarum Poloniæ, Litvaniæ, Mazoviæ, Ruſſiæ, à ſolutione hujuſmodi ſint ſimiliter liberi & excepti.

De reſtitutione percepcorum, Mercatoribus faciendo vel non

§ Et illa omnia, quæ ab eis à tempore, quo præſens pax perpetua eſt firmata, ratione hujuſmodi exactionis ſunt recepta, integraliter reſtituantur per Ordinem prædictum, Mercatoribus Regni, Ducatûs Magni, & Ducatuum prædictorũ, viceverſa, abſq; recuſatione & renitentia: qualicunque interruptione, conſvetudine, præſcriptione, & diuturnitate, non obſtantibus. Si verò per concordiam extincta fuerit, ad reſtitutionem receptorum minimè

teneantur. Aliæ autem omnes & singulæ exactiones, quibuscunque vocitentur nominibus, à Mercatoribus Terrarum, Regno Poloniæ, Ducatui Magno Litvaniæ, & Ducatibus prædictis subjectarum, ut præfertur indigenis, in Terris Magistro & Ordini subjectis. § *d* Et specialiter exactio quædam dicta Lobegal & Fyrken nullatenus de cætero exigatur. § Nec nos Rex, Dux Magnus Litvaniæ, Duces Mazoviæ, & Stolpen. imponemus aliquod novum teloneum in gravamen & præjudicium duntaxat subditorum Ordinis prædicti, & si quod novum est impositum in Terris nostris & Ducatibus prædictis à tempore concordiæ circa locum Melno, factæ, omnino deponatur. Teloneis & depositis antiquis semper salvis. § Item cùm medietas navigii circa Torun supra dicti, cum medietate pecuniarum de ipso provenientium nobis, vigore priùs habitæ & præsentis concordiæ, in perpetuum hæredibus & successoribus nostris debeatur. § De collectore pecuniarum ex ipso, sic inter nos existit conventum, ordinatum, & concluſum: quòd is qui per nos & successores nostros ad ea fuerit deputatus conveniat cum Cõmendatore Torunen. pro tempore existenti: Vnô annô in Oppido Torun, & alio in Nieszowa: & sic semper vicibus alternatis collectorem hujusmodi singulis annis simul constituant. § Qui sub præstito juramento, pecunias quas collegerit, diebus Dominicis in manus utriusq; præsentet, æquali portione dividendas: solutis pretiis famulorum & reparatione navium de communi. Et si alteri parti ille collector pecuniarum non placuerit: annô elapsô tam Capitaneus sive ad ea deputatus, quàm commendator, convenientes ùt supra, alium eligant quoties fuerit opportunum. § Servitia verò per famulos navigii prædicti, quæ Szarwerk appellantur, fieri consveta partibus prædictis, similiter alternatis septimanis & paribus vicibus impendantur: & tunc pars quælibet in sua septimana ipsis provideat de expensis: modô & formâ sicut hactenus est eis provisum. § * Item si aliqui de Terris Regni nostri, Ducatûs Magni, & Ducatuum prædictorum, subditis ordinis, injuriam intulerit, & super eo Capitaneus vel alius Officialis noster requisitus, justitiam non fecerit: extunc pro negligentia hujusmodi, ab Officio est deponendus: nisi de innocentia sua, juramentô propriô & corporali se expurgaverit. §† Similiter ex alia parte, si Commendator vel Officialis Ordinis prænominati, in reddenda justitia in præmissis negligens fuerit, pari modô destituatur: Et nihilominus successor, justitiam teneatur facere expeditam requirenti. § * Si verò is, qui pro justitia ratione delicti, vel aliàs requirit, simplex fuerit terrigena, & justitiam facere recusaret aut negligeret: extunc damna, justitiam requirenti, per Capitaneum seu Commendatorem de bonis terrigenæ prædicti, compensentur & solvantur: nisi simili se purgaverit juramentô. § *a* Item si peraliquem subditum, indigenam vel advenam alicujus nostrum, casu & eventu, Inscriptioni seu paci hujusmodi perpetuæ fuerit in aliquo derogatum & contraventum, (ut pote rapinæ, spolia, incendia, vastationes, prædæ, vel homicidia, aut aliqua maleficiorum genera, in dominiis &

Terris

d De exactione Lobegal & Fyrken non exigēda.

De Telonei novi in Regno Poloniæ non instituendo.

Telonea antiqua salva permaneant

De collectore ex utraque parte eligendo annuatim vicibus alternatis.

De solutione famulorum & navium reparatione communi pecuniâ.

De servitiis alternatim impendendis, & expensis providendis.

** Capitaneus super injustitia exequenda negligens Officio privandus, aliàs juramentô purgandus.*

† Cõmendator negligẽs, ab officio depanitur, substitutus justitiã facturus.

** Requisitus de justitia, ad damni solutionẽ cõpellendus.*

a Propter excessũ unius, pax perpetua non est infirmanda.

Terris nostris alterutris patrata fuerint & commissa) propterea pax prædicta cassari, irritari non debebit: sed in suo robore & firmitate permanebit. Nec propter hoc pars cujus subditus maleficium hujusmodi commiserit, censebitur fore dejerans seu perjurans. § Prædicti autem delinquentes & malefactores, pro ipsorum excessibus, per Capitaneos seu Officiales utriusq; nostrum, Judicialiter puniantur: & ad satisfactionem plenam & debitam arcebuntur & compellentur. § Item ut Capitanei, Palatini, Commendatores, Officiales seu Judices partis utriusq;, ad administrationem justitiæ fortiùs inducantur: & ne aliqua gravis displicentia inter nos, Regem, Ducem Magnum, & Duces prædictos ex una, Magistrum, Ordinem & Terras subjectas sibi prænominatis & subditos eorundem, parte ex altera, in posterum valeant exoriri singulis annis, Nos, Rex præfatus duos ex commendatoribus viros boni testimonii & conscientiæ in Festo Pentecostes, & similiter Magister & Ordo duos Palatinos, alios paris conditionis, in præfato festo, de Terris nostris prædictis eligant: & sibi quantò citiùs poterint hujusmodi electiones personarum scriptis insinuent. § Qui in festo Sancti Michaelis convenientes, unô annô in Nieszowa, aliô in Torun, & tactis sacrosanctis Evangeliis, favore, timore, & ex odio exclusis, de justitia faciendo punient Judices, ac Officiales in administratione justitiæ remissos & negligentes: & Jura municipalia loci delicti partibus læsis facient. Nihilominus justitiam congruentem, vel partes secundùm æquitatem, & bonam justitiam component: & omnia faciant, quæ pro conservatione hujusmodi juratæ pacis perpetuæ viderint expedire. § Pari modo inter Samogitiam & Prussiam unô annô in Veluna, & aliô in Regnyth: Inter Litvaniam & Livoniam uno anno in Huspole, & alio in Dymborg, aliàs in Nowina: Inter novam Marchiam & Maiorem Poloniam, in unô annô in Syrakuwo aliàs Czyrk, aliô in Dreszno: inter Terram Dobrinen. & Prussiam, unô annô in Rypin, & aliô in Brodnica: Inter Terras Mazoviæ Ducis Wladislai & Prussiam, unô annô in Dzoldow, & aliô in Mlawa: Inter Wysznam & Prussiam, unô annô in Wyszna, & aliô Iainusburg: Inter Terras Ducis Bolkonis & Prussiam, unô annô in Cyechanow, & aliô in Nidborg, per omnia volumus & decernimus observari. Inter Ducatum Stolpen. & Prussiam, unô annô in Stolp. & aliô annô in Rythaw. Inter novam Marchiam & Terram Stolpen. unô annô in Recz, & aliô in Rathyn: nisi Partes de aliis locis fuerint concordes. § Item, ne circa limites displicentiæ seu controversiæ, suscitari valeant: Volumus limites de quiennio, in quiennium, ubi opus fuerit innovare. § Item, liber sit transitus & via omnibus Mercatoribus, ac incolis terrarum & dominorum Ordinis cum suis mercantiis, frumentis cujuscunq; grani, & rebus quibuscunq; & cujuscunq; conditionis vel maneriei existant: sine impedimentô vel angariâ, per terras & maria, aquas & flumina, quocunq; ascendendo, in & ad Regnum Poloniæ, Terras Litvaniæ, Samogitiarum, Mazoviæ & Russiæ: & descendendo per ipsum Regnum, atq; Terras prædictas, ac per ipsa flumina seu a-

Delinquentes per Capitan. ad satisfaciendum compellendus.

Duo Commẽdatores & duo Palatini eligendi pro Judicibus & Officiis remissis puniendis.

Vno annô in Torun. alio in Nieszowa conventuris.

De limitibus de quiennio, in quiennium innovãdis

De libero transitu mercatorum per Terras & flumina.

quas usq; ad maria: & transmare in navibus parvis sive magris, varuis, sive oneratis in perpetuum, quomodocunq; & quotiescunq; voluerint, absq; alio arresto vel impedimento cujuscunq;. & specialiter oppidanorum in Thorun. Quas quidem merces, frumenta & res, ut prælocutum est, si præfati Mercatores seu incolæ Ordinis, ducentes, vendere aut stare in aliquo locorum seu Civitatum ad portum sive ripam prædictam aquarum, sive maris situatorum, seu situatarum voluerint, est & debet esse in ipsorum arbitrio & voluntate. Si verò vendere noluerint, possunt absq; omni impedimento ire seu ascendere vel descendere, quò eis placuerit, cum rebus prædictis, ut superiùs est expressum, Telone-

De damnis & iniuriis hinc inde sopiēdis & extinguendis.

is & antiquis depositis, prout supra, salvis. § Item omnia damna, injuriæ, displicentiæ, impensæ, & expensa Prælatorum, eorumq; Ecclesiis, & Capitulis, ac Abbatibus, Prioribus, Conventibus, Monasteriis, Personis Ecclesiasticis, Secularibus, & aliis quibuscunque per nos, subditos, coadjutores, & adhærentes nostros in Terris Prussiæ & extrà illata quomodolibet & facta, in omnibus guerris prætentis, & è contrà, per sæpe dictum Magistrum & Ordinem, ac exercitus ipsorum, Prælatis in Dominiis Regni nostri constitutis, sint sopita, ac de præsentium penitus & extincta: ita quòd prætextu eorundem, per Prælatos ipsos, aut eorum aliquem, suis aut Ecclesiarum, Capitulorum, Conventuum, sive Monasteriorum suorum nominibus, Magistro & Ordini prædicto, vel aliis supradictis, quæstio, causa, actio, vel impetitio de Jure vel de facto,

De solvendis novem millibus & quingentis florenis per Magistrum.

nullo unquam tempore moveatur. § Item Magister & Ordo prædicti, tenebuntur nobis, ratione concordiæ præsentis, dare & solvere novem millia florenorum cum quingentis Vngaricalibus, justi & boni ponderis, aut eorum valorem in moneta Pruthenicali bona, nova: medietatem in Dominica Lætare, & aliam medietatem in festo S. Martini Episcopi in Torun: proximè affuturis, pro rata cujuslibet solutionis, literas, quittantias tenebuntur assignare. § Item circa Judices, Judicia, mercantias

De consvetudine veteri per omnia observanda.

emendas, vel vendendas, & circa victualia comparanda: & telonea antiqua solvenda, rationabilis consvetudo, tempore bonæ memoriæ Witowdi Magni Ducis Litvaniæ tenta, in Litvania, Samogitia, & Russia inconcussè servetur: & quantùm fieri poterit, juxta ritum Catholicorum in melius reformetur. § Item ne circa hanc concordiam perpetuam

De sopienda contr oversia super demolitione domûs Episcopalis ante Gdansk.

aliquid in posterum relinquatur quod possit mentes & subditos partium prædictarum, tam Spirituales quàm Seculares, ad lites & odia quæcunque provocare in futurum: causam Ecclesiæ Wladislavien sis, & ipsius Episcopi, super demolitione domûs Episcopalis ante Oppidum Gdansk, in præteritis guerris per oppidanos Gedanenses attentatâ, quæ in Curia Romana, & Constantien. ac Basilien. Conciliis, per annos plurimos pendebat indecisa, duximus de consensu partium, & Venerabilis Capituli Wladislavien. per medium concordiæ sopiendam. Ita videlicet, quòd Magister & Ordo, pro oppidanis Gedanensibus Reveverendiss. in Christo Patri Domino Wladislao moderno Ecclesiæ Wladislavien sis Episcopo, mille ducentos florenos Vngaricales boni & Justi ponde-

ponderis, pro media parte hujusmodi summæ in festo Carnisprivii, & uno flamine Bruslien. boni operis in oppido Thorun, & pro alia media, in festo Sancti Michaelis ibidem proximè affuturo, ratione demolitionis domûs prædictæ, solvent, & expedient cum effectu: & absque excusatione aliquali. Dominus verò Episcopus prædictus & Capitulum ejus, eosdem oppidanos Gedanen. & Ordinem, ab impetitione sua debet dimittere absolutos, & causam hujusmodi extinguere: nunquam ipsis de cætero per se & successores suos intentandum. Quam ordinationem præfati, Dominus Episcopus & Oppidani, publicè & solenniter emologârunt. Solutione facta, Dominus Episcopus præfatus cum Capitulo suo, super qualibet solutione quitabit sufficientibus Literis, Magistrum, Ordinem, & oppidanos antè dictos. § Item Magister generalis & Ordo, omnem exactam & extremam diligentiam faciet: quòd Magister Almaniæ, infra unum annum, Majus suum Sigillum, huic concordiæ perpetuæ impendet, quodsi facere nollet, sed cum aliquo Domino Spirituali vel temporali ratione bonorum ab eodem Domino obtentorum, Regi, Regno Poloniæ, & Ducatibus præmissis, ac eorum subditis bella moveret: extunc Magister generalis, & Magister seu Præceptor Livoniæ, & fratres Ordinis per Prussiam & Livoniam, absq; dolo & fraude sub fide & honore præsliti juramenti, eidem Magistro Almaniæ, nec non illis dominiis, sub quibus consistunt, ac aliis quibuscunq; hominibus per se vel aliàs, publicè vel occultè, directè vel indirectè, cum gentibus armorum, pecuniis, armis, aut aliis auxiliis quibuscunq;, consilio vel favore, non debent neq; possunt subvenire aliquo excogitato ingenio vel colore, quodsi contrarium fecerint & id legitimis documentis probatum fuerit: quòd tunc subditi eorum ab omnibus omagiis, juramentis, & subjectionibus liberi & soluti esse debent in hoc casu, donec ad observationem pacis perpetuæ revertentur. § Item nos Wladislaus Rex prædictus, Oppidum Arnszwald alàs Choscezno, quòd exercitus Patris nostri, bonæ memoriæ Domini Wladislai acquisivit, & cujus possessionem hucusque habuimus pacificam, Magistro & Ordini infra hinc & Dominicam Lætare proximè venturam, cum curiis, Villis, & aliis omnibus cohærentiis ad prædictum Oppidum spectantibus restituere tenebimur & debemus. Nobiles insuper de Novavedel & Felkenburg, cum Oppidis, Castris, & omnibus bonis suis in nova Marchia consistentibus, qui patri nostro prædicto, fidelitatem & omagium exrcitu nostro in nova Marchia, existente, præstiterant: ad Magistrum & Ordinem, absoluti primò à nostris omagiis & Juramentis, ratione bonorum prædictorum duntaxat nobis factis, infra hinc & prædictum terminum dominicæ Lætare, revertantur. Qualitercunq; autem ipsi Nobiles & Oppidum Arnszwadl ad possessionem Magistri & Ordinis accesserit: sive de manibus nostris aut nostrorum sive etiam aliis modis quibuscunq; quòd per hoc, huic articulo satis facere censeamur. Proviso tamen quòd Magister & Ordo, eosdem favorabiliter & benignè recipiant & de vita ac bonis assecurent: quemadmodum de hujusmodi assecuratione per

De Sigilli maioris Magistri Alman, appēsione pro concordia firmanda.

De non ferēdis supperitits, per Magistrum & Ordinem aliàs subditi à Juramētis præstitis absoluuntur.

De Oppidi Arnszwald Magistro restitutione.

Magiſtrum & Ordinem in feſto Purificationis Mariæ proximo, debet eiſdem provideri, & in Caſtro *Raciaß* hujuſmodi Litera aſſecurationis præſentari. § Item Caſtrum Nieſzowa, cum diſtrictu & medietate navigii, ut ſuperiùs eſt expreſſum, Magiſter & Ordo infra hinc & Dominicam Lætare proximam, ad manus Reverendiſs. in Chriſto Patris Comini Wladislai Epiſcopi Wladislavien. nomine noſtro debent tradere, reſtituere, & aſſignare cum effectu. § Item ut hæc concordia cum tanta maturitate concepta, abundantiori cautela valeat abutraq; parte fortiùs & attentiùs cuſtodiri: Promittimus bona fide, attentè & fideliter in verbo noſtro Regio, abſq; dolo & fraude, corporali præſtito juramento, hujuſmodi concordiam in omnibus ſuis articulis, atq; punctis obſervare. § Et ut propenſiori vigilantia ipſius capitula attendantur, Decernimus formam Iuramenti ſub verbis & tenore infraſcriptis. § Ego N Iuro, quòd hanc concordiam obſervabo: nec contraveniam ei factô, auxiliô, conſiliô, vel favore: ſic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Chriſti Crux. Et quòd omnes Reges ſucceſſores noſtri & hæredes, infra annum Coronationis ſuæ, ſeu ſuſcepti regiminis: ſimiliter Dux Magnus Litvaniæ modernus, ad requiſitionem alterius partis per Nuntios ſpeciale mandatum habentes, hujuſmodi pacem perpetuam Iuramentis firmare & ſtabilire teneantur. Quodq; de decennio in decennium, per Prælatos, Duces, Palatinos, Commendatores, Terrigenas atq; Cives, tam noſtrarum quàm Ordinis partium, & priùs non jura tos, debet novis Iuramentis ſolidari. § Item ut pars contra partem metu animadverſionis præſentis ad bella & prælia non conſurgat: Statuimus decernentes: Quòd noſtri Prælati, Milites, Cives, & tota communitas debeant teneantur Terrarum Magiſtri, & Ordinis Prælatis, Nobilibus, Militibus, Civibus, & toti communitati dare certas noſtras Literas, & pares ſive reverſales ab ipſis ſub eadem forma recipere: quas tam nos, quàm præfatus Magiſter, & Ordo utriuſque ſubditis noſtris, dare promittimus & debemus.

De Caſtri Nieſzowa cũ Diſtrictis reſtitutione.

Forma Iuramenti ſuper cõcordia facta præſtãdi.

De Literis per Nobiles & Cives hinc inde dandis.

Forma Literarum reverſalium hinc inde dãdarum.

§ Ipſiſq; ſubditi noſtri ſubditos Magiſtri & Ordinis, & è converſo ſubditi Ordinis, ſubditis Regni noſtri, dare & præſentare tenebuntur in Dominica Lætare proximè ventura, ſub his vel ſimilibus verbis. Quodſi nos vel ſucceſſores noſtri, ſtante hujuſmodi pace perpetua, Magiſtro & Terris Ordinis, vellemus aut conaremur hujuſmodi guerras, aut bella movere: non debent nobis ſubditi noſtri conſentire: nec in hoc obedire aut parere: quinimo erunt ab omnibus noſtris omagiis, Iuramentis, & ſubjectionibus liberi & ſoluti: donec in hoc caſu, Nos & ſucceſſores noſtri, ad obſervantiã pacis perpetuæ revertemur. § Item omnes violationes Treugarum, ac pacis, fœderum, ſtipulationum, contractuum, ſi quæ inter partes prædictas, in guerris præteritis accidiſſent, vigore præſentis concordiæ annullamus, & caſſamus. In cujus rei teſtimonium Sigillũ noſtrum, quo ad præſens utimur, cum infraſcriptorum Illuſtrium ac Præclarorum Dominorum, fratrum noſtrorum chariſſimorum Ducum, Baronumque, Militum, Procerum, & Ciuitatum Sigillis præſentibus ſunt

Omnes violationes Treugarum, & inter partes prius factæ, caſſantur.

appenſa

appenſa, videlicet Sigiſmundi, Magni Ducis Litvaniæ prædicti, Semoviti, Kazimiri, Wladislai, Boleslai, Mazoviæ, Boguslai, Stolpen. Michaelis præfati Domini Sigiſmundi, Magni Ducis Litvaniæ nati, Ducum: Necnon Reverendiſſimorum ac Reverendorum in Chriſto Patrum Dominorum, Alberti ſanctæ Gneſnenſis Eccleſiæ Primatis, & Ioannis Leopolienſis Archiepiſcoporum: Sbignei Cracovienſis, Stanislai Poſnanienſis, Wladislai Wladislavienſis, Stanislai Plocenſis, Matthiæ Vilnenſis, Ioannis Chelmenſis, Pauli Kamenecenſis, & Andreæ Wladzimir. Epiſcoporum: Andreæ Wladzimirowic, Chebdoglowic, Iorgii Siemionowic, Ruſſiæ Ducum: & Magnificorum Nicolai de Michalow Cracovienſi, Caſtellani, Sandivogii de Oſtrorog Poſnanienſi, Petri de Pieskowa skała Cracovienſi, Ioannis de Czyzow Sandomirienſi, Martini de Kalinova Siradienſi, Ioannis de Lichin Brzeſtenſi, Iarandi de Brudzewo Iuniwladislavienſi, Oſtyk Caſtellani Wilnenſi, Dolgerth Wilnenſi, Luluſch Trocenſi, Ioannis Manzyk de Dabrowa Leopolienſi, Petri Odrowaz Podoliæ, Stanislai Grod de Srzeńsko Plocenſi, Ioannis Glowacz de Lauzenice Czyrnenſi, Pauli de Radzimow Belzenſi, Palatinorum: Martini de Slamko Poſnanienſi, Dobeslai de Syenno Sandomirienſi, Petri de Zerniki Caliſſienſi, Laurentii Zareba Siradienſi, Petri de Bnino Gneſnenſi, Alberti Malski Lancicienſi, Floriani de Korytnica Viſlicienſi, Domarath de Kobelany Lublinenſi, Nicolai de Worzunowo Brzeſtenſi, Chriſtini de Kozieglowy Sandecenſi, Ioannis Tanczyn Woynicenſi, Przedborii de Koniecpole Roſpierienſi, Nicolai de Wrzbicko Dobrinenſi, Ioannis de Babice Radomienſi, Barthoſii de Goſtyn Naklenſi, Martini de Vyrzyska Iuniwladislavienſi, Clementis de Strzelce Biecenſi, Vincentii de Szamotuly Miedzyrzecenſi, Dobrogoſtii de Kolno Camenen. Przedpelkonis de Kopydlowo Landenſi, Dzik Przybislai Zarnovienſi, Varſy de Oſtrow Zavichoſtenſi, Pauli de Biskupice Malogoſtenſi, Alberti de Pakoſzcz Srzemenſi, Matthiæ Brzezinenſi, Ioannis de Kalinowa Sandecenſi, Petri de Chelmpo Lanecenſi, Nicolai de Lubſtow Kruſzvicienſi, Stanislai de Skarſzewo Biechovienſi, Iacobi Przekora Czechovienſi, Przybyslai Kovalenſi, Nicolai Kielbaſa Pydgoſtienſi, Iakuſii de Strzygi Ripinenſi, Paskonis de Goslawice Konarienſi, Ioannis de Wlonowo Rogoznenſi, Hrickonis Kyerdeiowic Leopolienſi, Nicolai de Wiſnice Præmislienſi, Petri de Smolice Sanocenſi, Michaelis de Buczacz Halicienſi, Ioannis de Oleſznic Mareſchalci: Andreæ de Lubino Theſaurarii Regni Poloniæ. Andreæ de Czechowice Plocenſi, Vigandi de Oskolonga Cyrnenſi, Dobrogoſtii de Nowydwor Warſſavienſi, Pauli de Leſno Sochaczovienſi, Adæ de Rythlo Goſtinenſi, Markuſii de Popyen Ravenſi, Nicolai Maldrzyk de Starogrod Belzenſi, Caſtellanorum: Petri de Pieſzkowaskala Cracovienſi, Petri Kordybog Poſnanienſi, Andreæ de Zelechow Sandomirienſi, Dobrogoſtii de Szamotuły Caliſſienſi, Clementis Szeliga de Ianowice Siradienſi, Stanislai Bielawski Lancicienſi, Andreæ Dunin Brzeſtenſi, Stanislai Iuniwladislavienſi, Volckonis Rokatowicz Leopolienſi, Sandkonis de Sennow Præmislienſi, Czu-

rylonis de Stoiańce Halicienſi, Ianuſſi Kerkeiowic Kamenecenſi, Nicolai Grzymalca Sanocenſi, Stanislai Kanymir Chelmenſi, Petri de Kampa Plocenſi, Andreæ de Radzieiowice Sochaczowienſi, Nicolai de Brzozow Goſtinenſi, Ioannis Tabaſz de Zaluski Ravenſi, Succamerariorum: Marciſii de Wrocimowice Cracovienſi, Theodorici de Miedzichod Poſnanienſi, Stanislai Slanka de Lapſowo Sandomirienſi, Nicolai de Pleſzewo Caliſſienſi, Zegothæ de Monkowo Siradienſi, Petri de Oporowo Lancicienſi, Vaſzkonis de Sluzewo Brzeſtenſi, Nicolai de Koſcielec Iuniwladislavienſi, Derslai de Wyſokie Lublinenſi, Georgii de Laſſodki Dobrinenſi. Ioannis de Winnica Leopolienſi, Iacobi de Zakowice Halicienſi, Andreæ Wyzga Plocenſi, Ioannis de Reglewice Czyrnenſi, Ioannis Rogala de Wangrzynowo Viſſegrodenſi, Derslai de Podo ye Zakrocinen. Vexilliferorum: Pauli de Bogumilowice Cracovienſi, Abrahæ de Zbaſzyn Poſnanienſi, Ioannis de Sprowa Sandomirien, Troiani de Lekna Caliſſienſi, Petri de VVidawa Siradienſi, Adæ de Thur Lancicienſi, Andreæ de Lubrancz Breſtenſi, Matthiæ Figa de Oleſznica Iuniwladislavienſi, Alexii de Plonniki Dobrinenſi, Ioannis Kielczowic Lublinenſi, Stanislai de Dawidowo Leopolienſi, Petri de Grochowiec Præmislienſi, Ioannis Kolà Halicienſi, Stanislai de Strzegowo Plocenſi, Alberti de Chebdzino Czyrnenſi, Zylani de VVinnica VViſſogrodenſi, Zemak de Smogorzewo Ciechanovienſi, Saſſyni de Szczawino Goſtinenſi, Iacobi de Glowno Ravenſi, Saſſyni de VVirzyska Belzenſi, Iudicum: Ioannis Farurey Cracovienſi, Bieniakonis de Bandlewo Poſnanienſi, Ioannis Powale Sandomirienſi, Sigiſmundi de Margonino Caliſſienſi, Stephani de Oporow Lancicienſi, Criſtini de Koſzcol Brzeſtenſi, Ioannis Boybuski Iuniwladislavien. Demetrii de Chodorow Leopolien, Mſzykrowski Præmislienſi, Dapiferorum: Ianuſſii de Kobelany Cracovienſi, Samborii de Malochowo Poſnanienſi, Petri de Krzyzanowice Sandomirien. Thomkonis de Mirza Siradien. VVoienski Brzeſten. Kaczkowski Iuniwladislavien, Nicolai de Felſten Leopolienſi, Venatorum: Iacobi Klicze Pincernæ Siradien. Skora Poſnanien, Bogoſſii de Kruſzow Caliſſien, Andreæ de Brzezie, Brzeſtenſi, Ioannis de Zimnawoda Leopolienſi, Subjudicum: Nicolai de Brzeſſe Cracovienſi, Raphaelis de Goluthowo Poſnanienſi, Iacobi de Baranow Sandomirienſi, Stanislai de Oſtroróg Caliſſienſi, Nicolai Koluczski, Iuniwladislavienſi, Clementis de Banczyce Lancicienſi, Nicolai de Szarlei Breſtenſi, Subdapiferorum: Iacobi Lublinenſi, Kielcz Siradienſi, Ioannis de Laſſodki Dobrinenſi, Iacobi de Malyce Leopolien. Tribunorum: Stanislai Liganzyc, Spytkonis de Melſztyn, Petri de Kurow, Nicolai de Krolikowo, Przedpelcy Moſſczyc de Kozmin, Milai de Miloslaw, Ianuſii de Tuliſzkowo, Nicolai de Grandi, Petri de Zawadi, Mſzczuy de Barczew, Iakuſſii de Vroniawy, Ioannis de Zychlino, Nicolai de Sleſzyno, Vincentii de Pniewa, Tomkonis de Sobotha, Thluk de Striikow, Raphaelis de Tarnow, Ioannis de Pilca, Skarpkonis de Gora, Nicolai de Michow, Nobilium & Procerum Cracovien. Poſnanien. Caliſſien. Leopolien. Plocen. Varſavien. Stolpen. & Stargar-

den.

den. Civitatum. Poſtquam autem Deo favente annos diſcretionis attigerimus, Promittimus & ſpondemus, Iuramentum præſtare & appendere ſeu appendi facere præſentibus: Sigillum noſtræ Majeſtatis. Actum in Brzeſcie, VVladislavienſis Diœceſis, Sabbatho in Vigilia Circumciſionis Domini. Anno ejuſdem 1436. Datum per manus Magnifici & Venerabilis Ioannis de Koniecpole Cancellarii, & Vincentii Roth Cuſtodis Gneſnenſis, Cantoris Cracovien, Regni Poloniæ Vicecancellarii, ſincerè nobis dilectorum.

Magiſter Pruſſiæ promittit pacem ſervare, cum Regno Poloniæ perpetuam.

NOs frater Paulus de Kuſzdorff Ordinis Beatæ Mariæ domus Teutonicorum Ieroſolymitan. Magiſter generalis. Significamus tenore præſentium quibus expedit univerſis: Quia nunquam nos, nec ſucceſſores noſtri Sereniſſimo Principi & Domino Domino VVladislao Regi, aut Regno ſuo Poloniæ guertas movebimus, aut bella: ſed pacem perpetuam & concordiam inter prædictum Dominum Regem, Regnũ, & adhærentes ſuos ab una: Nos Ordinem & adhærentes noſtros ab altera partibus, de Anno Domini 1436. in Vigilia Circumciſionis Domini in Civitate Brzyſk conceptam & firmatam, cuſtodiemus & ſervabimus inconcuſsè, in omnibus ſuis articulis atq; punctis. Promittentes: quòd ſi Nos vel ſucceſſores noſtri, ſtante hujuſmodi pace perpetua, ſupra dicto Domino Regi, aut Regno Poloniæ vellemus aut conaremur hujuſmodi guerras, aut bella movere, non debent nobis ſubditi noſtri conſentire, nec in hoc obedire aut parere: quinimo erunt ab omnibus noſtris omagiis, juramentis, & ſubjectionibus liberi & ſoluti: donec in hoc caſu nos & ſucceſſores noſtri, ad obſervationem pacis perpetuæ revertemur: quos in hujuſmodi caſu abſolvimus ab omnibus omagiis, promiſſionibus, & juramentis nobis factis, ut præfertur ipsô factô per præſentes. In cujus rei teſtimonium & fidem firmiorem, Sigilli noſtri appenſione præſentes fecimus communiri. Datum in Caſtro noſtro Marienburg, ipsâ die Dominicâ Lætare. Anno Domini 1435.

Erunt liberi ſubditi Ordinis ab omnibus omagiis, Iuramentis, & ſubiectionibus ſi Magiſter pacem perpetuam non ſervaverit.

QVERCVS.

De Quercu excisa, aut lignis communibus.

QVidam de ipſorum audacia multum præſumentes, intrantes Sylvam vel Gaium alicujus, præter Domini voluntatem, quercus & ligna excidunt meliora, nullam pœnam ex hoc ſequi prætendentes: ideo Statuimus: Vt ſi quis inciderit quercum, in bonis alterius, domino invito, ad axem valentem, vel de minoribus quercubus, vel aliis lignis currum impleverit: pœnam quæ dicitur *Piatnadzieſta*, illi ſolvat: in cujus dominio ſunt inciſa. Statuimus etiam: quòd pro qualibet arbore fructifera, ſeu pomifera exci-

Kazim. Magnus Viſlic. Folio 26.

la, duodecim Grossi duntaxat passo damnum, cum pœnâ *Piatnadzieśta*, exolvantur.

Ne in alicujus Sylvis, ligna quis secet, præsertim quercus.

Kaz [Mag. Vislic. Fol. 34] STatuimus etiam: Quòd quicunq; habens limites cum aliquo, vel terminos transgrediendo, ligna vel utensibilia, in alicuius sylva vel gaio inciderit: is cujus sylva fuerit, incidentem prius in securi, secundò in palliô vel tunicâ, tertio in bobus vel equis, seu in unô equô, impignerare poterit: sine pœnâ, sed si impigneraverit in duobus bobus vel equis: unum pro se obtinebit: & alium bovem, vel equum, super fidejussoriam Cautionem dimittat: & signū in arbore, ubi impignoravit, facere & incidere teneatur. Si verò quis in Gaio alterius, furtivè unam vel duas quercus inciderit: pro qualibet quercu, sex scotos: si verò tres inciderit: tres Fertones illi, in cujus gaio hoc fecit, cum tribus Marcis pro pœnâ, & Iudicio alias tres Marcas, solvere teneatur. Et si tantùm propagines, vel plantas minutas exciderit: quatuor scotos ipsum incidentem, solvere oportebit & idem volumus esse tenendum de quercubus sylvarum: seu in sylvis aquaticis, circa quaslibet aquas. De quercubus verò Mericarum, vulgariter *Dambrowa*, duos scotos quilibet ipsam incidens persolvat. Si autem propagines, aut ramos inciderit: solummodo pignora ab eo recipiantur. Si quis autem arborem cum apibus succiderit: passo damnum Marcam, & Iudicio alteram: Qui verò sine apibus, tamen ad apes aptatam arborem succiderit: passo damnum Marcam mediam, & Iudicio pariter mediam, convictus exolvat.

QVERELARVM TERMINI.

Capitaneus pro expulsione è dotalitio, & pro recenti crimine, tantummodo per modum querelæ judicet: & quod tempus recentis criminis annus sit, & sex dierum hebdomadæ.

Alexand. in Radom 1505 Folio 116. QVerebantur subditi nostri Maioris Poloniæ, præsertim de Capitaneatu Posnanensi, Citationibus Capitanei se vehementer gravari: quamobrem decernimus: Quòd Capitaneus citare non debet ad querelam: nisi pro expulsione dominæ dotalitialis, & pro recenti crimine. Tempus autem recentis criminis sit annus, & sex hebdomadæ.

De eisdem literis, per Capitaneos, in tribus casibus ad Querelam dandis.

Confretudo Terræ Crac. Fol. 121. PRimò, cum aliquis dominam, dotem habentem, repellit ex reformatione: secundò, cùm frater fratri divisionem consentire non vult: Tertio, cùm aliquis aliquem expellit, ex pacifica tenuta.

Sed de dominabus dotalitionatis, & de aliis personis ex possessione bonorum pacifica violenter expulsis, hæc Lex intelligi debet.

Præterea

PRæterea Statutum, de Citationibus Capitaneorum ad Querelam, volumus intelligi, de dominabus dotalitionatis: ut pro ipsarum, & aliarum personarum, de pacificis possessionibus expulsione violenta, liceat Capitaneo Citationem dare. Reliquum ejusdem Capituli approbamus. *Sigis. Crac. 1507. Fol. 2.*

Termini ad Querelam Castrensem non transponantur: Sed in duabus septimanis judicentur.

TErmini ad Querelam, vigore Mandati facti, non transponantur simul cum aliis terminis: sed semper in duabus septimanis judicentur: & non habeant Dilationes, nisi unam: hoc est, nisi in secundo Termino, tanquam peremptorio, judicari possunt. Hæc tamen Constitutio moderabitur, & concordabitur, per Commissarios supradictos, in omnibus terris deinceps observanda. *Sigis. 1519. Folio 22.*

§ Termini Querelarum non transponantur. Vide in Tit: TERMINI.

§ Formam Citationis ad Querelam: Vide in Titulo: CITATIO.

RAPTOR VIRGINVM VEL VIDVARVM.

Raptor sit infamis, rapta verò si consentiat dotem perdat.



ITem de raptoribus virginum & fœminarum, ita volumus esse observandum: Vt talis raptor virginis, si Iure convictus fuerit, secundùm antiquiora Statuta, honore: & fœmina rapi se consentiens, bonis omnibus hæreditariis, & quibuscunq; aliis ipsam concernentibus rebus, Doteq; perpetuâ, priventur perpetuis temporibus. *Ioan. Albert. Folio 107.*

Eadem Lex interpretatur.

AD submovendam dubitationem, quæ circa Statutum, De raptu virginum & fœminarum conditum, oriri sæpè solet, Visum est nobis & Senatui nostro, per præsens Decretum illius intelligentiam ita declarare: Vt cùm raptor virginis, aut mulieris, viduæ, seu conjugatæ, ad præsentiam nostram, pro raptu commisso citatus fuerit: tum demum secundùm antiquiora Statuta, Iure esse convictus in privatione honoris intelligatur: cùm virgo, aut mulier, vidua, seu conjugata, in præsentia nostra constituta, confessa sibi fuerit per raptorem citatum vim fuisse illatam: & se contra ejus voluntatem, & consensum, per illum esse raptam. Per hanc enim raptæ virginis, vel mulieris, viduæ, seu conjugatæ, confessionem: raptor citatus, ad extendendam contra se pœnam privationis honoris, censeatur esse sufficienter Iure convictus. Alioquin, rapta virgine vel muliere, vidua, seu conjugata, per expressum in præsentia nostra confitente & affirmante, se non per vim citati esse raptam: *Sigis. Crac. 1532. A 4*

ptam: ſed voluntate, & conſenſu ſuô propriô, ùndecunq; abductam. Citatus de raptu, à pœnâ Statuti honoris privationis, liber eſſe cenſeatur. Virgo verò ſeu mulier, vidua, aut conjugata, (ad quarum omnium perſonas, & nomina, legem hanc diu ſtatutam & obſervatam, pertinere & extendi volumus, ac declaramus) poſt factam hujuſmodi voluntatis & conſenſus ſui confeſſionem, bonis omnibus hæreditariis, & quibuſvis aliis eam concernentibus bonis & rebus, doteq; ſibi debita, perpetuis temporibus privabuntur.

RECOGNITIO.

Iudices, quid in recognoſcente videre debeant.

Sigiſ. Petr. 1523. Fol. 44 NOtandum, quòd Iudicio præſidentes debent diligenter intendere, & conſiderare perſonam, recognoſcentem aliquam Inſcriptionem: ſi videlicet habeat debitam ætatem, aut diſcretionem bonam, quòd ſi aliter: non ſuſcipiatur Inſcriptio. Etiam debent conſiderare, ſi eſt ſanus corpore: tunc poteſt ſcribi, ſanus mente & corpore, ſed ſi æger corpore exiſtat, compos tamen rationis: prout eſt in re ſcribatur, ita videlicet, æger & languens corpore: tamen ſanus mente, & compos rationis.

§ Tantùm Rex mittet ad ægrotos. Vide in Titulo: ÆGER.

REFERENDARII.

Referendarii Iudiciis ſe non immiſceant: ſed tantum circa Regem cauſas audiant.

Sigiſ. Petr. 1538 B 3 REferendarii noſtri querelis tantummodo, & non Iudiciis, ſecundùm Statuta Regni, intendere debebunt: neq; ſe deinceps Iudiciis Secularibus immiſcere poterint, præterquam in præſentia noſtra: quando ipſi cauſis cognoſcendis interfuerimus perſonaliter. Nobiſcum enim aſſidere, & conſilia dare poterint, quos etiam, juxta Statutorum tenorem, ſemper ſumus deſignaturi, vocatione occurrente. Iudices autem & Subjudices terrarum, cauſas audient: & judicabunt, in Curiâ noſtrâ, juxta Statutum Kazimiri Regis.

In Curiâ Regiâ, duo ſunt Iuriſperiti: alter Spiritualis, alter Secularis: qui querelas, ac preces ſupplicum audiant, Officialibuſq; Cancellariæ referant.

Sigiſ. Crac. 1507. Fol. 5. PRo clariori adminiſtratione Iuſtitiæ, & expeditione querentium, Statuimus: Quòd duo ſint Iuriſperiti, unus Spiritualis, alter Secularis, ſecuturi ſemper Curiam noſtram, per Nos eligendi. Qui jurati audiant querentes: referantq; fideliter Officialibus Cancellariæ Regni noſtri: qui deinde, de noſtro & ſucceſſorum noſtrorum mandato, expeditionem facient: ſecundùm quod Ius & Iuſtitia ſuadebit, ac ipſorum querentium neceſſitas expoſcet. Sedeant autem audientes querelas, peracta Miſſa noſtra, ad horam prandii: & poſt pradium uſq; ad tempus cœnæ, ut liberiùs conſiliis, & aliis actionibus noſtris, intendere valeamus. Cauſæ tamen Iudiciariæ Iudici, juxta Statutum committantur.

Referen-

Referendarij quoq; cauſas Teutonicales audiant: quas cum Cancellariis Regi deferent.

QVia in Iudiciis Teutonicalibus, multas cauſas Nobilitas habere ſolet, cùm ergo tales cauſæ obvenient: tum eas cum Conſiliariis, qui circa Nos tunc præſentes fuerint, judicabimus atq; abſolvemus. Cancellariæ verò Officiales, cum Referendariis audient eaſdem: & partibus præſentibus, nobis referent. Sigiſ. Aug. Petr. 1550.

De eodem.

IVxta Statutum Anni 1538. Referendarii noſtri debent ſeſe conſervare. Ibidem.

REFORMATIO.

Bona Dotalitia uxoris, à Perlucris libera ſint.

SI verò quis in aliquo alio, bona quæcunq; Iuris decreto fuerit aſſecutus. in quibus ſcilicet bonis, uxor ejuſdem victi habuit Reformationem ſuam dotalitialem: talem Reformationem volumus illæſam permanere. Et talis convictus, pro golotha debebit reputari, Iure Golotharum deinceps conveniendus: caſu, quo exequutioni rei judicatæ contraveniret. Sigiſ. Petr. 1523. Fol 38

RELATIO MINISTERIALIS.

Relatio Miniſterialis ex alio diſtrictu, pro perſonali recognitione valet.

SI alicui neceſſe fuerit Miniſterialem producere, ex alia terra, in aliam terram: & non poterit educere ipſum Miniſterialem: tunc illum debet ducere ad Iudicium Caſtrenſe illius diſtrictus, ubi eſt Miniſterialis: ibidemq; idem Miniſterialis debet facere recognitionem, & ille, cui debet recognitio eſſe, literas accipiat, à Iudiciô illô, ubi fit recognitio: ad aliud Iudicium, ad quod ducendus erat Miniſterialis. Quæ literæ ſint ſub Sigillo Iudicii illius, vel Capitanei, ubi recognovit: & tandem talibus literis credendum erit: perinde ac ſi ipſemet Miniſterialis perſonaliter ſtetiſſet, & recognoviſſet. Conſvetudo Cracoviæ. Folio 123.

§ SIMILIS. Relatio Miniſterialis, coram quibuſcunq; Actorum libris, de poſitione Citationis facta, volumus ut tantum valeat: quantum perſonalis recognitio ejuſdem Miniſterialis, valere debet: niſi quod recognoſcat in eiſdem Actis, tempus, & locum poſitæ Citationis: & cui eandem Citationem publicavit, in bonis: & cum quibus Nobilibus, aut Nobili, hoc fecerit: juxta Statutum, Sigiſ. Crac. 1543.

RENVNTIATIO.

De abrenuntiatione proprii diſtrictûs.

ITem, ſi quis renuntiabit terræ, & proprio diſtrictui: debet reſpondere ibi, ubi renuntiando ſe inſcripſit, & cùm ſuper tali res obtinebitur judicata Conſvetudo terræ Crac. Fol. 123

judicata, aliàs perlucrabitur: idem qui Ius perduxit, equitabit ad Capitaneum illum: sub quo manet victus. Capitaneus tamen ille executionem facturus sit rei judicatæ, aliàs illorum perlucrorum, in alio districtu Iure obtentorum.

RESTITVTIO IN BONA.

Quomodo pulsi nunc restituantur in bona.

Sigis. Crac. 1543. QVia negotium, de violentâ expulsione de bonis, inter homines vehementer motum est: & increbruit adeò: ut iniquus justum, nocens innocentem, reum peragat: bonisq; depellendo citet, in spem probationis: quæ ex consvetudine Iuris, bonis expulso servit: ut bona ejus intercipiat: tametsi fortassis nunquam in possessione eorundem bonorum fuit: nec Literas ullas, seu Privilegium, super eadem acquisivit: Quocirca nos hujusmodi licentiæ ire obviam, & eandem intercipere volentes, id illi remedii cum Senatoribus nostris, terrarum Legatis reperimus: Vt si, qui se expulsos, seu dejectos bonis affirmant, ad Officium Castrense, in quo ejusmodi bona sunt posita, in recenti, ad maximum infra mensem (facturi eo nomine Protestationem, si volent) confugiant: & pro expulsione dejectores citent Nihilominus Officium, ex controversia partium descendendo in illa bona scrutinium seu inquisitionem à vicinis, illis bonis adjacentibus: facere: & testimonium ab eis, sub onere conscientiæ, & bona fide Nobili, à Kmethonibus autem illorum bonorum. sub corporali Iuramento, inquirere debet, de hac expulsione si ita scilicet facta sit, nec ne: & quis ante hanc expulsionem, vel mensem, illorum bonorum possessor fuit: num videlicet expulsus, aut Citatus. Qui quidem Kmethones tenebuntur narrare: quis eorum illos tenebat, cui censum dabant, ante hoc tempus: quisve eisdem imperitabat, & juxta hanc testificationem in utramq; partem, Officium hujus negotii judicium, seu decisionem faciet. Præter pueros illos: quorum fortassis patrui, vel tutores, Iure Tutellæ usi, dum minorennes adhuc essent, illa ipsa eorum bona vendidissent, aut alienassent: contra eorũ Ius, & Iustitiam. Talibus enim pueris, postquam ad annos discretionis pervenerint, Officium tenebitur justitiam facere: tametsi non in recenti factô, ad hoc ipsum Officium confugerint, ne eô modô scilicet Tutores bona puerorum perdat: neve quis ab eisdem incerta bona emat. Quòd si Citatus reciperet se ad Munimenta: debet narrare ad qualia Munimenta se recipiat: unde, & ex quibus Actis producenda. Tunc enim non ulterior debet ei dari Dilatio: nisi ad Terminos proximos illorum Actorum, ad quæ se receperit. Quòd si aliud quidcunq; postea ostenderit: extunc causam suam amittere debet: indeq; Actor pro damnis, quæcunq; hac depulsione suâ Reus fecerit, ad Ius Terrestre, juxta Statutum remitti debet.

RESTIVM LITERÆ.

Restium Literæ bello promittendæ.

Sigism: Rydgost: 1520 Folio 225. STatuimus & ordinamus· Quòd dum bellum generale, juxta Statuta antiquiora, per nos & successores nostros indictum fuerit: ex tunc trinæ Literæ Restium, seorsim sive successivè mittantur: & in ultimis Literis Restium, nominabitur dies Conventionum particularium in districtibus Pro quo tempore Castellani districtuum, tenebuntur cum Nobilitate convenire: & constituere inter se unanimiter diem, & locum: in quo Nobiles districtuum, cum suis Castellanis ad locum generalis belli designatum procedant.

Sigis. Aug. 1550. § SIMILIS. Literæ Restium uno pro binis, nisi in Comitiis ita decretum fuerit, emitti non debent, sed alteræ post alteras, juxta Statutum.

REVS SEV CITATVS, ET IVRE VICTVS.

§ Vide in Titulo: PROCESSUS IURIS.

REX.

Dignitas Regia, injustitia profanatur.

Albert. Petric. 1496. Folio 96. ETenim dignitas Regia, per injustitiæ culpam profanatur.

Quales Cives Regni esse debent: inter quos Rex, pacem & justitiam tuetur.

Kaz. Crac. 1369 Fol. 53 CÙm Scriptura testante, omnis ætas ab adolescentia sit promptior ad malum: & omnis creatura consistat sub vitio: naturaq; humana facilius labitur ad delicta, sic etiam quò vitia imitetur. Quamvis enim Domino disponente, sibi subditi debeant fore, pudici, modesti, Iusti, ac pacifici: effrenata tamen cupiditas, nisi Iustitiæ conatus subverteret, tunc profectò concordia & pax inter homines deperiret. Summum autem bonum in hac vita est, Iustitiam colere: & unicuiq; quod suum est tribuere.

Rex dabit Literas ad Palatinos, & Capitaneos, aliosq; Officiales: ut sua ipsi exequantur Officia.

Sigis. Crac. 1532. Aug. IN petitione factâ, de exequendis officiis Palatinorum, Capitaneorum, & aliorum Officialium Terrestrium, etsi sciamus expressa esse super eo scripta Statuta: pœnasq; in illis, contra negligentes sua Officia esse adhibitas: nihilominus tamen, nuntiorum & Nobilitatis Regni nostri petitione satisfacientes, dabimus ea de re literas nostras, ad prædictos Palatinos, Capitaneos, & alios Dignitarios seu Officiales: quibus ad satisfaciendum debito suo, illos commonebimus.

Rex terras & quemlibet districtum ingrediens, justitiam cum Capitaneis faciet.

Kazim. in Nieszowá 1454. Fol. 93

ITem pollicemur: Quòd semper in adventu nostro, in terras quascunque nostras, in quolibet districtu, quem feliciter ingressi fuerimus, omnibus petentibus justitiam fieri cum Capitaneis nostris, ipsam expedire faciemus.

Rex Iura conservet: nemini bona recipiat, aut captivet, nisi Iure convictum.

Vidè Fol. 92

IN primis igitur pollicemur verbo nostro Regio, omnes Regni nostri incolas, in Iuribus quibusvis, ipsis à prædecessoribus nostris datis, integraliter conservare: nulliq; bona recipi mandabimus, aut captivari faciemus: nisi priùs fuerit Iure convictus.

Rex nulli, nisi Iure victo bona recipiet.

Ex Privileg. Wladislai Iagell. Folio 48.

ITem, ut gratia uberiori consolentur à nobis, etiam nos fide & servitiis amplioribus prosequantur, Promittimus: Quòd exnunc & de cætero, nunquam alicujus subditi Regni nostri, cujuscunq; dignitates, eminentiæ, status, aut gradus fuerit, bona hæreditaria accipiemus, confiscabimus, recipi & confiscari faciemus: nec se de eis per Nos, vel Officiales nostros, vel alios quoscunq; homines intromittemus, vel intromitti faciemus: pro quibuscunq; excessibus, aut culpis: nisi priùs super hoc præcedat Iudicium Nostrum, quos ad hoc deputaverimus, cum nostris Prælatis, Baronibus, matura cognitio & sententia sequatur.

Rex differentias, inter Spirituales & Seculares personas, cum Episcopis componit.

Bodzanta Episc. Crac. Folio 55.

CÙm excitata erant odia multa, & differentiæ inter Spirituales & Seculares personas Dominos Diœcesis Cracovienſis: tandem compacta erant congesta inter eos, in Conventione per Regem Kazimirum Magnum, & in Synodo per Bodzantam Episcopum Cracovienſem: pro uno tempore Cracoviæ, quartâ Mensis Iunii, Anno Domini 1369, habitis. Quibus intererat Iaroslaus, Gnesnensis Archiepiscopus, Boguria dictus: tunc ex causa illius differentiæ, authoritate Metropolitica & Primatiali visitans Diœcesim Cracovienſem. Sunt autem compacta infrascripta, super decimarum libertate, raptu tempore decimandi, forisandi, per Dominos locorum eas emendi, ex aratro percipiendi, novalium locatione, earum progressione &c. Columbationibus, visitatione Archidiaconorum, super expeditione ad bellum Clericorum Secularium, ad Ius Spirituale citandorum, fabrica Ecclesiæ, Decima canapi, super interdicto triduano & simplici, super cassatione à divinis, salariis Tabellionum: item de Ecclesiis in bonis Nobilium erigendis: ut infra sequitur.

De eodem.

Kaz. Mag. Petric. 1451 Folio 86.

KAzimirus &c. Significamus tenore præsentium, quibus expedit universis: Quomodo agentibus nobis hîc in Piotrkow, pro Repub-

Regni

Regni nostri Conventionem generalem, inter cæteras hujus Conventionis ordinationes, super differentia, quæ inter Prælatos & Barones terrarum totius Regni, unanimiter ordinatum est & conclusum: innitendo Ordinationibus, & Conclusionibus aliarum Conventionum etiam generalium, ab eis non recedendo.

De eodem.

Kazimirus in Nieszowa 1454. Folio 93.

ITem Promittimus: Quòd quàm citò, Deo dante, de Expeditione in terras nostras nos reverti contingat, omnes differentias, inter Spirituales & Seculares exortas, in Conventione generali sopiemus.

RVSSIÆ DVCATVS.

Russia uno Iure cum Regno Poloniæ gaudeat.

Ex Privileg. Wladisl. Iagell. in Iedlna. Fol. 52.

ITem Pollicemur: Quòd omnes terras nostras Regni Poloniæ, etiam terram Russiæ includendo, salvis tamen avenæ Contributionibus: de quibus nobis, ad tempora vitæ nostræ, sola Russia respondebit ad unum Ius, & ad unam Legem communem omnibus terris reducemus: reducimusq; adunamus, & unimus, tenore præsentium mediante.

Russia omnibus Regni libertatibus fruatur.

Sigis. Crac. 1507. Fol. 7

AD supplicationem terrarum Russiæ, Volumus & Decernimus: Ut de omnibus fugitivis, Statutum Regis Alberti observetur, & quod Nobilitas illarum terrarum, sicut in aliis terris Regni, à solutione Teloniorum, & Foralium, sit libera atq; exempta: in aliis eadem gaudeat libertate.

Tera Belzensis Regno ascribitur.

Kazim. Rex 1462.

IN Nomine Domini Amen, ad perpetuam rei memoriam. Quoniam Acta mundi avida subitò detergeret oblivio: nisi ea literarum soliditas, & testium adnotatio memoriæ commendaret æviternæ: Proinde nos Kazimirus, Dei gratiâ Rex Poloniæ, necnon terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ: Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæq;: necnon Culmensis, Elbingensis, Kinigszbergen. & Pomeraniæ, hæres & Dominus, Significamus tenore præsentium, quibus expedit universis & singulis, præsentibus & futuris harum notitiam habituris. Quomodo recensentes, & in animis revolventes, quanta puritatis affectione & fidei integræ constantia, Barones, Milites, Nobiles, Terrigenæ & Proceres terræ Belzensis, sincerè, gratè, & fideles nostri dilecti, personam & Regnum Majestatis nostræ venerati sunt: ad nos, tanquam dominum naturalem, hæredem verum & legitimum, ac indubitatum successorem suum, & ad Coronam Regni nostri Poloniæ à qua transactis temporibus exciderant, viceversa redierunt, & accesserunt: seq; Regno & Coronæ, tanquam pars suo toto invisceraverunt, universunt, incorporaverunt, & appropriaverunt. Quæ quidem terra Belzen. justô titulô, Iure legitimô, hæreditariô & succedaneô, nos & nul-

lum alium contingebat, atq; contingit & concernit. Horum itaq; terrigenarum Belzenſium fidelitatis, conſtantia, zelo dilectionis, maturitate conſilii, & ſagaci providentia, Regali conſideratione, meritò digeſtis & revolutis, ac debitè penſatis: & intuentes ad eorum ſtatum, honorem, commodum, ſalubremq; profectum: piô & ſincerô mentis affectu, (quemadmodum ex aſſumptæ dignitatis noſtræ debito tenemur, & pro Officio ſolicitè aſpirantes ipſos in noſtram & ſucceſſorum noſtrorum manutuitionem, & protectionem Regni & Coronæ reaſſumpſimus, incorporavimus, appropriavimus, & univimus: tenoreq; præſentium reaſſumimus, incorporamus, annectimus, appropriamus, & unimus, perpetuò & in ævum: promittentes ipſos, & eorum quemlibet, in omnibus ipſorum Iuribus, libertatibus, immunitatibus, gratiis, prærogativis, dignitatibus, honoribus, & Officiis, tenere & obſervare. In primis itaq; pro prædicta eorum fideli & juſta adhæſione, & ſubjectione, Iure defendere, agere, manutueri, & eos evincere, contra quamcunq; perſonam, cujuſcunq; dignitatis, Imperialis, Regalis, aut Ducalis fuerit, aut cujuſcunq; ſtatûs, conditionis, & præeminentiæ extiterit, (dum per quem piam vexarentur ſeu impeterentur quomodo, pro ipſorum hujuſmodi adhæſione) ſimiliter ab inſultibus, violentiis, bellis, & aliis moleſtiis quibuslibet, protegere, defenſare, tueri, & realiter ac effectivè opponere, intercedere, & liberare. *Rex nihil terra Belzen. alienet.* § Item terram noſtram Belzenſem, cum ipſius diſtrictibus, Lubaczovienſi, Lopaczovienſi, Schewlozienſi, Grabowniczenſi, & Hrodlienſi, ſalvam & integram, prout fuit & in hactenus eſt conſervata, ſuis limitibus, metis, & terminis: dudum tentis, obſervabimus: tenereq; & obſervare volumus: nullos diſtrictus aut villas ab eadem removentes, alienantes, ſeu diminuentes. Item omnibus perſonis, tam Eccleſiaſticis quàm Secularibus civitatum, & oppidani, Privilegia ipſorum, per anteceſſores noſtros Reges & Duces data & conceſſa, juſta, legitima, & ſufficientia, ritè, & rationabiliter emanata, ac in nulla ſui parte vitiata ſeu ſuſpecta, confirmamus, ratificamus, & approbamus per præſentes. Vbi verò aliquibus perſonis forent, per voraginem ignis abſumpta: ſeu caſu infortunii amiſſa: & de hoc per ſufficiens teſtimonium probatum fuerit: præmiſſa innovare, atq; dare volumus, & ſpondemus. Item ex quo ex obligatione & inſcriptione pecuniarum, Capitaneis in aliqua terra inſcriptarum, ſæpius indigenæ ejuſdem terræ variis gravantur modis, oppreſſionibuſq;, & moleſtiis afficiuntur. *Terra Belzen. ne cuiquam obligetur.* Pollicemur: quòd præfatam terram Belzen. in pecuniis nulli piam obligabimus, aut inſcribemus, ullô unquam tempore. Quòd ſi per oblivionem, aut alium caſum quemcunque, nos inſcribere contigeret: talem Inſcriptionem præſentibus, exnunc prout extunc caſſamus, annullamus, ac nullius roboris eſſe & fieri, decernimus per præſentes. *Capitaneus Belzenſis ſit terrigena.* § Item nullum extraneum, cujuſcunq; conditionis exiſtat, in Capitaneum terræ Belzen. præficere, & præferre debebimus: niſi terrigenam ejuſdem terræ poſſeſſionatum. *Dignitates terræ Belzē. conſervãtur.* § Item volumus omnimode, dignitates, honores, officia, in terra Belzen. conſiſtentes & conſiſtentia,

æquo

æquo modo circa Iura & Conſvetudines ipſorum, quæ & quas temporibus prædeceſſorum noſtrorum Regum & etiam Ducum obtinebant, conſervare in eodem numero, & permanere. Quas quidem Dignitates & Officia, dum vacare contigerit: nulli extraneo, niſi indigenæ benè conſervato illius terræ, in qua Dignitas vel Officium vacaverit, dabimus & conferemus. § Item quòd nulli terrigenæ de Terr Belzen. & ipſius diſtrictibus, ad alias terras ſeu diſtrictus evocentur: ſed penitus juxta conſvetudinem aliarum terrarum Regni noſtri, Iuribus ipſorum & libertatibus utantur, & gaudeant. *Terra Belzē. ad alios diſtrictus non evocentur.* § Item Conventiones, Colloquia generalia, Termini particulares, & Iudicia juxta ritum & conſvetudinem in talibus diu dum tentam & obſervatam, in terra prædicta (quem ad modum in aliis terris Regni noſtri) debent habere progreſsũ & proceſſum. *Colloquia ſolitis temporibus celebrãtur.* § Item nullus terrigena poſſeſſionatus, per nos aut Capitaneos noſtros, Iure convictus captivetur, juxta Privilegia aliarum Regni noſtri terrarum, & conſvetudines. *Nullus terrigena niſi Iure convictus captivetur.* § Item omnes & ſingulæ Knethones, ſpiritualium & Secularium perſonarum in dicta terra conſiſtentium, de quolibet lano poſſeſſo, proteſto Sancti Martini, ſingulis annis exactionem, aliàs Podymne, per duos groſſos Monetæ & numeratam communiter in Regno currentis, Nobis & ſucceſſoribus noſtris dabunt: & exolvent: more terræ Leopolien. & aliarum Regni noſtri terrarum. *Tantùm duobus Gr ſſu Rex ex terra Belzenſi contentus erit* Alias autem Collectas, & exactiones, in Regno noſtro inſolitas, & inconſvetas, (etiam ſi tempore Ducum hujuſmodi fuiſſent, in frumentis, bladis, aut avena, vel de pecuniis exactæ, vel ſolutæ) de noſtra Regia benignitate caſſamus, & annullamus. § Item cuilibet terrigenæ noſtro, limites & granicies cum bonis noſtris Regalibus habere petenti, dare tenebimur: ipſas à ſignis metalibus, & ſcopulis conſvetis diſtinguendas volumus: juxta modum aliarum terrarum, in Regno obſervatum. *Cum bonis Regiis, Limites in terra Belzenſi fiat.* § Item quandocunq; terra noſtra Leopolien. ad bellicam expeditionem ſe moverit: aut neceſſitate incumbente, eandem procuaverit: præfata etiam terra noſtra Belzenſis, ſeu Nobiles & terrigenæ ejuſdem, cum ipſis Leopolienſibus, quotieſcunq; fuerit neceſsè, tenebuntur & debebunt, ac omnino ſunt obligati pariter & aſtricti, proficiſci bellicoſè & tranſire: & non aliàs, eo tamen jure & modo: quo terra Leopolienſis, ad expeditiones ſe movere conſvevit, & ſolita eſt. *Cum terrigenis Leopolien ad Expeditionem Belzen. proficiſcentur.* Animadvertendum autem, præfatos Nobiles terrigenas & Proceres, ad nos tanquam ad Dominium & Hæredem ipſorum legitimum, affectum habere ſpecialem horum prætextu, volentes ipſos favore noſtro ſpeciali proſequi, & eorum Knethones quoslibet, prafatam terram Belzen. inhabitantes, ab omnibus & ſingulis Exactionibus, angariis, præangariis, caſtrorum ædificiis, & pontium laboribus, & reparationibus, eximimus, abſolvimus: ac liberos, & abſolutos facimus perpetuè, ſecundùm morem aliarum Regni noſtri terrarum. Præterea generaliter & ſingulariter omnes alios articulos, libertates & jura, aliis terris Regni noſtri data & conceſſa, & præſertim terræ noſtræ Leopolien, ſi quæ hîc omiſſa forent, pro inſertis habere volumus & habemus: eademq; extendi-

mus & referimus, ad terram Belzensem. In cujus rei testimonium, Sigillum nostrum præsentibus est appensum. Actum in Brzescie, Feriâ tertiâ festorum solennis Paschæ: Anno Domini 1462. Præsentibus, Reverendiss. Patre Domino Ioanne de Brzezie, Iuris utriusq; Doctore, Electo Ecclesiæ Cracovienſis, & Regni Poloniæ Vicecancellario: necnon Magnificis & Generosis, Petro de Opporow Lancicien, Nicolao de Koscielec Brzesten, Palatinis: Iacobo de Dambno, Regni Poloniæ Vicethesaurario, Nicolao de Boryszowice, Zawichostensi, Sbigneo Bang de Gorá Malogostiensi, Castellanis: Nicolao Spoth de Wola Sandomirien, Ianussio Koluczki Iuniwladislavien, Vexilliferis: Ioanne de Ostrorog Iuris Doctore, Nicolao de Brudzewo Subpincernæ Calissien, & Capitaneo Brzesten, Iaroslao Brzozoglowy Subjudice Iuniwladislavien, Stani Marssalkowicz de Brzezie, & Ioanne Synowiecz de Zandowicze, Curiensibus nostris: & aliis pluribus, fide dignis testibus, ad præmissо. Datum per manus ejusdem Reverendissimi Patris, Domini Ioannis de Brzezie, Electi Ecclesiæ Cracovienſis, Regni Poloniæ Vicecancellarii, sincerè nobis dilecti.

Ad Relationem ejusdem Reverendiss. Patris Ioannis de Brzezie, Iuris Vtriusq; Doctoris, Electi Ecclesiæ Cracov. Regni Poloniæ Vicecan.

SALARIA COLLEGARVM IVDICII.

Actor reum in Contumacia condemnans, duos Grossos solvet-

Sigis. Petr. 1523. Fol. 38

ITem volumus: ut quilibet Actor, condemnando citatum in Contumacia absentem, solvat duntaxat duos Grossos, quorum unus cedet Notario, & alter Grossus Iudicio præsidenti.

Pro una Nota Inscriptionis, unus Grossus Notario.

Wladislaus Iagello Cracov. & Varta 1423. Folio 45.

TErrestres Notarii, in omnibus terris Regni nostri, videlicet Majori Polonia, Siradia, Lancicia, Cujavia, Dobrinen. &c. pro Notis æqualiter accipiant sua Iura: secundùm quòd Notarii Cracovienſis, & Sandomirien. terrarum recipiunt: videlicet pro una Inscriptione usq; ad finem causæ, unum grossum: aut in principio medium, & in fine medium Grossum.

Kazimirus in Nieszowá & Opoki 1454. Fol. 94

§ SIMILIS. Item Statuimus: ut Notarii Terrestres, in Iudiciis non exigant à Notis, præterquam in primo Termino medium grossum, & in ultimo tantundem: aut à Notis totius causæ, recipiant unum grossum. Pro lectura verò: quam fecerint in Iudiciis, nihil penitus exigere debebunt.

Hoc Statutũ Sigism. Rex Crac. 1510. confirmat Fol. 12.

§ SIMILIS. Sopientes controversiam, quæ in Iudiciis Seculáribus evenire solet, de quæstu Notariorum Terrestrium, relinquimus in robore Statutum Regis Kazimiri, in Oppoka factum. Similis

Sigis. Petr. 1523. Fol. 38

§ SIMILIS. Et quia multæ querelæ fiebant, ad notitiam nostram deductæ, contra Notarios Terrestres: quomodo ipsi à Notis, & Actionibus controversiarum, & aliarum quarumcunq; rerum, plus solito subditos nostros, depactare de facto consueverint: similiter à quærendis Notis, Actis Iudicialibus insertis: Quapropter Statuimus & Ordinamus, Statutis Regni vetustioribus inhærendo: Quòd singuli Notarii Terrestres, ab una controversia & causa, non plus recipiant, quàm per unum grossum. Talis autem causa & controversia debebit intelligi, ex una Citatione.

A testibus productis, & terminis peremptoriis, quantum Notarius accipere debebit.

Kaz. Vislic 1368. Fol. 37

STatuimus, quòd scriptores Iudiciorum de testibus producendis, si scribere & signare eorum dicta oportebit, recipiant tres Grossos, ubi verò Terminos peremptorios scribunt: de Nota & signatura, in Grosso medio contententur.

A dilatione Termini vera infirmitate, vel Cassatione Inscriptionis.

Sigis. Cruc. 1532. B 1

QVo salario, pro literis vel Notis, Notarii Terrestres vel Castrenses contenti esse debeant, tametsi Statuta per Nos & antecessores nostros condita sufficienter declarent: quia tamen ipsi Notarii, ultra modum præscriptum, à Dilatione Termini vera infirmitate, vel Cassatione Inscriptionis cujuspiam, solutionem memorialis per quatuor grossos exigunt, Statuimus: ut Notarii Terrestres & Castrenses, in exigendo salario, à Notis, Literis, & aliis Inscriptionibus, modum in Statutis desuper confectis expressum conservent. A dilatione verò Termini Tera infirmitate, vel Cassatione Inscriptionis, non nisi unum grossum, ratione Memorialis, & pro nota exigant, sub pœnis in Statutis prioribus, contra eos sancitis.

A memoriali quantum solvendum.

Kazim. in Vislica 1368. Fol. 19.

LIcèt pro redimenda pauperum vexatione, dudum solutio, dicta vulgariter *Częsne* aut *Pámiętne*, (quæ consveverat Iudici præsidenti, seu aliquam causam definiente, applicari) fuerit sublata & extincta: tamen eadem solutio, exquisito colore, sub alio nomine, quod dicitur *Pámiętne*, dignoscitur esse innovata, quæ dicitur esse contra prædictã solutionem, & transcendere comprobatur. Vnde circa hoc modum imponere volentes, Decernimus: Quòd in causis hæreditariis, vel non hæreditariis, magnis, Iuxta prætextũ solutionis prædictæ *Pámiętne*, ultra quatuor grossos, exigere & recipere non præsumat, in minoribus verò causis, tantummodo duos grossos exigendi facultatem Habiturus.

§ SIMILIS. Officiales, aut Camerarii, seu Subjudices Terminorum particularium, non debebunt à causis minoribus, quas usq; ad extimationem triginta Marcarum, & infra computamus, pro Memoriali a-

liàs *Pámiętne*, ſive alio nomine *Przyſiężne*, plus quàm duos groſſos recipere, à majoribus verò cauſis quæ ultra triginta Marcas ſe extendũt, quatuor Groſſos recipiendi habeant facultatem.

Ab una Querela, multarum perſonarum, unum Memoriale ſervatur.

Ibidem. PRoviſum eſt inſuper: quòd poſtquam unam quamq; quæſtionem, coram Iudicio expoſitum, dictam *Zatobá*, aliquis edixerit: etiam ſi plures perſonæ ſint: pro parte, quarum quæſtio agitatur, tantùm unum Memoriale exigatur.

Tantum pro re principali decreta, detur Memoriale.

Sigiſ. Petr. 1523 Fol. 32. ET Proteſtationes Memorialium ſeu captioſæ, nullum deinceps robur ſint habitæ: quæ ſolebant fieri ante prolationem Sententiæ: ſed pro re principali decreta tantummodo, fiet Memoriale.

A decreto pro ſe lato, quantum ſolvendum?

Sigiſ. Petr. 1523. Fol. 38 QVocirca volumus: Vt victor ſolvat à quolibet Decreto, pro ſe lato, Iudicio quinque groſſos, quorum tres Iudici, & unus Subjudici veniet. Notario verò ſimiliter unum groſſum, ab ejuſdem Decreti actica tione, ſolvere quilibet teneatur.

Sigiſ. Crac, 1543. Quinimo ipſi Iudices Terreſtres, non plus ratione Memorialis accipiant, niſi quinq; Groſſos, à Decreto ſatisfactionis, in Termino Concitatorio, ab additione Miniſterialis ad intromittendum, & remiſſione ad capitaneum: ſi Intromiſſio victori non eſſet admiſſa, & hoc ſub pœna quatuordecim Marcarum parti, & nobis alia.

Taxa literarum Iudicii Terreſtris, & Caſtrenſis.

Sigiſ. Petr. 1511. Fol. 39 QVia verò Notarii Terreſtres, & Caſtrenſes, alicujus Actum, ſive inſcriptionem, in libro Terreſtri ſeu Caſtrenſi quærentes, Nobilitatem immodicè taxare pro labore quærendi conſveverunt, Statuimus: Vos ipſi Notarii nihil poſthac exigere audeant, pro labore quærendi. Pro literis verò Pargameneis, cum appenſis Sigillis decem groſſorum ſalario ſint contenti, ex quibus ſex Iudici, duo Subjudici, & duo Notario Terreſtri cedant. A papyreis verò literis, ſub Sigillis Iudicis & Subjudicis, unus Groſſus. A condemnatione in pœna Contumaciæ, duo groſſi. A condemnatione in lucro, quatuor groſſi. A Memoriali, juxta antiqua Statata quatuor groſſi ſolvantur.

Pro litera Iudiciali ſub Sigillo, quantum ſolvendum?

Sigiſ. Petr. 1523. Fol 38. ITem pro litera Iudiciali, Sigillis Iudicis, & ſubjudicis obſignata, decem groſſi, prout in quibuſdam terris, hactenus fuit obſervatum.

Solutio

Solutio Membranarum, & Minutarum non Sigillatarum.

ITem Notarius à ſigillatis Membranis, recipiet per medium groſſum: & à Minetis extractis, non ſigillatis, per unum groſſ. § At qui ſimplici Minuta nihil probari poteſt: ſed tantummodo literis, aut Minuta ſub Sigillo, aut liberis coram Iudicio. *Ibidem Conſvetudo Terræ Cracæ, 1505. Fol. 122.*

Confirmantur Statuta, de Salariis præſcriptis.

STatutum, per Nos Conſiliarioſq; noſtros ſtatus utriuſq;, & Nuntios Terreſtres, de ſalariis Iudicum, Subjudicum, & Notariorum Terreſtrium editum, in robore ſuo permanere, & in executionem extendi volumus: & præſenti Conſtitutione, ſtrictius mandamus. *Sigiſm. Bydgoſt. 1520. Folio 27.*

Pœna, ſi Notarius contra Statuta extorſerit.

QVòd ſi Notarius, ultra præmiſſam Ordinationem, contra vim Statutorum, quidpiam ab aliquo depactaverit: talis eidem depactato, idquòd injuſtè extorſerit, reſtituere teneatur, cum pœna trium Marcarũ, & Iudicio totidem exolvenda: in qua peremptoriè debet itidem Notarius condemnari: & ſatisfacere victori mox teneatur: ſub alia pœna xiiij. Marcarum. *Sigiſ. Petr. 1523. Fol 38*

Conſtitutiones de Notariis exequantur.

DEcernimus omnino habere volentes: Vt Conſtitutiones, de Notariis Terreſtribus dudum editæ, jam exnunc debitam per omnia executionem habeant, & accipiant: atq; futuris temporibus diſpoſitio illarum, in omnibus ſervetur, & manu teneatur. *Sigiſ. Petr 1538, A 4*

§ SIMILIS Cavendo ne Nobilitas noſtra gravaretur, circa receptionem & ſcriptionem quamvis literarum, Renovamus Statutum: Vt Terreſtres Notarii conſervent ſe, juxta Statutum Sereniſſimi olim Parentis noſtri. Propterea q; juxta illud ſalaria recipiant à Membranis, Citationibus, & condemnationibus. *Sigiſ. Aug. Petr. 1550.*

Idem ſentiendum de Capitaneali Iudicio.

CApitaneale quoq; Iudicium, non plus à re Iudicata: ſeu ſcripturis quibuſvis Iudicialibus exigat, quàm quod in Iudiciis Terreſtribus, à ſimilibus exigi ſolet. *Sigiſ. Crac. 1539.*

§ Taxa literarum ex Cancellaria, Vide in Titulo: CANCELLARIA.

SALVVS CONDVCTVS.

Defenſores contra metum Regis, vel Capitanei.

STatuimus: Quòd ſi aliquis coram nobis, vel noſtro Capitaneo, de aliquo crimine vel maleficio fuerit accuſatus: & ad oſtendendum ſuam innocentiam, per Nos vel noſtrum Capitaneum non fuerit admiſſus: & ob hoc, ipſum fugere contingat: & ne hujuſmodi fuga ad infamiam *Kaz. Magn. Vislic. 1368. Folio 35.*

reputetur, idem fugiens coram Reverendiſſimo in Chriſto Patre Epiſcopo Cracovienſi, aut Palatino Cracovienſi, aut Sandomirien, proteſtabitur: quòd Nos, aut Capitaneus noſter, ad expurgandum ipſum admittere noluimus: & tales prænotati, aut Palatinus noſter illius terræ, Profugo Treugas duorum menſium dare poterit: & ipſum profugum ſeruare. Infra quod tempus, idem Palatinus, apud Nos vel noſtros ſucceſſores, eidem profugo quærat gratiam, & favorem: ut ipſum Juſtitiam admittamus. Quæ ſi prædictus Palatinus non poterit obtinere: quòd eundem videlicet, ad expurgandum ſuam innocentiam admittere nollemus, extunc Palatinus ad metas ſuæ terræ illum conducere tenebitur, qui á tempore conductus Palatini, infra annum, terræ, Regno, & terrigenis nocumenta inferre non debebit, uxore ſua in bonis ſuis pacificè infra annum prædictum dimiſſa inquiete. Quo anno evoluto, infra gratiam noſtram ſemper quærere debeat: & ſi ipſam invenire non poterit: & præfatus profugus aliqua nocumenta Regno, vel terrigenis intulerit: propter hoc infamis non debet reputari: nec ipſum per terrigenas captum, ad mortem Nobis, aut noſtro Capitaneo dare tenebuntur: nec propter hoc indignationem, aut offenſam noſtram, incurrant terrigenæ ſupradicti. Si verè maliciosè, & abſq; culpa, contigerit aliquem profugere: & Iuri parere noluerit: & profugiendo, nocumenta Regno, aut terrigenis intulerit: bona ipſius immobilia, præter dotalitium uxoris, Cameræ noſtræ perpetuo applicentur: mobilia inter Nos & Barones noſtros, per medium dividantur. Et ſi captus fuerit per quempiam: in gratia noſtra noſtra conſiſtat, nec propter captivitatem ejus, per amicos debet aliqua indignatio, vel inimicitia occulta, vel manifeſta ſuboriri. Vxor verò ejus in Dotalitio remanebit: prout ſuperiùs eſt notatum: vel illud vendendi liberam habeat facultatem.

Omnibus profugis publica fides eſt danda.

Ioan. Albert. Petr. 1496. Folio 100

ITem, quoniam contingit ſæpiùs regnicolis, caſu contingente, aliàs propter inſecuritatem vitæ, extra Regnum neceſſariò egredi: idcirco ne dignitas Regia, per injuſtitiæ culpam profanetur, volumus, Statuimus, & decernimus: Vt Regnicolis, Nobilibus, vel plebeiis, cujuſcunq; ſtatûs & conditionis exiſtentibus, ſexus utriuſq;, in ſecuritate perſonæ, caſu quocunq;, eis contingente, & iſtud exigente, extra Regnum ſe conferentibus, Salvus conductus & Affidatio, per Nos & ſucceſſores noſtros dari debeat petentibus, ut ſub libertate publica, vel ſe expurgarent, vel juſtitiam peterent: eamq; ex ſe redderent accuſati.

Capitanei tamen Salvos conductus ſubditis contra Dominos ne dent.

Alexand. in Radom 1505 Folio 116.

COnquerentibus Prælatis, & Proceribus majoris Poloniæ, quòd cum quodam deſpectu & levitate eorum, hactenus Capitanei Poſnanienſes ſalvos conductus, Kmethonibus illorum & terrigenarum dare con

ſveverant, Statuimus communi conſenſu: Quòd de cætero, Prælatorum, Baronum, Procerum, & terrigenarum noſtrorum ſubditis, Kmethonibus, Civibus, Oppidanis: aut ſervis, Capitanei locorum Salvos conductus dare non debeant: ſed ad jus commune, in eventibus recurrendum decernimus Kmethonibus talibus, & quibuslibet conquerentibus: ſic ut cuiq; Iuris patrocinium debebitur.

Salvus conductus ne ſubditis contra Dominos, vel eorum ſubditos detur: ſed tantùm inter Cives

EX mutuo colloquio, ac conſenſu Dominorum Conſiliariorum, & petitione Nuntiorum Terreſtrium, ſic eſt conſtitutum: Quia Literæ publicæ fidei, aliàs *Zelázne liſty*, & Salvi conductus, amplius dari non debent à nobis, famulis contra Dominos illorum, ſtatus & ordinis militaris, nec etiam contra ſubditos illorum, in damnum eorundem: ſed nobis & Conſiliariis noſtris liberum erit hoc facere: tales videlicet literas dare ſubditis noſtris ſtatus Civilis, contra Cives juxta arbitrium noſtrũ: tamen contra Nobiles, & ſubditos illorum, nulla dabimus. *Sigiſ. Cracc. 1543.*

Salvus conductus ſecundum Statuta detur.

LIteræ publicæ fidei, ſeu Salvi conductus, aliàs *Gleythy*, nullæ, quæcunq; contrariæ Iuri & Statuto eſſent, dari debent: & ſi quis eas obtinuerit, hæ ſunt nullæ. *Sigiſ. Aug. 1550.*

Salvus conductus publicetur.

UT in utramq; partem, circa rationem Salvi conductus, & ſecuritati eorum quibus inimicitiæ denuntiantur, provideatur: ut illi, quos pœna manet, Salvi conductus calumniis non involvant innocentes, Statuimus: ut nullius ſalvi conductus pœna incurratur: niſi qui fuerit publicatus, & qui illo velit ſe ſe palam tutari. *Sigiſ. Cracc. 1589.*

S A L.

Confirmatio Statutorum de Zuppis ſalinarum, per divum olim ſecundùm Kazimirum Magnum editorum, per Sereniſſimum Kazimirum tertium facta.

IN Nomine Domini, Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Ne error oblivionis geſtis ſub tempore verſantibus pariat detrimentum, alta Regum & Principum decreverunt Conſilia, ea literarum apicibus & teſtium annotatione perennari. Proinde Nos Kazimirus Dei gratia Rex Poloniæ, necnon Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Magnus Dux Litvaniæ, Pomeraniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæq; Dominus & Hæres. Significamus tenore præſentium, quibus expedit univerſis, præſcntibus & futuris, harum notitiam habituris. Quòd ſi ex debito Regalis munificentiæ ad omnium ſubditorum commodum, & profectum, *Folio 76.*

oculo considerationis intẽdere debeamus: propensior tamen solertia circumspectionis, ad augmentum Thesaurorum & proventum Regni nostri incubit: ex quibus Regni & subditorum nostrorum commodis debitè valeamus providere. § Cùm igitur Zuppæ nostræ Bochnen: & Wielicen: pars Nobilis proventuum, & Thesauri Regni existit: quæ hactenus propter nimiam & continuam Nobilium & diversarum personarum frequentationem, & salis elaborationem, in Nobili sui parte desolationem & jacturam susceperunt: ex quo neque Zupparii, neq; sui Officiales, regimini laboribusq; intendere valuerunt, hospitum curæ, procurationiq; intenti: & nisi iis tempestivè subveniatur: verendum est, ne ruinam & jactuaram totalem subeant, & patiantur. § Volentes igitur hujusmodi ruinæ & jacturæ subvenire: ut circumspecti Principis est, ex præteritis habere memoriam: & intentè considerationis oculum ad futura, & tandem ad singula salubri dispositione procedere, dum omnia prospexerit sapienter. Imitando igitur vestigia prædecessoris nostri, divæ memoriæ Domini Kazimiri Regis Poloniæ, qui præfatum Thesaurum Zupparum in capite & in membris, ac omnibus proventibus, ordine, dispositione, & terminis ordinavit, statuit, & regulavit, atq; perpetuis temporibus hujusmodi ordinationem & regulationem tenendam, servandam, & custodiendam, sub pœnis in eis contentis statuit, & diffinivit. Ne igitur nos, aut quempiam subditorum nostrorum, ab hujusmodii ordinatione & dispositione, recedere, ut idem per ignorantiam contravenire contingat. § Statuimus: & præsenti edicto in robur majoris firmitatis declaramus: ipsius Domini Kazimiri Regis præfata Statuta, & ordinationes, quæ in nostro hucusq; servata sunt thesauro, in omnibus, & per omnia, secundùm regulationem, ordinationem, & dispositionem suam, debere teneri & observari perpetuis temporibus duraturis, quorum & nos tenorem Constitutionum & articulorum, ex certa scientia, & maturo Consilio super hoc communicato, in omnibus suis punctis, articulis, conditionibus, & clausulis, ratificamus, approbamus & confirmamus. § *a* Hoc specialiter audito & expresso: quòd omnia Salaria, & census, tam Ecclesiasticis quàm Secularibus personis, per prædecessores nostros, in perpetuum, ad tempus, & vel ad vitam inscripti, ac ab antiquo per Zupparios pro tempore solvi soliti, & literæ justæ & legitimæ, quomodolibet emanatæ, in suo debent persistere robore, & firmitate. § *b* Ne autem successu temporis quocunq; in dubium revocari, & de harum continentia & tenore concipere hæsitionem: ipsas præsentibus inserendas duximus, & inservimus, quarum tenor sequitur, & est talis.

Zuppæ Bochnenses & Wielicēs. sūt partes notabiles thesauri Regni Poloniæ.

Provident Rex ruinis & jacturis Zupparum.

Kazim. III. vult ut Statuta Zupparum per Kazimirum II. edita, & hucusque tenta: adhuc in posterum teneantur perpetuè. ex matura deliberatione, Regū & Consiliariorum suorū

a *Speciale quid adiungitur ultra Statutū Kazim. II in hoc Statuto.*

b *Propter tollendā hæsitationem & dubium de præfato Statuto Kazim. II inseritur in eum ut sequitur medū.*

IN Nomine Domini, Amen. Nota quòd sub anno Incarnationis Domini 1368. Istud præsens Registrum est scriptum, feria sexta post Conductum Paschæ, in Castro Cracovienſi, ad perpetuam rei memoriam: ob reverentiam Dei Omnipotentis, necnon Beatæ Virginis Mariæ ejus genitricis gloriosæ: necnon ob merita omnium Sanctorum atq; Sanctarum:

& ad

& ad Mandatum Illustrissimi Principis ac Domini D. Kazimiri Dei gratia Regis Poloniæ, Sandomiriæ, Cracoviæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Pomeraniæq; hæredis conscriptum per manus Notarii, Domini Dimetrii protunc Vicethesaurarii. § Item ob istam causam istud Registrū est compilatum, propter malam consvetudinem perpetuis temporibus evitandam: & ut consvetudo Zupparum Domini Regis Kazimiri, ac sui totius Consilii per suos legitimos successores perpetuis temporibus teneatur. Nam idem Dominus Rex Kazimirus nihil fecit in Registro addere sive minuere: sed fecit Registrum conscribere, & omnes consvetudines diligenter antiquas perpetuè notare: prout antiqui Zupparii. Primus videlicet Porinus Gallicus Albertus, qui mensuram minuti salis minoraverunt: Petrus Vinricus Gotfridus Gallicus. Dominus Adam Presbyter, & Nicolaus Zupparius tenuerunt. § Et hoc propterea fuit factum: qnia in emptione Zupparum Trukla, Hensel, Buta, Leszko Iudæus, Bartko Monetarius, Arnoldus Velker, propter remanentias salis, in re signatione Zupparum, ac aliarum rerum ibidem scilicet in Zuppis existentium, vicissim fortissimè litigaverunt: quia nescierunt in Zuppis modum, formam, sive consvetudinem: & ob hanc causam fuerunt vocati, protunc antiqui Zupparii: videlicet Petrus Vynricus, Dominus Adam Presbyter, Gotfridus, Nicolaus Zupparius, qui texerunt Zuppas tempore Domini Regis Kazimiri: ut modus regiminis Zupparum sub Iuramento eorum perpetuis temporibus teneatur. § Item in compilatione hujus Registri, fuit vocatum Consilium Domini Regis, videlicet Spirituale, & Temporale: cui fuit data plenimoda potestas, Domini Regis, ut taliter præsens Registrum conscriberetur: propter veram, bonam, antiquam consuetudinem conservandam: ac propter utilitates Thesauri dicti Regis, ac suorum legitimorum successorum, ac totius Regni perpetuis temporibus debet conservari.

Causa compilationis Registri Zupparum.

Alia causa compilationis huiusmodi Registri.

In compilatione huiusmodi Registri zupparū interfuit Consilium Regis, & Spirituale & Seculare.

Nomina Dominorum Spiritualium, hoc compilantium Registrum, sunt hæc.

PRimus fuit Dominus Florianus Episcopus Cracovienſis. Item Dominus Wilk, Cancellarius Cracovienſis, Item Zawisza Archidiaconus Cracovienſis. Item Ianko frater Simkonis Vicecancellarius. Item Bodzanta Procurator generalis. Item Dominus Michalko Canonicus Cracovienſis, Protonotarius Domini Regis. Item Zimko Notarius Domini Regis. Item Ioannes Ielithkowit, qui tenuit protunc monetam ad fideles manus, cum Leszkone Iudæo.

Enumerātur nomina eorū qui interfuerunt compilationi Registri. Et primo Dominorum Spiritualium.

Nomina Dominorum Temporalium sunt hæc.

PRimus Dominus Ioannes Melsztyn, Castellanus Cracovienſis. Item Dominus Neorza, Palatinus Cracovienſis. Item Dominus Wafroszki Subjudex Cracovien. Item Mszczyvius de Kwilina Succamerarius. Item Dominus Otto de Pilcza. Item Swiathoslaus Vicethesaurarius. Item

Nomina Dominorum Secularium.

tem Dimetrius Thesauraus. Item Malocha antiquus Procurator. Item Szcz panko Magister murorum.

Nomina antiquorum Zupparіorum, Magistrorum montium, Stigariorum, &c.

Enumerantur nomina antiquorum Officialium Zupparum

PRimus Czyndel Stigarius, de montibus Kuthnis. Item Thyczkracz de Thanczyn. Item Bernardus Stigarius de Vngaria Item Stigarius Kazimirien. Item antiqui Zupparii: videlicet Petrus Vinrici. Item Gotfredus Gallicus. Item Dominus Adam Præsbyter, item Nicolaus Zupparius. item antiqui Zupparii texerunt Zuppas ad manus fideles eis commissas, tempore Domini Regis Kazimiri: & illic sub Iuramento omnem consvetudinem per eos traditam, Dominus Rex Kazimirus, cum toto suo Consilio: videlicet Spirituali ac temporali, perpetuis temporibus servandam confirmaverunt. § * Item ad Registrum per Dominum Regem ac suum Consilium fuerunt vocati moderni Zupparii confirmandum: primo Trita: item Leszko Iudæus. Item Henselburg. Item Bartko Monetarius. Item Arnoldus Velkier. § Item ad Registrum formādum fuerunt vocati Vicezupparii, Magistri montium, Stigarii ambarum Zupparum: qui omnes consvetudines Zupparum regendarum sciverūt. § Primus fuit Albertus Magister pontium, frater Hankonis de Mienselmicz. item Ioannes Paulini Vicezupparius de Wieliczka. item Rorezek Carpentarius montium. item Giszko Stigarius de Wieliczka. item Nicolaus Stigarius de Wieliczka. item Czandycz de Opáwia Vicezupparius de Wieliczka. item Penacus Montium Magister, de Bochnia. item Dominus Ioannes Præbendarius de Zuppa Bochnen: Item Czkufunf Carpentarius montium de Bochnia Item Ioannes Prokondorff Stigarius de Bochnia. Item Kutha Magister montium de Bochnia. Item Petrus Weruſch Stigarius de Bochnia. § Item primò & principaliter & maximè super omnia Dominus Rex Kazimirus cum toto Consilio, prius nominatam consvetudinrm Registri confirmaverunt: quòd nullus Dominorum, sive sit magnus sive parvus, sive Castellanus, sive Capitaneus præsumat Zuppas visitare. Causam assignaverunt: Quia venerat Dominus Neorza Palatinus ante Zuppam: & mandavit sibi dari prælibatione. Extunc Dominus Rex resciens irascebatur sibi plusquàm ad duos menses: ita quòd vix illi venia per Dominos fuit impetrata. Et sic Dominus Rex sub pœna colli, ac bonorum demandat: quòd nullus Dominorum per amplius præsumat Zuppas attentare. Nam quando Nobiles ad Zuppas veniunt, tunc Zupparius utilitates Domini Regis non potest tam diligenter aspicere, propter impedimentum Dominorum Zuppas visitantium. Ideo Statutum est: quòd Nobiles nunquam debeant Zuppas visitare: nisi sit priùs de maxima gratia Domini Regis. § Item statutum est: quòd nullus Zuppariorum sub pœna colli ac bonorum suorum, aliquem equum Nobilium sive Dominorum ad Zuppas præsumat accepptare: & ipsum pabulare: exceptis equis Regalibus: Rationem assignauerunt: quia pecuniæ Domini Regis in rationibus Zupparum, quæ

** Pro confirmatione Registri, fuerunt vocati moderni Zupparii, quorum nomina exprimuntur. Pro formatione Registri, fuerunt vocati Officiales.*

Zupparum, quorum nomina hîc narrantur.

Nullus Dominorum sub pœna colli & privatione bonorum, audeat sine speciali Regio cōsensu Zuppars visitare stationē habiturus in eisdem.

Equi Nobilium (præterquam Regis) in Zuppis nō statuatur, seu pabisletur.

proveniunt, minorarentur. § Item statutum est: quòd quando Zuppæ per Dominum Regem dantur ad fideles manus, quòd nullus Zupparius qui tenet Zuppas ad manus fideles, præsumat absq; licentia Domini Regis aliquem Dominorum ad Zuppas intromittere: & ei necessaria cum ejus equis & familia ministrare. § * Item statutum est: quòd nullus Zuppariorum, qui tenet Zuppas ad manus fideles, solvat bancum salis, per sectores incisum, nisi per tres grossos: Tragariis verò non cō putatis. § x Item Statutum est: quòd Zupparius, qui tenet Zuppas ad fideles manus, bancum per Dominum Regem donatum Principibus, Nobilibus, sive quibuscunq; personis computatis, non debet aliter Domino Regi ad rationem ponere in Zuppa Wielicensi, nisi per quinq; grossos: in Zuppa verò Bochnensi, per sex grossos Tragariis & Notariis cum sectoribus inclusis. § Item, si Dominus Rex aliquem Nobilem donaverit cum sale Centenariato, ac thinis, tunc Zupparius, qui tenet Zuppas ad manus fideles omnes centenarios debet conscribere: & eos rationi stis in ratione enodare. § z Item, si Dominus Rex aliquem Principem vel Nobilem, vel Claustralem, cum minuto sale donaverit: tunc Zupparius qui tenet Zuppas ad fideles manus, non debet aliter mensuram cōputare, nisi per quatuor grossos in ratione. § a Item sal quod datur Nobilibus, sive claustralibus, per Dominum Regem in Thinis, Zupparius qui tenet Zuppas ad manus fideles, non debet illud Domino Regi computare ad rationem, quia non est de Iure. § b Item statutum est: quòd nullus Zupparius debet solus sal vendere in depositorio Cracovienſi, neq; aliquis famulus Zupparii: sed Zupparius debet sal vendere mercatoribus, salsatoribus, tam de Cracovia, quàm mercatoribus, id est Civibus de Wieliczka, & illi Cives de Wieliczka debent habere plenimodam potestatem sal vendendi in depositorio Cracovienſi. § d Item Statutum est: quòd Bochnen: Mercatores salis, habeant plenimodam potestatem, sal mundum deducere ad partes alienas: videlicet in Mazoviam, Russiam, & Silesiam, necnon Litvaniam, necnon versus Lublin. § g Item Statuimus: quòd Cives Bochnen. sive Mercatores salis, debent habere plenimodam potestatem, sal commune deducere ad depositorium Cracovienſe: propter pistores panum, & etiam propter vectores de aliis partibus venientes. § h Item Statuimus ex Mandato Domini Regis Kazimiri: quòd Sal ad Vngariam non debet àlio modo dari, nisi quilibet Centenarius per quatuor gross. in floren. aureis: & floreni alio modo non debent recipi, nisi per septem Scotos grossorum. Causa est ista: quia Vngaris concutitur unus bancus salis, qui valet duas Marcas: postea quando concussus fuerit, vix solvet unum florenum cum medio ad Vngariam: & illud est damnum Zupparum, & illud tangit Zuppam Wielicen: § p Item Statuimus: quòd sal quod datur è Zuppa Bochnen. ad Czypsenſem Terram, quilibet centenarius debet dari per quatuor grossos in floren. aureis: Et quilibet florenus debet recipi per octo Scotos grossorum.

Zupparius ad fideles manus Zuppam tenens, sine consensu Regis nemini necessaria ministret in expensis.

** Ab incisione bāci salis non nisi 3. gr. sectorib. sunt dandi, Tragariis nō computatis.*

x Bancus donatus per Regē in Zuppa Bochnen. pro 6. in Videlcen. verò pro 5. grossis est per Zupparium in ratione ponendus Notariis, tragariis & sectoribus inclusis. De cētenariis donatis in Zuppis.

z Mensura salis minuti cuicunq; donata, duntaxat 4. gross. est in ratione taxanda.

a Sal in Thinis donatum, non est in ratione computandum.

b De depositorio Cracovien.

d De Bochnen. Mercatorib.

g Civibus Bochnen. cōceditur sal cōmune propter pistores &c ad depositorium Cracov. ducēdū.

h Cētenarius salis ad Vngariam quatuor gross. detur. Floren. autem non nisi per septem Scotos grossorū recipiatur. p Centen. salis pro 4. gross. ad terram Cypsen. detur flor. pro octo Scotis gross.

forum. § *q* Item si ferrum adducetur de Vngaria ad Zuppas pro sale cētenariato, tunc Statutum est: quòd quilibet Cētenarius ferri, per Zupparium non debet alio modo recipi, nisi per septem Scotos. § *v* Item Statuimus: quòd homines, qui recipiunt ad Vngariam in Zuppa Wielicensi sal centenariatum, & si istud sal ad Vngariam non deduxerint, sed in graniciebus istud sal vendiderint: extunc equos cum sale ubi reperti fuerint perdere debent, omni occasione postergata. § *x* Item Statuimus: quòd si homines ad Terram Czypsensem sal de Zuppa Bochnensi receperint, & si in Sandecz vel aliis graniciebus vendiderint, eandem pœnam debeant tolerare: § *y* Item Statuimus: quòd quando equi Domini Regis mittuntur ad Zuppam, tunc Zupparius assumptis equis, pro quolibet equo debet dare unum coretum avenæ, dietim: & de fœno, & straminibus omnem necessitatem: & numerum equorum fideliter conscribere. § *z* Item Statuimus: quòd quando accipiunt equos Regales ad Zuppam: tunc Zupparius tenetur ad quatuor equos servare unum subagazonem bene valentem, & eidem omnia necessaria in victu & amictu ministrare: & illa fideliter conscribere: conscripta rationistis exhibere: ut illi considerent, quo summa pecuniæ Regalis devenit.

§ *b* Item Statuimus: quòd pauperes eleemosynarii, qui sunt in numero sex in Zuppa Wielicensi, & totidem in Zuppa Bochnensi, cum pane, qui datur omni die pauperibus post Missarum solennia, non debent poni ad rationem. Illud enim est confirmatum propter animas patris & matris Domini Ragis Kazimiri, necnon aliorum suorum progenitorum: & eisdem pauperibus debet annuatim tribui conveniens amictus.

q Centenarii Vngarici in Zuppis nonnisi per 7 Scotos est solvendus.

v Vectores salis Wielicē. ad Vngariam ducentes, & Sal in metis vēdentes, equos cum sale perdant.

x Sal pro terra Czypsen, emptū, si in Sandecz &c. vēditur, sal & equi amittantur.

y Pro quolibet equo Regio unus coretus avenæ detur, cū fœno & straminibus sufficientibus dari debet.

z Pro 4. equis Regis unus equus valens per Zupparium est tenendus.

b Eleemosynarii in Zuppis non sunt ad rationem per Zupparium ponendi.

Sequitur venditio Zupparum.

ITem Statuimus: quòd si fuerint Zuppæ venditæ per Dominum Regem ac suum Consilium: tunc ille qui Zuppas emerit, debet sal, quotquot inventum fuerit, diligenter conscribere: & illud conscriptum juxta Statuta Consilii acceptare. § * Item Statuimus: quemlibet bancum non aliter à Domino Rege acceptare in Zuppa Wielicensi, omnibus computatis, videlicet Capisteriis, cordis canapeiis, suberinis, non aliter nisi per quinque grossos. In Bochnia verò nisi per sex grossos: § *b* Itē Statuimus: Sepi quotquot lapides inventi fuerint, non debent alio modo computari pro parata pecunia, nisi secundum exigentiam fori. In minuto verò sale, quilibet lapis per sex gross. Item Statuimus: quòd ratio laminarum ferrearum debet computari quælibet sexagena, per unam Marcam, in minuto sale. § * Item Statuimus: quòd cunei ferrei, quotquot in Zuppis reperti fuerint, non debent alio modo computari, nisi quilibet per medium gross. § Item Statuimus: quòd cordæ suberinæ alio modo non debent computari, nisi quælibet per octo grossos.

§ Item Statuimus: quòd cordæ Canapeæ alio modo non debent computari, nisi quilibet lapis per sex grossos. § *a* Item Statuimus: quòd quilibet

Emens Zuppas sal inventum conscribat, & iuxta Statuta Consilii acceptet.

** Bancus Salis in Bochnia per 6. gross. per D. Regem acceptatur. In Wieliczka per quinque gr. omnibus computatis, scilicet Capisteriis, cordis canapis, suberinis.*

b *Lapis sepi non debet aliter cōputari pro parata pecunia, quàm in foro: in minuto verò sale, quilibet lapis per sex gr.* * *Cunei ferrei, in Zuppa reperti, nonnisi per med. gr. cōputādi.* a *Zup-*

quilibet Zupparius qui emerit Zuppas à Domino Rege, tenetur tantum reddere de perceptis salis in numero sepi, ac aliarum omnium rerum, quantum assumpsit: & si post resignationem Zupparum sui regiminis tantum sicut percepit non dimiserit: extunc omnia debet solvere Domino Regi cum parata pecunia, prout in sale bancato ac minuto, ac aliarū rerum extitit enodatum. § Item Statuimus: quòd qui emerit Zuppas à Domino Rege, non debet fovere Nobiles, ac Dominos, prout prius est conscriptum. Causa, ne mala consvetudo ex eo committatur. § Item statuimus: quòd quilibet Zuppatius, qui emerit Zuppas à Domino Rege, non debet aliter dare bancum salis de sex centenariis, nisi per alteram dimidiam Marcam. § *b* Item Statuimus: quòd bancum salis de octo centenariis, Zupparius suis Mercatoribus salis, ut puta Regnicolis, non debet alio modo dare, nisi per duas Marcas. § *d* Item Statuimus: quòd Zupparius extraneis hominibus, videlicet de terris alienis, superdicas unum bancum salis de octo centenariis, non debet in cariori foro dare, nisi per duas Sexagenas. § *g* Item Statuimus: quòd quælibet Marca juxta Statuta facit in dicis sex mensuras minuti salis: & hoc fecimus Statutum salubre fideliter contaxatum: ut emptores salis, habeant incrementum. Rex verò plenimodam utilitatem. § *h* Item Statuimus ex mandato antiquo Domini nostri Regis Kazimiri, quòd si Dominus Rex aliquem Principem, Nobilem, claustralem, cum aliquo banco salis donaverit: Zupparius non debet aliter computare bancum Domino Regi nisi per mediam marcam: mensuram minuti salis per quatuor grossos. Centenarium in Wieliczka per sex grossos, in Bochnia per octo: unam Thimam in utraq; Zuppa per fertonem. § *q* Item Statuimus: quòd quilibet bancus salis qui exciditur in Bochnia, alio modo non debet computari Domino Regi in resignatione Zupparum, nisi per sex grossos omnibus computatis. § *x* Item Statuimus: quòd quilibet Zupparius, qui Zuppas emit à Domino Rege, in Resignatione sui regiminis non debet, nec tenetur de sale bancato plus deducere, nisi trecentos bancos, ad depositorium commune, id est forum Crocovienſe. Si autem plus deduxerit: ubicunq; repertum fuerit: sive in domibus, sive in cavernis, in stabulis: illud sal totum debet recipi pro Camera Domini Regis: & Zupparius debet omnibus bonis privari: nisi excepto quòd Zupparius haberet de mandato Domini Regis. § Item Statuimus: quòd quilibet Zupparius, sive sit ille qui ad fideles manus tenet Zuppas, sive sit emptor Zupparum, non debet Domino Regi bancum computare, nisi per quinque grossos in Wieliczka, in Bochnia verò per sex, sepo, & omnibus aliis rebus largo modo computatis. § * Item Statuimus: quòd Eleemosynarii per Dominum Regem Kazimirum stabiliti, per Zupparium qui emerit Zuppas, non sint in ratione computandi.

§ *n* Item Statuimus: quòd Zupparius qui emit Zuppas, non tenetur plures equos Regales ad Zuppas recipere, nisi quantum in Conventio-

pas emerint tenetur reddat salis sepi, seri, & aliarū rerum quantum percepit alias tenetur

b Regi pecunia parata solvere omnia.

b Bancus salis de octo cētenariis, non nisi per duas Marcas Regnicolis detur.

d Bancus salu, de octo centenariis, nonnisi per duas sexagenas extraneis debet dari

** Sex mensuræ salis minuti, faciunt unam Marcam iuxta Statuta.*

h Bancus salis alicui donatus, nonnisi per mediā Marcā, mensura salis minuti per quatuor gr Centenariis in Wieliczka, per 6. grossos in Bochnia, per 8. gross. Thima in utraq; Zuppa. per Fertonem D. Regi in rationem cōputandi.

q In resignatione Zupparum, bancus salis in Bochnia non nisi pro sex gr. D. Regi est cōputandus

x Zupparius in resignatione sui regiminis, non nisi trecētos bācos ad forum Cracov. ducere potest, aliàs sale & omnibus bonis per Regē privādus. Zupparii in Wieliczka bancū non nisi per 5. gross. In Bochnia verò per 6. gross. D. Regi computabit: sepo, & alijs largè cōputatis. * *Eleemosynarii per Regē stabiliti, nō sūt in ratione per Zupparū emptore cōputādi.* n *Emēs*

Zuppas, non plures equos quam in contractu expressum est, tenetur recipere, & pro quatuor equis famulū realē tenere.

ne Zupparum est expressarum, & ad illos equos, qui sunt in emptione expressi, ad quatuor equos unum famulum realem conservare, & eidem famulo victum & amictum ordinare: & illa non debent poni ad rationem Regalem. § *o* Item Statuimus si plures equi *Regales* ad Zuppā adducti fuerint, quàm expressatum est in venditione Zupparum: extūc pro quolibet equo debet dari unus coretus avenæ per dierium, cum fœno & straminibus & illud computari, sicut in foro emptum fuerit. Et pro quatuor equis unus famulus, & famulo expensas tribuere: & illas computare septimanatim per sex grossos, & illa debent poni ad rationem. § *p* Item Statuimus perpetuis temporibus: quòd quilibet Zuppārius qui emerit Zuppas, debet Domino *Regi* dare necessaria omnia, & Dominæ *Reginæ*, & toti familiæ: & pabulare equos & alia necessaria dare semel in anno, in utraq; Zuppa: & Zupparius tenetur donare Dominum *Regem* cum centum florenis aureis, & Dominam *Reginam* cū quinquaginta: & illa non debent poni ad rationem Zupparum.

o Equis præter conventū dierium dandum pro quolibet unus coretus avenæ, fœnū & straminа iuxta iurū in rationе computanda.

Pro 4 equis, famulus deputetur: cui expēsæ per 6 gross. septimanatim sūt computādi.

p Statio Regi & Reginæ per Zupparium in utraq; Zuppa sannuatim dandæ: & Regi, centum, Reginæ quinquaginta floren. donandi.

§ *q* Item Statuimus: quòd Zuppæ non debent remissiùs vendi, nisi pro decem & octo millibus Marcis: medietas grossorum, medietàs quartensium sive usualis moneta: sicut sunt venditæ proprio ore per Dominum *Regem* Kazimirum, Trutloni, Leskoni Iudæo, Henselburg, Barnthkoni Monetario, & Arnoldo Velkier: quia in una septimana fuerat quadruplex mutatio Zupparіorum, quia unus alium in pecunia superavit.

q Zuppæ non remissius quàm pro 18 millio⁹ Marc vendi debēt.

Sequuntur Iura Officialium.

ITem Statuimus Iura Officialium: primo Vicezupparіo datur media Marca qualibet septimana. Item Stigario in Bochnia unus Ferto. Item Stigario in Wieliczka septem gross. Item Pensatori in *W*ieliczka septem grossi, & tertia pars pensæ. Item Pensatori in Bochnia sex grossi, & quarta pars Carbariatus. Item in *W*ieliczka Carbario septem grossi. Item Procuratori in VVieliczka septem grossi, & omnes parvæcutes. Item Procuratori in Bochnia sex gross. Item Pincernæ duos gross. Item Viceprocuratori duos grossos. Item cuilibet Sagittario quatuor grossos. Item Coco quatuor gross. Item Subcòco duos gross Item illi qui lavat scutellas duos gross. Item Portulano duos gross. Item Camerario qui sal furatum tentat quatuor gross. Item Vicethesaurario qui cisticulam portat, duos gross. Item Calefactori duos gross. Item illi qui tegit mensas duos gross. Item illi qui sylvas custodit quatuor grossos.

Salaria cuilibet Officiali septimanatim danda eo numerantur.

Duplicia vestimenta, scot. æstivalia & hyemalia Officialibus dandæ.

§ Item Statuimus omnibus prædictis Officialibus annuatim dari duplicia vestimenta: videlicet æstivalia & hyemalia: & quolibet mense unicuiq; sotulares. § Item Statuimus: quòd quittationes Principum, Nobilium, Dominorum Presbyterorum, & cujuscunq; conditionis extiterint, Zuppario non debent præsentari: exceptis quittationibus salis: quia tunc illas quittationes salis Zupparius tenetur expedire. § Item Statuimus: quòd Demetrius Vicethesaurarius omnes quittationes Principum

Quittātiæ sactis duntaxat per Zupparium sunt expediendæ.

Quitantiæ pecuniariæ per Vicethesaurariū sunt expediendæ.

cipum, Nobilium, Dominorum, ac cujuscunq; conditionis extiterint, in pecuniis debet expedire: & pecuniam Zuppario recipere, & ab omnibus Capitaneis, Procuratoribus totius *Regni* Poloniæ: & illam ad thesaurum deponere, & eam distribuere: prout sibi Dominus *Rex* commiserit, & demandabit.

Centū Marc. pro Capitulo Crac. Centum Marc. pro Capitulo Gnesn.

Sequuntur Iura Dominorum in Zuppis, quæ non debent poni ad rationem.

Præbendarius Zuppæ Bochnen. quolibet quartuali anni, 2, Marc. habeat, & unum vestimentum in annuum famulo.

ITem Capitulum Cracovien. debet habere centum Marcas.
Item Capitulum Gnesnen. debet habere centum Marcas.

§ Item Præbendario in Zuppa Bochnen: videlicet S. Stanislai, quibuslibet quatuor temporibus dantur duæ Marcæ, non plus: & debet habere unum famulum in montibus, & unum famulum ad altare ministrātem. Qui Præbendarius & famulus debet habere vestimentum à Zuppario unum in anno, & nullum equum in Zuppis servare debet.

Plebanus Bochnensis septimanatim unā Marc. habebit.

§ Item, Plebano in Bochnia datur omni septimana una Marca.

Plebanus in Wieliczka unum coretum salis minuti habeat.

§ Item Plebano in Wieliczka, datur omni septimana unus coretus minuti salis.

Plebano de Collocelarii 5 i Marc. cum 8 ulnis panni, & una thunica datur.

§ Item Plebano de Collocelarii dantur quinq; Marcæ cum octo ulnis panni brevis de Thuna.

Plebanus in Niepolomice, quatuor lapides cerę, & totidē sepi annuatim habet.

§ Item Plebano in Niepolomice, dantur annuatim quatuor lapides sepi & totidem ceræ.

Vicarii Eccl. Crac. Cathedral. 66. mensuris salis minuti.

§ Item Vicariis Ecclesiæ Capituli Cracovien. dantur annuatim sexaginta sex mensuræ salis minuti.

Hankoni dicto suis successoribus pro Magistro in Wieliczka super Carbaria 30 Marca, perpetuo dantur annuatim.

§ Item Hankoni dicto Steberim de *W*ieliczka, & suis veris & legitimis hæredibus & successoribus, Iure hæreditario, suo pro Magisterio, ibidem in Wieliczka super Carbaria, damus triginta Marcas singulis annis, temporibus perpetuis duraturis: & ista non debent ad rationem poni.

Sal bancatū pro monialibus Wratislaviēn.

§ Item sal bancatum quod datur monialibus Wratislaviam.

Sal bancatū & minutum, pro Castru R. M. non ponēdū in ratione

§ Item sal in Castra D. Regis sive bancatum sive minutum, ista omnia non debent ad rationem poni.

Nullus Dominorum habiturus censum in Zuppis præterquam in Registro scripti alias collo & bonis privandus.

§ Item in præsentia totius Consilii Dominus Ioannes, Castellanus Cracovien: cum fratre suo Domino Raphaele hærede de Tharnow, mōstraverunt quasdam literas magistratus montium in Bochnia, videlicet super montem Cracov: in quibus literis continebatur: quòd deberent habere septimanatim unam sexagenam grossorum: quæ literæ per Dominum Regem Kazimirum ac totum Consilium omnimodè fuerunt annullatæ. Et ideo præcepit Dominus Rex: quòd perpetuis temporibus nullus Dominorum debet censum habere in Zuppis: nisi illi qui sunt in Registro conscripti, & finaliter per consilium confirmati. Nam illi qui secus fecerint, collo & bonis debent omnimodè privari.

Sequuntur Iura Succamerarii.

Zupparius ratione intro visationis Succamerario debet unũ flamen panni Machlicẽ aliàs decem Marcas dare

ITem Statuimus: quòd Succamerarius quando Zupparium introvisat ad Zuppas, tunc Zupparius ratione sui Officii tenetur sibi dare unum flamen Machlicen: Si verò Zupparius flamen non habuerit: tunc loco flaminis, debet sibi dare decem Marcas.

Succamerarius nõ ad Zuppas, sed hospitium descendat, necessarius hic describitur pro videndus.

§ Item Statuimus: quòd Succamerarius non debet intrare Zuppas, ne ipsas impediat: sed debet descendere ad hospitium: & necessaria sibi per seniores sectores, videlicet una menfura avenæ, octo pulli, sexagena panis, medium quartale carnium bovinarum cum potu debeant ministrari, quia hoc Statutum est: ut Zuppa per eum non impediatur.

Succamerarius nõ iudicet hominẽ in Zuppis manentem.

§ Item Statuimus: quòd Succamerarius nullum hominem in Zuppa permanentem præsumpserit judicare: & nullum equum in Zuppis stabilire, nisi equum sui famuli Camerarii de tribus Marcis. Si idem equus servitijs Zupparum defecerit: extunc Zupparius loco illius equi debet alium ordinare

Equum in Zuppa Succamerarius non stabiliat præter equũ famuli, de tribus Marc. quo deficiẽte Zuppari⁹ alium loco eius ordinet.

§ Item Statuimus: quòd idem Succamerarius ad festum Sancti Iohannis Baptistæ debet eligere consules in Wieliczka, & seniores sectores In Bochnia verò in festo Circumcisionis Domini: & illos iuxta jura eorum judicare.

Succamerarius pro Festo S. Ioannis Baptistæ, cõsules in Wieliczka & seniores sectores in Bochnia verò pro Circumcisionis D. eligat.

§ Item Statuimus: quòd nullus sive sit magnus sive parvus, præsumat Zuppas impedire ac eas intrare: nisi tantummodo Dimetrius Vicethesaurarius cum quatuor equis: dum venerit pro pecuniis Zuppario assumendis, sub pœna colli: & omnium bonorum.

Sequuntur Iura Zupparii.

ITem Statuimus: quòd nullus Zuppariorum de se querulanti debet respondere, nisi coram Domino Rege: dum per ipsius annulum fuerit evocatus.

Nullus Zuppas impediat nec intret, præter Vicethesaurariũ qui inquatuor equis pro pecuniis veniens potest intrare sub pœna bonorũ & colli.

§ Item Statuimus: quòd nullus viventium debet judicare familiam Zuppæ, nisi solus Zupparius.

Sequuntur Iura Sectorum.

ITem Statuimus sic volentes: quòd in utraq; Zuppa, videlicet Wieliczensi, & Bochnensi, tantummodo debent laborare sexaginta sectores, qui nominantur in vulgari *Stolnicy*, famulis hospitalibus inclusis, & non plus. Causa est ista, quòd si plures laborarent, montes sale citius evacuarentur.

§ Item Statuimus: quòd iidem sectores debent laborare continuè à Festo Sancti Martini, usq; ad festum Pentecostes. Si autem necessitas fuerit: tunc debent laborare à festo Sancti Michaelis, usq; ad festum prænotatum.

Zupparius non nisi coram Rege de annulo suo citatus respondeat. Familia Zuppæ, duntaxat per Zupparium iudicanda. Sexaginta sectores, aliàs Stolnicy, in utraq; Zuppa laboribus deputantur, Initium laborum à festo Sancti Martini ad festum Pentecost. necessitate imminente, à festo tandem Sancti Michaelis, ad festum prænotatum.

notatum. Et iidem sectores debent obedire Zuppario & Strigario, quoties fuerit opportunum.

Sector sal destruens per Stigariũ puniendus.

§ Item Statuimus: Si aliquis sectorum rebellisando sal suum destruxerit: extunc Stigarius debet eum punire sibi montes abnegando tam diu, quousq; à Zuppario & Stigario veniam impetrabit.

Tragarius negligens vel rebellis, per Stigariũ puniendus.

§ Item Statuimus: quòd omnes Tragarios rebelles, quotiescunque crimen commiserint, seu laborare noluerint, extunc idem Stigarius debet eos de laboribus destituere, & alios loco ipsorum ad labores ordinare.

Sequuntur Iura Magistrorum Montium.

Magister mõtium nullum censum de Zuppis habiturus.

ITem Statuimus: quòd Magister montium, non debet aliquem censum habere de Zuppis, neq; septimanalem, neq; annualem: nisi tantummodo famulos, quos ab antiquo in montibus habuit: & eos propriis pecuniis salariare secundùm consvetudinem montium, pecuniis quas de bipenne acquisivit. Et Carpentario montium, loco ipsius qui propriis manibus laborat in montibus, debet dari septimanatim unus ferto, cum victu & amictu, prout cæteris Officialibus.

Carpentario septimanatim 1 Fert. cũ victu & amictu debetur.

Duo fornatores in quolibet mõte pr. sale quæ ẽdo ponendi.

§ Item Statuimus: quòd in quolibet monte, debent poni duo fornatores pro sale quærendo: & illud quod per fornatorem in omnibus quatuor angulis acquisitum fuerit, debet observari cum optimis parietibus salis. § Et quando sectores propriis laboribus fecerint: tunc Zupparius unà cum Magistro montium, debet eis fornaces cum parietibus largiri: & nulla munera ab eisdem acceptare: quia illud est donum Dei, & non Magistri montium.

Sectoribus propriis laboribus deferẽtibus.

Zupparius cum Magistro montiũ debet eis fornaces cũ parietib⁹ largiri.

Ad idem.

HArum testimonio literarum quibus Sigillum nostrum est appensum.

Ad idem.

Consiliarii Regni Polon: approbant Statuta per Kazimirum Tertium confirmata: Sigillorum apposítione.

NOs verò Sbigneus, miseratione divina Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli Sanctæ Priscæ Presbyter, Cardinalis, & Episcopus Cracovien. sis, Wladislaus Dei gratia Sanctæ Ecclesiæ Gnesnen: Archiepisc: & Primas. Ioannes eadem gratia VVladislavien: Andreas simili gratia Posnanien: Episcopi Ecclesiarum. Ioannes de Gzyzow Castellanus & Capitaneus, Ioannes de Thanczyn Palatinus Cracovienſis. Lucas de Gorka Posnanien. Ioannes de Olesznica Sandomirienſis, Albertus de Male Lancicien. Ioannes de Krethkow Bresthenſ Palatini. Ioannes de Koniecpole Regni Poloniæ Cancellar. Predborius de ibidem Castellanus Sandomirien. Kreslaus de Kurozwiaki Lublinen. Laurentius Zaręba Siradienſis, Petrus Skora de Gay Calisſienſis, Stanislaus de Ostrorog Gnesnenſis, Nicolaus de Ossolin Woynicenſis, Nicolaus de Wurzymow Brestenſis, Petrus de Czurow Sandecen: Hincza de Rogow Rosperien. & Regni Poloniæ Vicethesaurarii: Nicolaus de Wirbiasko Dobrinen. Gregorius de Branice Radomien. Ioannes de Bnin Miedzyrzecen. Nicolaus de Wisnice, Leopolien. Nicolaus de Zakrzew VVislicienſis, Stephanus de

Oporow Brzezinen. Petrus de Strykow Iuniwladislavien. Ioannes de Bobrka Bieczen. Albertus de Michow Zawichoſtenſis, Nicolaus de Prochnicze Premislien. Ioannes de Kniahnik Halicien. Borko de Oſiczno Naklenſis, Caſtellani: Nicolaus de Brzezie Regni Poloniæ Mareſchalcus, Ioannes de Pilca, Barthoſius Obulecz de Gora Cracovien. Nicolaus de Wiſzmutow Sandomirien. Thomas de Sobotha Lancicien. Iudices. Petrus Szafraniec Cracovien. Ioannes de Czarnkow Poſnanienſis, Nicolaus Powáłá de Magnuſzow Sandomirien. Petrus de Brudzow Caliſſien Ioannes Kuropatwa de Laczuchow Lublinen. Michael de Laſotki Dobrinenſis, Nicolaus Kola Iuniwladislavien. Succamerarii: Ioannes Biezad de Morsko Cracovien. Nicolaus de ibidem Sandomirien. Nicolaus de Noykow Sandecenſ. Vexilliferi. Nicolaus Subjudex Sandomirienſis. Cæteriq; Prælati & Barones, Dignitarii, Nobiles, & Proceres, in hac conventione generali Petricovien congregati: innitentes approbationi confirmationiq; præfati Serniſſimi Domini noſtri Regis, Statutorũ ſupradictorum, Sereniſſimi Domini Divæ memoriæ Regis Kazimiri eadem Statuta velut hic habentur inſerta, per omnia approbantes, in omnibus punctis, articulis, & clauſulis, firmiter attendemus, cuſtodiemus, & ſervabimus: & nunquam illis, verbò aut factô contraveniemus. Vnde & Sigilla noſtra præſentibus juſſimus appendi, in robur firmitatis & teſtimonium omniũ & ſingulorum præmiſſorum. Actum in Conventione Petricoviæ, feriâ quintâ infra octavas feſti Pentecoſtes. Annô Domini 1451. præſentibus Dominis ſupradictis. Datum per manus Magnificorum Ioannis de Koniecpole, Regni Poloniæ Cancellarii, Petri de Szczekocin, ejuſdem Regni Vicecancellarii nobis ſincerè dilectorum.

Similis alia confirmatio prædictorum de ſalinis Statutorum.

Folio 83. IN Nomine Domini, Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Ne error oblivionis, geſtis ſub tempore verſantibus pariat detrimentum: alta Regum & Principum decreverunt conſilia, ea literarum apicibus, & teſtium annotatione perennare. Proinde Nos Kazimirus Dei gratiâ Rex Poloniæ, necnon Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ &c. Ruſſiæque Dominus & Hæres. Significamus tenore præſentium, quibus expedit, univerſis præſentibus & futuris, præſentium notitiam habituris. Etſi ex debito Regalis munificentiæ, ad omnium ſubditorum commodũ & profectum oculô conſiderationis intendere debeamus: propenſior tamen ſolertia circumſpectionis, ad augmentum theſaurorum & proventuum Regni noſtri incumbit: ex quibus Regni & ſubditorum commodis debitè valeamus providere. Cùm igitur Zuppæ noſtræ Bochnen. & Wielicen. pars notabilis, proventuum & theſauri Regni noſtri exiſtit: quæ hactenus propter nimiam & continuam Nobilium, & diverſarum perſonarum frequentationem, & ſalis elaborationem, in notabili ſui parte, deſolationem & jacturam, ſuſceperunt. Quodq; neq; Zupparius, neque ſui Officiales regimini & laboribus intendere valuerunt, hoſpitum volun-

voluntati intenti. Et niſi eis tempeſtivè ſubveniatur, verendum eſt, ne in ruinam & jacturam ponantur. Volentes igitur hujuſmodi ruinæ & jacturæ ſubvenire: ut circumſpecti Principis eſt, ex præteritis habere memoriam & intentè conſiderationis oculum ad futura, & tandem ad ſingula ſalubri diſpoſitione dirigere: ut dum omnia proſpexerit ſapienter, imitantes veſtigia prædeceſſoris noſtri divæ memoriæ, Domini Kazimiri Regis Poloniæ: qui præfatum theſaurum Zupparum, in capite & in membris, ac in omnibus proventibus, ordine, diſpoſitione, & terminis ordinavit, & regulavit: atq; perpetuis temporibus, hujuſmodi ordinationem tenendam, ſervandam, & cuſtodiendam ſtatuit & deſinivit. Ne igitur nos, aut quenquam ſubditorum noſtrorum ab hujuſmodi ſui ordinatione, & diſpoſitione recedere, aut eidem per ignorantiam contravenire contingat, Statuimus: & præſenti edicto, in robur majoris firmitatis, declaramus: ipſius Domini Kazimiri Regis Statuta & ordinationes, quæ in noſtro Regali ſervantur theſauro, in omnibus & per omnia, ſecundùm regulationem & ordinationem ſuam, debeant teneri perpetuis temporibus duraruris. Et quæ quidem Statuta hîc habentes pro inſertis, in omnibus ſuis punctis, articulis, conditionibus, & clauſulis, ratificamus, approbamus, & confirmamus. Harum teſt moniô literarum quibus Sigillum noſtrum eſt appenſum. § Nos verò Wladislaus, Dei gratiâ Sanctæ Gneſnenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, & Primas. Ioannes eâdem gratiâ Wladislavienſis, & Andreas ſimili gratiâ Poſnanien. Epiſcopi. Necnon Ioannes de Czyzow Capitaneus & Caſtell. Cracovienſis: Lucas de Gorka Poſnanienſis, Ioannes de Oleſnica Sandomirienſis, Albertus de Mali, Lancicienſis, Ioannes de Kretkow Bzeſten, Hyczko de Porzany Podoliæ Palatini, Ioannes de Koniecpole, Regni Poloniæ Cancellarius, Predborius de ibidem, Sandomirienſis, Ioannes de Pilca, Stanislaus de Oſtrorog, Gneſnenſis, Nicolaus de Borzymow, Brzeſtenſis, Petrus Skora, Caliſſienſis, Laurentius Zaremba, Siradien: Creslaus de Kurozwiaki Lublinenſis, Nicolaus de Oſſolin Woynicenſis, Petrus de Kurow Sandecenſis, Nicolaus de Wirtzbisko Dobrinenſis, Gregorius de Branice Radomienſis, Ioannes de Bnin Mederzecen. Nicolaus de Wiſnice Leopolienſis, Nicolaus de Zakrzow Vislicen. Stephanus de Oporow Brzezinenſis, Petrus de Strijkow Iuniwladislavien. Ioannes de Bobrka Bieczen: Andreas de Michow Zawichoſtenſis, Nicolaus de Prochnik Præmislienſis, Ioannes de Kniachnice Halicienſis, Borko de Oſieczno Naklenſis, Caſtellani: Barthoſius Obulecz de Gora, Cracovienſis, Nicolaus de Wiſzmutow Sandomirienſis, Thomas de Sobota Lancicienſis, Iudices: Ioannes de Czarnkow Poſnanienſis, Petrus de Oporow Lancicienſis, Petrus de Brudzow Caliſſienſis, Ioannes Kuropatwa Lublinenſ. Michael de Laſotki Dobrinenſis, Nicolaus Kola Iuniwladislavienſis, Succamerarii: Ioannes Bieza de Mokrsko Cracovienſis: Nicolaus de ibidem Sandomirienſis, Nicolaus de Moykow Siradienſis, Vexilliferi: Nicolaus de Pankow Subjudex Sandomirienſis. Cæteriq; Prælati, Barones, Dignitarii, Nobiles, & proceres in hac Conventione generali Petricovienſi

Nomina omnium & ſingulorum Regni Prælatorum. Dignitariorum & Officialium, ſupráſcripta Statuta Zupparum approbantium.

vienſi congregati. Innitentes approbationi, confirmationi, præfati Sereniſſimi Domini Regis Kazimiri eadem Statuta velut hîc habentur inſerta, per omnia approbantes in omnibus punctis, articulis, & clauſulis, firmiter attendemus, cuſtodiemus & ſervabimus: & nunquam illis verbô aut factô contraveniemus: unde & Sigilla noſtra præſentibus juſſimus appendi, in robur firmitatis, & teſtimonium omnium, & ſingulorum præmiſſorum. Actum in Conventione Petricovienſi, feriâ quintâ infra octavas Pentecoſtes. Anno Domini 1451. præſentibus Dominis ſupradictis. Datum per manus Magnificorum Ioannis de Koniecpole, Regni Poloniæ Cancellarii, & Petri de Szczekocin ejuſdem Vicecancellarii nobis ſincere dilectorum.

De Sale forenſi, & advectitio Statutum innovatum.

Ioan. Albert. Petr. 1496. Folio 102.

ITem licèt genitor noſter ſtatuerit, certi tenore Privilegii ſuper ſal forenſe ſcripti, quod terris infertur: quibus non eſſet inferendum, qualiter videlicet arreſtandum, qualiterq; in Arreſtatione agendum eſſet: tamen cum modernis temporibus Officiales excedere viderentur limites ſui Officii, ac Conſtitutionis, & Privilegii illius, nonnihil committentes temerè & injuriosè etiam contra tenorem Privilegii: idcirco Statutum illud, tanquam Officioſum, & rationabile, his noſtris de verbo ad verbũ decernimus neceſſariò inſerendum, ſic videlicet. § Quia conſiderantes theſaurum Regni noſtri communem in Zuppis Cracovien. continuò decreſcere & minui, propter ſalis forenſis & adventitij in Regnum noſtrum, & præſertim partes Majoris Poloniæ licentioſam introductionem, quod incolis illarum partium paſſim & liberè præter veterem ordinationem, ad uſum eorum communem propinabatur, in detrimentum Reipubl. & Zupparum *Wielicen.* & Bochnen. deſtructionem. Igitur cum conſilio communi Conſiliariorum omnium noſtrorum ad Infraſcriptam devenimus Sententiam, & ordinationem: ut ſal *Wielicen.* & Bochnen. Zupparum, per omnes Regni incolas cujuſcunq; ſtatûs exiſtant edatur, & propinetur. Nec quiſpiam extraneum ſal, in domo, vel hæreditate ſua audeat habere, comedere, vel conſervare, ſub pœna 14. Marcarum toties, quoties repertum fuerit, irremiſſibiliter perſolvenda: Terras tamen Ruſſiæ (ubi ſal proprium eſt) hac obligatione & Statuto volumus eſſe exceptas. § Quæ quidem pœnæ per Capitaneos locorum pignoratione mediante exigantur, more conſveto, uſq; ad intromiſſionem in ea bona, in quibus ſal forenſe repertum eſſet: quæ intromiſſio teneri debet uſq; ad integram ſatisfactionem pœnarum & damnorum. § Quòd ſi apud quemcunq; Nobilem, Spiritualem, vel Secularem, cujuſcunq; ſtatûs & conditionis fuerit, quotieſcunque præfatum ſal prohibitum, in domo vel in curia repertum fuerit: ille toties irremiſſibiliter dicta pœna Regali 14. Marcarum puniatur, & ad ſolutionem ejus, modo quo ſupra compellatur. § Si verò apud Kmethonem inventum fuerit toties, quoties id fecerit idem Kmetho pari pœna puniatur: ubi verò mediante pignoratione pœnam ſolvere non curaverit: extunc hæredis contradictione non

Hic inſertum eſt de ſale Statutum: ut cõtinetur in Statuto Kazimiri

Sal advectitium ſub pœna 14. Marcarum, prohibitum, terrã Ruſſiæ exceptis.

Pœnæ ſalis qualiter per Capitaneos exigendæ.

Pœna 14. Marc. in eũ apud quẽ ſed repertũ eſſet.

Pœna contra Kmethonem, pro ſale apud eum reperto.

ne non obſtante (qui aliter ſubditos ſuos tenere debet, ut non ſint pœnales) bona dicti Kmethonis per Capitaneum poterint, & debent confiſcari, ad pœnæ valorem extimanda. Reſiduum verò quod ſupereſſet in bonis relinquatur pro Kmethone. Vbi verò bona Kmethonis non ſufficerent pro pœna ſolvenda: extunc idem Kmetho debet mancipari & vinculis detineri, uſq; ad debitam pœnæ exſolutionem.

§ Caſu verò quo in Civitatibus & oppidis, apud quaſcunq; perſonas, ſal tale compertum fuerit habitum, comeſtum, vel propinatum & conſervatum. Conſules dictarum Civitatum in ſimili 14 Marcarum pœna puniantur, quæ Civitates & oppida, cum eorum incolis enim inter ſe ordinem ſervent: ut extraneum ſal in detrimentum Reipubl. Regni noſtri apud nos non habeatur, propinetur, vel conſervetur, clam vel apertè

In Civitatibus & oppidis, ſi ſal repertum eſſet, eandem debeant pœnam.

Quapropter Nos Ioannes Albertus Rex Decernimus: ut in eo ipſo ordine Decreti paterni, Statutum de ſale obſervetur æviternè. Et ſi illi qui ad recipiendum aliàs arreſtandum ſal pro tempore deputantur, aliter in reperiendo arreſtandoq; ſale, & tranſgreſſores puniendo proceſſerint: extunc Decernimus ſecus facientes, pœna 14 Marcarum puniendos: pro qua coram Palatino Terræ lociq; illius, comparere, reſponderеq; & juxta Decretum ejus illam Palatino ſolvere debeant, more Terreſtris Iuris exigendam. Et ſi impoſſeſſionati fuerint, habebit, & habeat ipſe Palatinus facultatem ipſos captivandi, detinendiq;, tanquam Iuris, æquitatiſq; communis violatores: non mittendo eoſdem, donec aut pœnam illam ſolverint, aut cautionem pro ſe dederint ad ſolvendum.

Arreſtatores ſalu, ſi excederent cõtra Statutum arreſtándo, per Palatinos terræ illius iudicabuntur & detinebuntur: uſq; ad pœnæ ſolutionem.

De non admittendo ſale externo.

NOvas ad inventiones abrogando, de conſilio Conſiliariorum noſtrorum quæ anteactis temporibus conſtituebantur, Theſauro communi ocntrarias, ſalem Cracovienſ. in priſtinum ſtatum & ordinem, Statutis vetuſtis innitentes, reducendũ decernimus, ne Zuppæ Cracovien. periclitentur in detrimentum Reipubl. atq; ideo innitentes vetuſtis Conſtitutionibus, Mandamus omnibus Capitaneis, quatenus debitum Officii ſui exerceant in prohibendo peregrino, & extraneo ſale, quodcunque duceretur ad ea loca: ubi uſus ſalis Cracovienſis eſſe conſvevit ſub pœnis ſuper Capitaneos tam oppignoratos Capitaneatus habentes, quàm liberos jam pridem conſtitutis.

Sigiſ. Cracc. 1510. Fol. 16

De Salis libera, ductura, vendicatione. Item de ciſtis Salis abolitis.

ITem crebris moti querelis, ſubditorum noſtrorum ſuper cariſtia ſalis in Terris Majoris Poloniæ, & Cujaviæ ſæpiùs contingen. tametſi certi vectores, ad certa loca cum ſale minuto ire illudq; vel in ciſtis oppidorũ deponere conſveverunt: tamen abolentes ciſtarum earundem depoſitoria, Statuimus: ut vectores ſalis ubiq; in arreſtis & prohibitionibus: ſa-

Ioan. Alberti. 1496. Folio 104.

le ducto eant, illudq; vel in ciſtis deponendo vel non deponendo, aut in curribus ipſis tenendo, ubi eis videbitur, faciendum, diebus & horis conſvetis, juſto pretio in Civitatibus, Oppidis, atq; villis, vendant emen tibus ubiq;, adeò libere, ut in nullis locis ad ponendum cogi poſſint: ſalvis tamen foralium ſolutionibus pœnam certam 14. Marcarum conſtituen: ab illis, qui aut vecturam, aut venditionem ipſam prohibere niterentur, per nos noſtroſq; Capitaneos exigendam.

De ſale vehendo ad illas terras, ad quas navibus demitti ſolet: quod ut Nobilitati juſto pretio vendatur, Palatini providebunt.

Sigiſ. Petr. 1511. Fol. 19 ITem promittimus copiam ſalis non eſſe devecturos ad omnes illas terras, ad quas navibus deportari ſolet: ut quæque prædictarum terrarũ ſale antiquitus uti ſolito, & nunc copioſè uti poſſit: & ut juſto pretio à Mercatoribus, Nobilitati, & vulgo vendatur, Palatinorum cura erit providendum.

Sal externum ac Marinum, ne in Krayna quoq; & Pałuki inferatur, Capitan: providebunt: Ruthenico verò ſali Bydgoſtiæ depoſitorium: ſimulq; æſtimatio imponitur.

Sigiſm: Bydgoſt: 1520 Folio 27. ETiam innitentes veteri Statuto de extraneo ſale edito, commodo fiſci noſtri Regii & Reipubl. providentes, prohibemus uſum ſalis extranei cujuſcunque, tam Hallen. quam grandinoſi: hoc eſt *Krupiáſtey*: quod per mare adduci ſolet, in locis univerſis terrarum Majoris Poloniæ. In quibus ex antiqua conſvetudine uti ſolitum erat eodem ſale. Deinceps verò ſale noſtro Regio Ruthenico, loco illius extranei utantur: ita tamen quòd Ruthenici ſalis depoſitorium Bidgoſtiæ conſtituemus: ut ex eodem Bydgoſtien. depoſitorio, ad loca illa in quibus extraneo ſale uti ſolitum erat, pretio porrigatur. De quo ita conſtituimus: ut in eodem depoſitorio ſingulæ tunnæ ſalis benè refertæ, tantæ quantitatis, ut ſal noſtrum Regium Thorunij vendi ſolet una ſcil. Polonicali Marca pecuniæ emantur. Quia verò hujuſmodi porrectio ſalis Ruthenici ad depoſitorium Bydgoſtienſe non poterit tam propere fieri, concedimus, & admittimus: ut interim ſale illo ſolito extraneo utantur: quòd illius tándem uſum vetere commiſerimus: & Capitaneis eum ſubmovere præceperimus: utpote cum ſalis Ruthenici ſufficientia huc ad depoſitorium Bydgoſtienſe convecta fuerit. Publicatum verò eſſe debebit ſex ſeptimanis antequam uſus ſalis illius extranei ceſſabit: ut illud omnes dividerent, nec eo amplius uterentur: tali modo, à die publicationis poſt decurſum ſex ſeptimanarum, nemo illud ad Regnum invehere, ſub amiſſione bonorum omnium & mercium ſuarum, & nec quiſquam eo uti audeat: ſub pœna 14 Marcarum pecuniarum, per eos apud quos repertum fuerit, irremiſſibiliter ſolvendarum: Etiam conſiderantes: quòd licet

cet conſtitutum fuerat, ut in Krayna & Pałuki univerſi incolæ, ſale de Zippis Cracovien. uti deberent: compertum tamen haben: rarò, vel potius nunquam ſale ipſo noſtro Cracovienſ. ſed extraneo vulgariter *Krupiaſta* dicto uti, non ſine incommodo noſtro, & gravitate Zupparum noſtrarum. Itaq; ſtatuimus: ut deinceps ipſi ſubditi noſtri de Pałuki, de Krayna ſale noſtro Ruthenico, ad inſtar aliorum ſubditorum noſtrorum, ubi ſal Saxonicum vendi conſveverat, pretio ſuperius expreſſo utantur, ſub pœnis ſuperius expreſſis.

Sal ſolito pretio vendatur: ejuſq; copia eſſe debet.

SAlis venditionem, & ejus adminiſtrationem, recipimus ita nos procuraturos eſſe: ut & ſal pretio ſolito vendatur: & copia illius, quoad fieri poterit, ubiq; habeatur. *Sigiſ. Crac. 1532. A 4.*

SIMILIS. Sufficientia ſalis, omnia dominia noſtra providebimus: juxta Iura eo nomine conſcripta. *Sigiſ. Aug. 1550.*

Attamen tunna ſalis tranſmarini in ſcapham Gedano recipiatur.

TAmetſi verò Statutis Regni prohibitum eſt: ne ſal tranſmarinum in Regnum inferatur: nihilominus indulgentes in ea re ſubditis noſtris permittimus illis: ut in ſcaphis, quæ Gedano revertuntur, ad uſum nautarum ſeu familiæ circa eaſdem exiſtentis, tunna ſalis recipiatur in quamlibet ſcapham. *Sigiſ. Aug. Petr. 1550*

SECRETARIVS MAIOR.

De majori Secretario, & Prærogativis ejus.

PRopter multiplicationem Secretariorum, cùm quilibet Notariorum, ac etiam Cubiculariorum, intrans Regis Cameram, Secretarii nomine ſe appellet, Statutum eſt communi Majeſtatis Regiæ Prælatorum & Baronum conſenſu: Quòd unus ſit ſemper Secretarius, ſciens ſecretas expeditiones publicas: qui etiam ad ea intromittetur ſecreta, quæ Cancellario & Vicecancellario Regni pandentur, qui etiam ſit primus expectans Prælaturarum, Dignitatum, Beneficiorumq;, immediatè Cancellario Regni & Vicecancellario, in talibus & Officiis ſucceſſurus. *Sigiſ. Aug. Petr. 1550.*

Promotionem tamen Cancellarii, Vicecancellarii, & Secretarii Majoris, Rex in ſua reliquit poteſtate.

SÆCVLARIVM CAVSÆ SPIRITVALI IVDICIO NON SVBSVNT.

Vide in Titulo: EVOCATIO è DISTRICTU.

SENATORUM ORDO.

Archiepiscopi Ecclesiarum.

Gnesnensis & Leopolienſis.

Episcopi.

Cracovienſis.	Wladislavienſis.	Posnanienſis.
Plocenſis.	Warmienſis.	Præmislienſis.
Chełmenſis.	Culmenſis.	Camenecenſis.

Ordo Palatinorum Regni.

Castellanus Cracovien.	Siradienſis.	Lublinenſis.
Palatinus Cracovienſis.	Lancicienſis.	Belzenſis.
Posnanienſis.	Brzeſtenſis.	Plocenſis.
Sandomirienſis.	Inowladislavienſis.	Mazoviæ.
Caliſſienſis.	Ruſſiæ.	Ravenſis.
	Podoliæ.	

Palatini in Pruſſia.

Culmenſis.	Mariæburgenſis.	Pomeraniæ.

Castellanorum verò Ordo.

Posnanienſis.	Dobrinenſis.	Camenecenſis.
Sandomirienſis.	Biecenſis,	Czechovienſis.
Caliſſienſis.	Landenſis.	Kruſwicienſis.
Lublinenſis.	Zawichoſtenſis.	Kowalenſis.
Siradienſis.	Sremenſis.	Bydgoſtienſis.
Gnesnenſis.	Roſperienſis.	Rogoznenſis.
Lancicienſis.	Malogoſtenſis.	Ripinenſis.
Sandecenſis.	Naklenſis.	Konarienſis.
Brzeſtenſis.	Brzezinenſis.	Kazimirienſis.
Woynicenſis.	Sandecenſis.	Płocenſis.
Inowladislavienſis.	Polanecenſis.	Warſavienſis.

Ser ipſorum Castellanorum Ordo juſſu Regis Sigiſmundi ita erat conſcriptus.

Posnanienſis.	Rogoznenſis.	Brzezinenſis.
San-	Rado-	Kru-

Sandomirienſis,	Radomienſis,	Kruſvicienſis.
Caliſſienſis,	Zawichoſtenſis,	Oſwiecimenſis.
Woynicienſis,	Landenſis,	Camenenſis.
Gnesnenſis,	Sremenſis,	Spicimirienſis.
Siradienſis,	Zarnov:enſis,	Inowlodenſis.
Lancicienſis,	Malogoſtenſis.	Kowalienſis.
Breſtenſis.	VVielunenſis,	Saulocenſis,
Inowladislavienſis,	Præmislienſis,	Sochaczovienſis.
Leopolienſis,	Halicienſis,	Varſavienſis.
Camenecenſis,	Sanocenſis,	Goſtinenſis.
Lublinenſis,	Chełmenſis,	Wiſnicenſis.
Belcenſis,	Dobrinenſis,	Racienſis.
Płocenſis,	Polanecenſis.	Sieprcenſis.
Cernenſis,	Præmetenſis,	Wyſzogrodienſis.
Ravenſis,	Krzywinenſis,	Rypinenſis.
Sandecenſis,	Czechovienſis	Zakroczymenſis.
Miedzyrecenſis,	Naklenſis.	Ciechanoyienſis.
VVislicenſis,	Roſpirienſis.	Livenſis.
Biecenſis,	Biechovienſis,	
	Bydgoſtienſis,	Conarien. ter. Siradien.

Conarienſis terræ Lancicienſis. Conarienſis terræ Cuiavienſis.

Castellani in Pruſſia.

Culmenſis,	Elbingenſis,	Pomeraniæ.

Generilis Conſiliariorum circa Regem authoritas eſt: quod Rex, abſq; illis, in Republ. nihil faciat.

NE Rex Senatorum ſuorum Conſilium negligat, nunquam nos commiſſuros eſſe: ut non communicato cum Senatoribus noſtris Conſilio, ulla de re quicquam ſtatuamus. *Sigiſ. Augu. 1548.*

Quiſque Officialis ſuum ſpectet Officium.

SIngula Officia ſuis ſunt actibus deputata. *Kazimir. III, in Nieſzowa 1454.*

SENTENTIÆ IVDICII.

Si retractabitur Sententia Iudicis Caſtrenſis, honori Iudicis nihil noceat.

TErreſtrium & Caſtrenſium Iudicum Sententia, ſi quando retractata fuerit: honori & bonæ exiſtimationi ipſorum non nocebit. *Sigiſ. Petr. 1519 Fol. 24*

Ad librum Terreſtrem Actiones, quæ coram Regia Majeſtate peragi ſolent, inferantur.

Sigiſ. Augu. Petr. 1550.

QVia etiam Iure communi, diverſis Officialibus diverſa ſunt negotia adſcripta: quicquid ad Terreſtria negotia, cauſaſve Iudiciales pertinet, quæ in præſentia noſtra peragi ſolent: hoc totum in librum Actorum Terreſtrium inſcribi debet. Alias verò cauſas, & negotia, ad Cancellariam noſtram, juxta veterem conſvetudinem, & Statutum Anni 1538. remttti volumus.

Sententia tranſit in rem judicatam, à quo non ſit Appellatio.

Kaz. Viſlic. 1368. Fol. 20

PEtrus agebat contra Ioannem Iudicem: quòd in cauſa, quam coram ipſo habuit, injuſtam vel iniquam Sententiam contra ipſum promulgaſſet, à qua tamen Sententia, quando ipſam idem Iudex tulit, Petrus non provocavit, nec appellavit, vulgariter *Nie nágánit*. Nos itaq; hujuſmodi Sententiam Iudicis, quæ non fuit aliqua provocatioue ſuſpenſa, uulgariter *Nienágániona*, declaramus tranſiviſſe in rem judicatam: prædictum Petrum, ad pœnam debitam, aliàs pro Iudicibus ſpectantem condemnantes.

De Sententia reprobata.

Sigiſ. 1523. Folio 37.

ITem volumus: Vt dum Sententia redarguta per Iudicium Appellationis, fuerit reprobata: victus appellanti Actori, ſeu victori, ratione expenſarum, tres Marcas pecuniarum exſolvet, quæ aliàs Iudicibus, redargutæ victoriam reportantibus, in vim emendæ ſolvebantur, ita quòd ſi Sententia, à qua appellatum eſt, retractabitur & deſtruetur: extunc appellans ſuas tres Marcas reaccipiet, quòd ſi talis Sententia approbabitur, & confirmabitur: appellans amittet tres Marcas, quas victor accipiet.

Res ſubſidiariæ, ante prolationem Sententiæ adducantur.

Sigiſ. Petr. 1523 Fol. 32.

DEbebit autem Iudex præſidens, à partibus comparentibus, ante Sententiæ prolationem inquirere: an haberent aliqua ſua munimẽta, vel documenta, defenſioneſq; Iuridicas, ad cauſæ proſecutionem opportunas, ne homines ſimplices, ruditate ſua in cauſis ſuccumberent. Et licebit utrique partium introducere res ſubſidiarias, & verbales, & literatorias, ante prolationem ſententiæ.

Et proteſtationes Memorialium ſeu Captioſæ, nullum deinceps ſint robur habituræ: quæ ſolebant fieri ante prolationem Sententiæ: ſed pro re principali decreta, tantummodo Memoriale ſolvatur.

Licebit quoq; utriq; parti, omnia quæ opus habet allegare, reponereq; ante Sententiæ prolationem.

De oblivione judicatæ Sententiæ.

Kaz. Magn. Folio 23.

ADijcientes, quòd quando ſuper judicato dubitabatur, & ad Iudicẽ recipi-

recipiatur, aliàs *Wſtecz*: quòd ſi ille in memoria teneat, qualiter judicavit: ſtatim dicere, vel in craſtinum differre teneatur.

De Sententia iniquè per Iudicem lata, & impugnata.

Kaz. Magni. Folio 31.

CÙm in cauſarum proceſſibus, apud juſtos Iudices, nihil habeat odium vendicare, vel favor uſurpare, timor prævalere, aut præmium juſtitiam evertere: ſed geſtant ſtateram in manibus, æquo libramine lances appendentes: ut in concipiendis & ferendis Sententiis, ſolum Deum præ oculis habentes: ne velut famæ ſuæ prodigi, & perſecutores honoris, contra eorum conſcientiam & Iuſtitiam, per gratiam, aut per ſortes quicquam faciant, partis in gravamen. Propter quod Statuimus: Vt ſi aliquis deinceps Iudex ordinarius, vel delegatus, timore Dei poſtpoſito utiq; Sententiaverit, contra aliquem clientulum, alteri parti ipſum cõdemnando, ſuper hæreditate, aut alia re certa: in Iudicium deducta: & ptopter hoc pars damnata, ad ſuperiorem appellet. Et quia moris eſt in Iudicio Polonicali: quòd Iudex, à quo provocatur, & cujus Sententia per partem impugnatur, non priùs teneatur ſuam defenſare Sententiã: niſi priùs per partem tres Marcæ, aut pelles Mardurinæ ſibi aſſignentur, ut parilitas in pœnis habeatur. Et ſi idem Iudex vinceretur, per partem condemnatam: eidem pelles: aut tres Marcas receptas, cum pœna *Piatnadzieſta*, ſuffuſus rubore ſuo adverſario reſtituat: qui ad ſuperiorem, in falſa pronuntiatione evocavit.

§ Si ſenior frater, per Sententiam Iudicis cauſa cadit: junior eandem Sententiam innovare non poteſt, præſertim ſi præſcriptione temporis probaverit, juniorem præſcripſiſſe. Vide in Titulo, FRATER.

§ Qui Sententias iniquè arguerit Caſtellanorum, ipſorumque Camerariorum, qua pœnâ plectitur. Vide in Titulo CASTELLANUS.

Qui Sententiam Iudicis redarguit.

Kaz. Magn. Folio 32.

STatuimus inſuper: Quòd ſi litigator dixerit, in noſtra noſtrorumque Baronum præſentia, vel abſentia, Iudicantem in cauſa ſua iniquè & perperam proceſſiſſe, vel judicaſſe: Iudex per ſuos collegas, qui ſecum præſiderent, in Iudicio eodem ſtatim probare debebit: quia juſtè & legitimè judicavit. Sin autem arguens de falſo, Sententiam ſuam probare voluerit, ipſum Iudicem (ut præmittitur) iniquè Sententiam protuliſſe: id probare teneatur, per ſex teſtes ſimilis dignitatis, cujus noſcitur eſſe Iudex pro ſe Iudicialiter obtinebit.

De redargutione Sententiæ Subjudicis, Caſtellani, & Iudicum Caſtellanorum.

Kaz. Magn. Folio 32.

SImiliter redarguens Sententiam Subjudicis, non debet audiri: niſi priùs illi tres Fertones, vel pelles vulpinas, curaverit aſſignare, quæ

eidem Subjuditi cedunt: si se justè comprobaverit judicasse. Et id quòd de Iudice præmisimus, & Castellano etiam censuimus sentiendum. Si verò Iudicibus Castellanorum, objiciet aliquis falsitatem Sententiæ, audiri minimè teneatur: donec eis pelles agnellinæ fuerint præsentatæ, quas pro se obtinebunt: si similiter suum Iudicium ostenderint fore justum.

Vnus sit liber Actorum: propter Sententias Iudicii inscribendas.

Kaz. in Nieszowa 1454 Folio 93.

ITem Statuimus: Quòd pro Iudiciis Iustè expediendis, & negotiis in Iudicium deductis scribendis fideliter, fiat unus liber Iudiciorum, seu Actorum, in quolibet districtu. Et dum in aliqua causa, in Iudicium deducta, super aliquo articulo, audita propositione & Responsione, fuerit in Iudicio Sentiatum: quòd illa Sententia, in librum Actorum inscribatur, ut postea super eodem articulo, vel ei simili, Similis Sententia proferatur.

SEPES.

Kaz. Magn. Folio 19.

FRanciscus deposuit querelam contra Egidium: quòd in ipsius hæreditatem & fundum, posuit Sepes: & intra illos Sepes, omnes fructus quos facit & facere poterat, percepit. Egidius autem, respondit: quòd idem Franciscus in eadem villa die ac nocte præsens est, & fuit cum ipso: & per duos annos tacuit: nec unquam admonuit ipsum Egidium unico verbo, pro Sepibus prænotatis amovendis. Nos itaq; attendentes desidiam, seu pigritiam ipsius Franciscj, Declaramus: in hoc casu, ipsi Francisco duorum annorum obstare Præscriptionem.

SERVVS SEV FAMVLVS.

Joan. Alberti Petricoviæ Folio 107.

CÙm verò aliquis homo, cujuscunq; status existens, inculpatus fuerit; quòd ipsius familiaris violentiâ domesticam fecerit: ut scilicet descriptum est, hospitem, uxorem filios, aut familiarem ejus invadens, manu violenta in domo eadem interfecerit: in eo casu illum violatorem, apud suum Dominum, per Nobiles & Ministerialem arrestare decernimus: cum quo taliter inculpato, Dominus suus Ius ministrare tenebitur. Et si personaliter requisitus, Ius ministrare denegaverit: extunc pro eo respondebit Dominus secundùm Iuris ordinem.

§ Idem in Titulo, INVASIO DOMÛS.

Si servitor violator domus fugerit: quid cum Domino est faciendum.

Idem Rex Folio 107.

TAlis autem familiaris si aufugerit: per Nobilesq; arrestatus non fuerit: Dominus suus pro ipso citatus, non aliter se innoxivm de crimine tali expurgabit: nisi Iuramento, per eum cum duobus testibus simul præstito

præstito: Quòd videlicet nec suo scitu, nec consensu, neq; mandato, aut voluntate, crimen id est commissum: neq; dedit aufugiendi occasionem servitori.

Quomodo contra servos possessionatos, vel impossessionatos, invasionis domesticæ, necis, aut vulnerum, aliorumve criminum reos, sit procedendum.

CRebro jam experti, Constitutionem seu Decretum, quod *Ostrogi* nomine inscribitur, subditorum nostrorum rationes gravare: ne deinceps querelis & offensionibus mutuis, aliqua subsit occasio: & ut per æquè diviti, ac pauperi justitia ministretur Statuimus: Vt si quispiam aliquem Dominorum, vel Nobilium, subditorum nostrorum citaverit: quòd scitu, mandato, & voluntate sua, quippiam per servos ministroſq; ejus, ad injuriam sibi factum fuerit: Dominus, seu Nobilis justitiam, cùm ejusmodi servis suis ministrare tenebitur: cùm apud eum fuerint arrestati, per Ministerialem, & Nobiles In defectu verò justitiæ, is ipse Dominus, seu Nobilis Citatus, pro his duntaxat respondere. & se purgare debebit: quæ attinent violentiam domus, & personæ invasionem, vel Nobilis alicujus necem, seu vulnerationem, juxta tenorem Statuti, per Regem Albertum super hac re conditi. De aliis verò injuriis, utputa de percussione, aut vulneratione plebeii alicujus, item de seminum, vel frugum in agris, & graminum in pratis cõturbatione, conculcatione, depastione, & aliis id genus minoris momenti commissis, si alter alterum in hunc modum citaverit: quòd scitu, mandato & voluntate ipsius, aliqua hujusmodi injuria, per unum vel plures servos, non possessionatos, affectus fuerit: Statuimus: Vt qui injuriam passus fuerit, justitiam sibi ministrari à servo, vel plurium servorum Domino postulare: Dominus verò servorum illam ministrare teneatur, si arrestati servi apud Dominum suum, per Nobiles, & Ministerialem Terrestrem fuerint. Quòd si verò inculpati de crimine, unus vel plures cuiuspiam Domini servi, fuerint possessionati, illos Actor iniuriam passus, & non Dominum illorum, de commisso crimine, in Iudicio, & foro competenti conveniet. Sigis. Crac. 1532. A 2.

Famulus aliquem pro Domino in contentione vulnerans, non est culpandus.

Kaz. Magn Folio 18.

ITem Statuimus: Quòd quotiescunq; aliquos, cuiuscunq; conditionis vel status existant, contendere contigerit: & famulus Dominum suum juvando, exempto gladio, vel cultello, aliquem vulneraverit: pro eo indignationem vulnerati, vel amicorum ipsius, nullatenus incurrat.

Qui servi prætereaq; aliæ personæ, possunt sponsione fidei, à Rege vel alia obligari.

Sigis. Crac. 1540.

ITA postulantibus subditorum nostrorum rationibus, Decernimus: Vt

nullus Nobilis noſter, ſponſione fidei per nos obſtringatur: niſi Iure victus, ſecùs erit, in exercitio rei militaris: & ubi Nobis, vel alicui ſubditorum noſtrorum, actio intervenerit, cum ſervitore, factore, adminiſtratore, aut ſubdito ſuo: & ubi Reipubl: cauſa aliquid ſit, contra qvævis agendum.

Sed quicunq; terrigena, ſervos illiberos, ac fugientes retinet: neq; eos in curia Regis viciniori manifeſtat ei, cujus ſunt: cum pœna Piatnadzieſta reſtituit.

Iagello Cracov. & Vartæ 1423. Folio 47.

IN lege imperiali continetur: Quòd ſervi illiberi, aut ancillæ, non poſſunt nec valeant, de manibus Dominorum ſuorum liberari: niſi per eoſdem fuerint manu miſſi, & libertate donati, ſed quia multoties tales illiberi, manus Dominorum ſuorum ſubterfugientes, & evadere volentes apud alienos terrigenas & vicinos latitant, & obſervantur: & ſic tali modo Dominos ſuos poſtponentes, & evadentes, ad propria revertuntur: ex quorum fuga Domini non modica damna percipiunt, ac ſi hæreditatem perderent: cùm ſervos illiberos, Dominus ubi vult locare poteſt, acquirendo hæreditatem novam, per ipſos erigendam. Vnde ſi apud aliquem tales de cætero latitabunt, aut ſervabuntur: idem debet eoſdem retinere, & in curia proximiori Domini Regis proteſtari: quòd tales habent retentos & ſervant. Quod ſi ille facere omiſerit: & Dominus ſervorum, per teſtes approbaverit contra ipſum illiberum Domino, cujus fuerit, ſolvere tenebitur, cum pœna *Piatnadzieſta*.

Servi furem in ſequi nolentes, infames ſunt.

Alexand. in Radom 1505 Folio 116.

CÙm hac tempeſtate familiares ubiq; ſe excuſarent: quia Dominis eorum ad inſequendos fures, maleficos aut hoſtes, non eunt bus, ipſi quoq; eoſdem maleficos inſequi nollent, quo non mediocre dabant patrocinium nequam hominibus, manus evadentibus eorum, per quos cõmodè poterant detineri. Quapropter Statuimus: Vt quicunq; ſervorum, ſive famulantium, jubentibus Dominis, fures & malefactores quoſcunq; inſequi, & apprehendere noluerint recuſaverintq;, perpetuò ſint infames. Qui autem fures inſequentibus, & apprehendentibus, infamiam objcerent: eandem pœnam infamiæ incidant, eo facto.

Servi ſex ſeptimanis ante bellum, veniam abeundi petant.

Ibidem.

QVicunq; ſervientium ſive famulantium, ſub expeditione bellica, aut aliqua alia neceſſitate juſta & legitima, licentiam à ſervitio apud dominum ſuum petierit: & ab eo receſſerit: perpetuò etiam ſint infames. Habebit autem quilibet, ante bellicam expeditionem, ante neceſſitatem Domini ſui, ſex ſeptimanarum tempus, infra quòd, & non celeriùs, à Domino ſuo licentiam à ſervitio petet, & poſtulabit.

Decem

Decem poſtea datæ ſunt hæbdomadæ.

TVm in illa quoq; Conſtitutione, de tempore ſervorum, ſub indicta belli expectatione, aut alia neceſſitate juſta & legiſtima, à Dominis recedere volentium, (quæ ſex ſeptimanas præfinit, petendæ licentiæ diſceſſus à Dominis, ante dictam expeditionem bellicam) ad decem ſeptimanas extendimus. *Sigiſ. Crac. 1507. Fol. 2.*

§ De ſervis, dietim, horatim, aut ſeptimanatim, non annuatim ſervientibus in Civitatibus. Vide in Titulo VAGI.

Si villicus, vel familiaris, de aliquibus rebus furto ablatis, culpatus fuerit: cum ſex teſtibus ſe excuſat.

Kaz. Magn. Folio 30.

PRæterea cùm dominus contra ſuum Wladarium, aut contra alium familiarem, pro aliquibus rebus, vel injuriis moverit quæſtionem: tunc ipſe *W*ladarius, aut familiaris, Domino ſuo non deferendo Iuramentu, teneatur ſe cum ſex teſtibus expurgare.

SIGILLVM.

Filij, dum vivunt patres, proprium Sigillum non habeant, nec portent.

QVia filii cum patribus, una perſona Iurisfictione cenſentur: ideoque Statuimus: quòd viventibus patribus, filii duntaxat Sigillo paterno utantur: & aliud portare, vel habere non præſumant. *Kazim. In Viſlica 1508 Fol. 9.*

De Minuta non Sigillata, nihil probante.

ITem ſimplici Minuta nihil probari poteſt: ſed tantummodo literis, aut Minuta ſub Sigillo, aut libris coram Iudicio. *Conſvetudo terræ Crac. Folio 123.*

SYLVA.

De Sylvis glandariis, fagariis, & porcis.

STatuimus: Quòd quando aliquis habens ſylvam vel mericam à ſe diſtantem, porcos ſuos uel ſcrophas per bona alterius intermedia & vicina voluerit pellere aut ducere ad eandem ſylvam: id facere non poterit per bona alterius niſi per viam quæ ducit ad ſylvam ſuam. Et idem dicimus eſſe per omnia obſarvandum, de eo, qui pro ſuis ſcrophis vel porcis, pro prerio conduxerit, ſylvam glandinibus abundantem, vel fagis: & bona alterius ſunt intermedia, inter ſylvam hujuſmodi vel mericam Is ergo per cujus bona, pecudes hujuſmodi domini, mericæ vel ſylvæ conductoris, pelli debebunt: ex utraq; partæ viæ, ad triginta ulnas: glandes proprias prius colligat ſeu depaſcat: ut ſic prædictus conductor mericæ vel ſylvæ, prædictas ſcrophas vel porcos, abſq; ſuo damno ſeu offenſa, poterit pellere ad eandem. *Kaz Mag. Vislic. Fol 85*

Capiatur pretiosorum lignorum excisor.

Wladislaus Iagel. Cracov. & Varsæ. Folio 46

PRimæva Constitutione, in Capitulo Statuimus &c. noscitur esse observatum. quòd cùm aliquis Kmethonem, vel quempiam in sua sylva arrestaverit, eundē pro prima impignoratione, in securi tantùm pignorabit: prout supra in eodem Capitulo est descriptum. Et quia diversæ sunt sylvæ: inter quas aliquæ reperiuntur, in quibus sunt arbores magni valoris & pretii: ut est taxus, vulgariter *Cis*, & aliæ: His igitur attentis, quia pignora debent præcellere in valore res, pro quibus impigneratur, æquum visum est nobis, & nostris Baronibus: Quòd si aliquis sylvam intrans, tales arbores, vel his similes inciderit: poterit per hæredē & dominum sylvæ capi: ad fidejussoriam cautionem petentibus assignari. Non enim videtur consonum & sufficiens, pro tam notabili damnò sylvæ, pignus recipi: vel solùm in pignore puniri. Et similiter de Gaiis, ubi paucæ sunt sylvæ, observetur.

De aruipyrio, & incendio sylvarum.

Wladislaus Iagello. Folio 47.

FRequenter solet evenire: quòd Nobiles, seu plebeij, Borra, Sylvam, aut Gaijum, dictum *Zapusta* cujuscunq;, ex industria intrantes, aut casu caumatæ, aliàs *Pozarem* succendunt: Si de hoc per Dominum villæ fuerint inculpati: tales non alio Iure, nisi Iure Polonico, sicut incendiarii debent judicari. Et licet honori ipsorum per hoc minimè derogetur: nihilominus tamen convicti, si fuerit Kmetho, & non habet unde solvat, redimat saltem vitam decem Marcis, sicut pro capite plebeij dare est consvetum.

§ Quercum in sylva excidens, qua pœna puniendus: Vide in Tit: QUERCUS.

§ Qui in aliena sylva arbores excindit, qua pœna puniendus, Vide in Titulo eodem.

SCHOLA CRACOVIENSIS.

Wladislaus Iagello Rex, Scholam, seu Gymnasium Cracoviense literarium erigit.

Ex Bibliotheca Academiæ Cracoviensis desumptum est hoc Privilegium

WLadislaus Rex Poloniæ, &c. Significamus: quòd cùm supernæ dispensationis provisione, de gentilitatis erroribus ac tenebris ad lucem, & sui nominis agnitionem, eduxit misericorditer: & tandem ad Regale dignitatis fastigium exaltavit: ad hoc curam nostram diligentiæ præstantis extendimus: ut quos olim in erroris vetusta caligine constituti socios tenebrarum habuimus, signanter indigenas terræ nostræ Litvaniæ, per æssvefactionem & exercitium piorum operum, (sine quibus ipsa Fides vacua esse noscitur) eò magis in filios lucis convertamus, id tamen horum ope pariter & opera, quorum animos in fundamentis Scriptura-

turarum peritos esse noscimus, & artibus virtuosis, Reipubl. stabilitas semper salubribus proficit incrementis. Videmus equidem, & certo certiùs experimur: qualiter Parisia, per congregationem & convocationem peritorum & prudentum, Franciam irradiat: Patavium cum Bononia, totam Italiam clarificat: Prágá Boemiam illuminat: Almaniam Vxonia illustrat, profectò ad hoc summi dispositione præsidii, plurimarum gentium & diversarum Regionum obtinuimus Principatum: & Regni Poloniæ prædicti recepimus diadema: ut ipsum Regnum doctarum personarum studiis illustremus, quorum doctrinis ignorantiæ cæcitate sublata de medio, Regnum nostrum in tempore nostri regiminis felicis, cæteris regionibus possumus coæquare: non dubitantes id ipsum Regni nostri subditis salubriter profuturum, in Civitate nostra Cracovienſi: in qua studium vigeat generale, in qualibet licita facultate, utpote in Theologia, Iuris Canonici, Physicæ, Legum, & artium liberalium facultatibus nominandum eligendum, constituendum, ponendum, ordinandum, & erigendum dignum duximus: & tenore præsentium facimus, & instituimus, temporibus perpetuis duraturum, sitq; ibi scientiarum prævalentium margarita: ut viros producat consilii maturitate conspicuos, virtutum ornatibus redimitos, & variæ facultatis doctrinis eruditos, fiatq; ibi fons doctrinarum irriguus: de cujus plenitudine hauriant universi, literarum cupientes imbui ornamentis.

Hanc Gymnasij erectionem Papa confirmat: sed in eo Theologiam prælegi vetat.

URbanus Episcopus. Wladislao Regi Poloniæ. Cùm nuper tu, ad utilitatem incolarum Regni tui Poloniæ, & aliarum partium vicinarum laudabiliter intendens in Civitate tua Cracovienſi studium generale, in qualibet licita facultate duxeris ordinandum: ac omnibus & singulis, Rectoribus Vniversitatis, Doctoribus, Magistris, Scriptoribus, Stationariis, & eorum familiaribus, ad Civitatem prædictam causa studii hujusmodi se transferentibus, & ibidem morantibus, nonnulla certa Privilegia duxeris liberaliter concedenda: quæ dilecti filii, Consules, Scabini Iurati dictæ Civitatis: perpetuè tenere & inviolabiliter observare promiserunt: prout tam in tuis quàm dictorum Consulum, Scabinorum, & Iuratorum patentibus literis, hinc inde confectis, tucq; magno & ipsorum Sigillis pendentibus munitis, pleniùs continetur: Nosq; tuis in hac parte supplicationibus inclinati, de fratrum nostrorum consilio, per alias nostras literas duxerimus statuendum, & etiam ordinandum: Vt in dicta Civitate studium existat generale: illudq; perpetuis temporibus inibi vigeat: tam in Iuris Canonici, & Civilis, quam alia qualibet licita: præterquam in Theologica facultate, & quòd Legentes & Studentes ibidem, omnibus Privilegiis, libertatibus & immunitatibus concessis Doctoribus, Legentibus, & Studentibus commorantibus in studio generali, gaudeant ac utantur.

Bonifacius Theologiam concedit.

EXhibita nobis nuper, pro parte Regis Wladislai & *Reginæ* petitio, continebat: ut in eorum Civitate Cracovienſi, ex Statuto & ordinatione Sedis Apoſtolicæ, ab olim fuerit, & ſit, in ut roq; Iure, & alia qualibet licita facultate, ſtudium generale. Itaq; pro parte ipſius Regis ac *Reginæ* prædictorum, nobis iterum fuit ſupplicatum: ut in Civitate prædicta ſtatueremus, & ordinaremus hujuſmodi ſtudium generale, etiam in ipſa Theologia: idcirco Statuimus, & ordinamus: Quòd in ipſa exnunc, & ſemper, perpetuis futuris temporibus, ſic ac eſſe valeat, etiam in eadem Theologia, huiuſmodi ſtudium generale. Et nihilominus de uberioris dono gratiæ concedimus: q òd Studentes, & Legentes pro tempore, in ipſo ſtudio, in eadem Theologia, Baccalaureatus, Licentiæ, vel Doctoratus gradum ibidem ſuſcipientes, omnibus Privilegiis, libertatibus, prærogativis, & indulgentiis gaudeant, & utantur: quibus in eadem Theologia, Studentes, Legentes, & ſimiles gradus Pariſiis ſuſcipientes gaudent, ac etiam quomodolibet potiuntur.

Eccleſiæ dotatæ ſunt, propter cultum divinum, & propter doctos retinendos.

Sigiſ. Crat. 1532. B 3. CUm magna pars Reipubl. noſtræ, in ordine ac ſtatu Eccleſiaſtico conſiſtat: Eccleſiæq; Regni noſtri, per anteceſſores noſtros ſint ampliter dotatæ: cum ad divinum cultum peragendum, & manu tenendum tum etiam ad viros literatos, & idoneos, maximè verò Nobiles promovendos: quorum pauci eſſent, quibus vel animus, vel facultas adeſſet literis incumbendi, & alia ſtudia, per quæ emergitur, ſectandi: niſi bona Eccleſiaſtica, non ſolùm facultatem vivendi, ſed etiam opem multis ſe & ſuos ſublevandi præſtarent.

Synodi Petricovienſis decretum, de Lectoribus ſalariis Epiſcoporum fovendis, tale eſt.

Tempore Petri Gamrathi Archiepiſcopi. PRo reformanda Vniverſitate Cracovien. matre noſtra, & proventibus Lectorum augendis, & aliunde vocandis: Legiſtæ, & duobus literarum humanarum profeſſoribus, Reverendiſſimus Dominus Archiepiſcopus Gneſnenſis, inhærendo deliberationi in proxima præterita Synodo factæ, promiſit in hac Sacra Synodo ſe daturum centum ducatos auri in auro, ratione Eccleſiæ Gneſnenſis: ratione verò Eccleſiæ Cracovienſis, ſimiliter centum auri in auro ducatos. Cujavienſis, centum florenos in moneta, per mediam ſexagenam: & Plocenſis ſimiliter etiam centum: Poſnanienſis ſimiliter centum, per mediam ſexagenam: ex decreto & ordinatione Synodi, Reverendiſſimo Domino Poſnanienſi, & reliquorum Dominorum Epiſcoporum Nuntiis conſentientibus, dare & ſolvere

ſolvere debebunt, ad quod Capitula Eccleſiarum prædictarum, conſenſus ſuos præſtare polliciti ſunt: attento, quòd hoc ſanctum propoſitum, in totius Regni utilitatem publicam vergere dignoſcatur. Et quòd abſentes Domini Epiſcopi admoneantur, vigore præſentis Synodi: ut Decretum præſens exequantur, & Capitulorum conſenſus obtineant: ſub pœna centum aurecrum Vngaricalium, per Synodum, ſeu aliàs Reverendiſſimum Dominum Archiepiſcopum à ſingulis exigenda, ad uniùs anni decurſum.

Abbates differunt deliberationem.

DOmini verò Abbates, in eodem Synodo præſentes, propter abſentiam aliorum Abbatum, & Religioſorum, & quòd ea de re cum fratribus ſuis tractatus & conſilia non habuerunt, diſtulerunt hoc negotium in aliam deliberationem, & reſponſionem.

Petetur Regia Majeſtas: ut Lectoribus eliquem cenſum conſignare velit.

DEbent autem Domini Archiepiſcopus & Epiſcopus, precibus ſupplicibus diligenter inſtare, apud Sacram Regiam Majeſtatem: ut ejus Sacra Regia Majeſtas, ad tam ſanctum, & laudabile, ac neceſſarium opus, de ſuis proventibus aliquem cenſum perpetuum, prædictæ univerſitati conſtituat.

In Magiſtros & Baccalaureos promovendi, ſumptibus non graventur: & Academia Cracovien: reformetur.

QVoniam Vniverſitas, ſeu Schola generalis Cracovienſis famatiſſima in amplitudine nominis ſui, propter nonnullas novas & ægrè tolerandas conſvetudines, promovendorumq; ad aliquos gradus inſolitas depactationes, quæ in ipſa hac noſtra tempeſtate, per incuriam temporum pedetentim decreſcere videtur: cum magno dedecore, & jactura Reipublicæ: placuit Synodo: ut Reverendiſſimi in Chriſto Patres Domini, Archiepiſcopus Gneſnenſis, ac Cracovienſis & Præmislienſis Epiſcopi moderni, Cracoviam deſcendentes, reformationem faciant, vigore Brevis Apoſtolici, ad hoc habiti: omneſq; illas ineptias in ea natas tollant, & depellant: faciantq; in omnibus ita bonam reformationem: quò ſchola ipſa priſtinæ claritudini reſtituatur: & Scholares promovendi releventur, ab excogitatis & ſupervacaneis impenſis, circa Promotiones ſuas, & præſertim, ut ordinatio fieret nova, ad Collegiaturas & Lecturas: talis ſcilicet, quæ in eruditione faceret conditionem meliorem. Quòd ſi forſan omnes eò deſcendere non poſſint: duo vel unus eorum id faceret, aut ſi forſan nullus ipſorum eo deſcendere poſſet: deputarent viros aliquos dignos, & doctos, antiquarum conſuetudinum illius Scholæ gnaros, ad hoc faciendum: & quicquid facient, tota Vniverſitas æquo animo ſuſcipere debeat, & teneatur. *Ioannes de Lasko 1523.*

Scholis majoribus Magiſtri & Baccalaurei præficiantur.

QVoniam Eccleſia Dei, ſicut pia Mater, providere tenetur: ne pauperibus, qui parentum, opibus; iuvari non poſſunt, ſtudendi & proficiendi oportunitas ſubtrahatur: ut ſic Reſpubl: & Eccleſia doctrinis illuminetur: & virorum eruditorum ingeniis decoretur: hoc ſacro approbante Concilio, Decernimus: Vt locorum Ordinarii, non ſolùm in Metropolitanarum, Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum Scholis, Rectores, Magiſtros in artibus ſervent, & foveant: foverique, & ſervari faciant: verùm etiam in Oppidis majoribus, & in Oppidis minoribus, Baccalaureos: ubi Magiſtri ſuſtentari non poſſunt. In aliis verò locis inferioribus, Scholares maturos, idoneos, & doctos: providentes, ut Rectores Scholarum ſervent in Scholis, idoneos, benè morigeratos, & minimè licentioſos diſcipulos: quos dirigant bono regimine, & laudabili diſciplina. Si autem aliqui ex eis eſſent incorrigibiles: eoſdem Ordinariis, vel eorum Officialibus deferant puniendos.

Scholaſtici vagi de Scholis pellantur.

SCholares vagos eos ſcilicet qui Scholam derelinquerint remiſſeq; & licentioſè vixerint, ex civitatibus & oppidis eſſe propellendos Statuimus.

De libertate Scholaſticorum.

Cracoviæ 1401. WLadislaus Iagello Rex Poloniæ, &c. Vniverſis & ſingulis, Clericis, Laicis, & Scholaribus, cujuſcunq; ordinis, & conditionis, & ſtatûs exiſtant, & ſignanter Rectoribus Vniverſitatis, Doctoribus, Magiſtris graduatis, Baccalaureis, Studentibus, Scriptoribus, Stationariis, & Bedellis ac eorum familiaribus quibuſcunq;, qui ſe gratia ſtudii in Civitatem prædictam Cracovienſem contulerint, & ibidem moram traxerint, articulos conſcriptos in præſenti Chyrographo contentos, irrefragabiliter tenere promittimus, & ſervare, quos etiam favoribus gratioſis proſequi volumus: ipſoſq;, & eorum quemlibet, in ſuis Iuribus, Privilegiis, Libertatibus, immunitatibus, Statutis, gratiis, & conſvetudinibus ſingulis, quæ in ſtudiis generalibus tenentur & ſervantur, ſervare, tenere, defendereq; volumus, ac tueri: omneſq; & ſingulos Clericos, Scholares, Studentes Laicos, ad præfatam Civitatem Cracovienſem, cauſa ſtudiorum (ut præmittitur) temporibus futuris accedentes, in acceſſu ad eam, & receſſu ab ipſa, cum omnibus eorum rebus, ſcilicet equis, libris, veſtimentis, lectiſterniis, utenſibilibus, pecuniis & ſupellectibilibus, ab omnibus damnationibus, ſolutionibus, paſſibilibus, pontialibus, caſtris, cuſtodiis, Gabellis, Pedagiis pedalibus, decimis & oneribus, quocunq; nomine cenſeantur, ex certa noſtra ſcientia eximimus: ac authoritate Regia liberamus: Volentes: quòd à prædictis Scholaribus ſeu Studen-

Studentibus, qui ſibi per ſe ipſos, per amicos, aut per quaſcunq; perſonas promiſſiones facere voluerint, in eſculentis, ac poculentis, ac victualibus, ad uſum vitæ ſpectantibus, in blandis, frumentis, farina, braſeo, cerviſia terciali, & quacunq; alia, vino, & aliis potionibus, lignis, & aliis neceſſariis, per aliquas terras quas Regni & dominiorum noſtrorum complectitur amplitudo, nulla penitus telonia, & dationes requirantur, ſeu decimæ: nec eos carnifices, piſtores, & molendinatores aggravent, & perturbent: ab ipſis Scholaribus & Studentibus, pro macellis, emolumentis, & piſtrinis, pluſquam à civibus, & incolis Civitatis Cracovienſis exigere & extorquere præſumant. Ne autem ſub habitu & nomine Studentium, à mercatoribus, vel aliis fraus in præmiſſis valeat exerceri: volumus in hac parte, ut juxta qualitatem perſonarum, Iuramento ipſarum credatur: ſi à ducentibus proviſiones hujuſmodi, meritò viſum fuerit exigendum: ut teſtimonia literalia Rectoris Vniverſitatis ſtudii ſupradicti, ab ipſis recipiantur, quibus in hac cauſa, fidem ab omnibus volumus plenariam adhiberi. Præterea ſi aliquis Studentium, aut Scholarium, ad Civitatem Cracovienſem, ratione ſtudii proficiſcens, in terris Regni noſtri, per prædones vel maleficos, ſpoliatus, prædatus, aut damnificatus fuerit, in rebus & bonis ſuis quibuſcunq;, publicè vel occultè: cum plena & totali diligentia operam apponemus, & apponi faciemus: ut prædicti malefici & prædones, per Officiales Regni noſtri inquirantur: & ablata eorundem Scholarium & Studentium, ab eis repetantur. Et ut ordo debitus, & rigor ordinatus, in ſtudio generali Cracovien. per Scholares jugiter obſervetur: Volumus, ut omnes Scholares & Studentes Cracoviam accedentes: ibidem cauſa Studiornm moraturi, proprium Rectorem habeant: qui in Civilibus cauſis ipſos doceat, judicet, habeatq; Iurisdictionem ordinariam ſuper omnes: cui ſub onere Iuramenti, debitam obedientiam præſtare, & honorem exhibere teneantur, nec ullus unquam, in eiſdem civilibus cauſis, Studentes & Scholares Vniverſitatis Cracovienſis, cujuſcunq; ſtatûs & conditionis fuerint, alibi coram Iudice alieno, Eccleſiaſtico vel Seculari, audeat convenire. A ſententia autem Rectoris prædicti nullus appellare valeat, vel ſupplicare: aut reſtitutionem in integrum petere. Et ſi appellatum fuerit: ipſius appellatio non ſuſcipiatur: nec appellans per aliquem Iudicem, Eccleſiaſticum vel Secularem, audiatur: ſed Rectoris ſententia, in ſuis clauſulis inviolabiliter obſervetur. Verumtamen ſi de nullitate, vel injuſtitia, argueretur eadem Rectoris ſententia: per Conſiliarios Vniverſitatis, de ipſius Iuribus & juſtitia cognoſcatur, & quòd Iuridicum fuerit, per ipſos in ea decernatur.

Rector universitatis, ejuſq; Authoritas.

§ Inſuper Rector prædictus, Scholares & Studentes ſuos, in cauſis criminalibus levioribus, utpote pro capillatione, offenſioneq; cum palmo vel pugno, ad effuſionem ſangvinis, ac contentione qualibet non enormi, habeat judicare: nec ob hoc ipſi Scholares & Studentes, vel eo-

Criminales cauſas Studentum quis judicabit.

rum familiares, atq; ſervi, ad extranea Iudicia evocentur, & trahantur. Si autem (quod Deus auferat) Studentes, Scholaris, vel alius prædictorum, in furto, adulterio, ſtupro, homicidio, aut aliquo crimine capitali & ignominioſo, notum ac fuerit deprehenſus: illorum cognitio non debet ad Rectorem pertinere: ſed ſtatim criminaliter deprehenſus Scholaris, ſi Clericus fuerit, ad Epiſcopale Iudicium remittatur: ſi verò Laicus: noſtro Iudicio ſubjacebit. Et jam quilibet Scholaris, Laicus, Bedellus, Stationarius, aut ipſorum familiaris, ſi de crimine homicidii, incendii, adulterii, membrorum mutilationis, aut letali vulnere, vel quocunque nefario exceſſu fuerit accuſatus: extunc non ſecundùm conſvetudinem patriæ, aut *Regni* noſtri, nec ſecundùm Statuta ipſius, ſed juxta leges, per Nos ad Iudicem deputatum, criminaliter accuſatus debebit judicari, quinimo per proborum hominum atteſtationes, ad expurgationem illati criminis admittatur. Porrò ſi aliquis Scholaris vel Studens, aut quicunq; prædictorum, pro quocunque crimine, exceſſivè magno, ſive parvo, fuerit inculpatus: nullus ipſum capere vel retinere audeat: niſi cum Rectoris familia, & de ipſius requiſitione ſpeciali. § Itē ſi Rector contra aliquem, de ſua Iuriſdictione juſtè, proceſſerit: & ſecundùm formam Statutorū, ipſum de univerſitate excluſerit, ſtudiorūq; cōmodis privaverit: ad requiſitionem ipſius Rectoris, talis privatus de civitate utraq; tam Cracovienſi, quàm Kazimirienſi, & alis de novo locandis, & Cracoviæ, & Kazimiriæ in poſterū adjungendis, per Advocatos, Cives & incolas earundem, protinus expellatur: nulluſq; talem in ſuo hoſpitio, aut manſione, ſeu domicilio, audeat colligere, & fovere: vel neceſſaris vitæ, in victu & amictu, aliquid miniſtrare. § Si autē Scholaris, vel Studens, vel alius de prædictis, ſententiæ vel mandato Rectoris non paruerit: & Rectori ſuo contumax fuerit, & rebellis: ád requiſitionem ejuſdem *Rectoris*, teneantur Advocati & Conſules civitatum prædictarum, eorum familiam mittere, ad dicti rebellis pertinaciam compeſcendam. Hæc autem Statuta in præſentibus literis contenta, ſub pœna decem marcarum Groſſorum Pragenſium, quæ fiſco Scholarium debent applicari, Statuimus firmiter obſervanda. quæ pœna Statutorum præſcriptorum, & ſubſcriptorum punire volumus tranſgreſſores. § Statuimus etiam: ut quotieſcunq; aliquos Scholares, in qualibet facultate, per Doctores ſeu Magiſtros, ad privatum examen, more conſvero poni contigerit: ſuper illos Cancellarius noſter, qui tempore fuerit, tanquam ſupremus, approbandi ipſum examen omnimodam poteſtatem habebit.

Extluſus à Rectore, pellatur Cracoviæ,

Contumax reprimendus

Cancellarii Academiæ poteſtas.

Campſor Studioſorum. Iudæus.

§ Item ordinabimus prædictis Scholaribus unum Campſorem, vel Iudæum, in Civitate Cracovienſi: qui habebit ſufficientem pecuniam, ad mutuandum ipſis, ſuper bonis oppignorandis, qui de uſura non plus exiget, niſi unum groſſum de Marca qualibet infra menſem. § Demum Statuta, per Doctores & Magiſtros Vniverſitatis prædictæ Cracovienſis

Statuta Vniverſitatis cōfirmantur.

condenda, quæ hìc non poterunt contineri, quæ in aliorum Studiorum Vniverſitatibus juxta poſſibilitatem ſervari poterint, volumus pro ipſorum ſtudio confirmare. § Et ut Doctores, Magiſtri, Licentiati, Baccalaurei, Studenteſq; Vniverſitatis Cracovienſis prædictæ, eorum Lecturas, Exercitia, & Actus doctrinarum, liberiùs & magis commodè valeant & poterint exerceri: pro habitione Magiſtrorum, & pro quotidiano & communi congreſſu Studentium, & Scholarium Vniverſitatis Studij prædicti Cracovien. domum noſtram, quæ Stephani *Pancyrz* fuerat & vocabatur, quam & Gerſdoff olim Civis Cracovienſis habebat, in platea Sanctæ Annæ ſitam, prout in ejus latitudine, longitudineq;, & amplitudine eſt limitata & diſtincta, decrevimus aſſignandam: ipſam ab omnibus ſolutionibus, tributis, exactionibus, judiciis, juribus, & conſvetudinibus, impoſitione onerum, & angariarum liberantes, quàm univerſitati prædictæ appropriamus, incorporamus, adjungimus, perpetuè & in ævum: nihil Iuris in ea & dominii, pro nobis & ſucceſſoribus noſtris, reſervantes, quam eiſdem Iuris libertatibus, & gratiis, & ſignanter in libertate fugitivorum, & aliis, quibus Deo dicatæ fruuntur Eccleſiæ, uti frui volumus, & gaudere: per ipſos Doctores, Magiſtros, & Collegiatos, tenendam, habendam, & temporibus perpetuis poſſidendam.

Domus Collegii erigēdi.

Friderici autem Imperatoris ea eſt, de prærogativa Scholarium Conſtitutio.

OMnibus, qui cauſa Studiorum peregrinantur Scholaribus, & maximè divinarum atq; ſacrarum legum profeſſoribus, hoc noſtræ pietatis beneficium Indulgemus: Vt ad loca, in quibus literarum exercentur Studia, tam ipſi, quàm eorum nuntii veniant, & in eis ſecurè habitent. Dignum namque exiſtimamus: ut cùm omnes bona facientes, noſtram laudem & protectionem omnimodo mereantur: quorum ſcientia totius illuminatus Mundus, & ad obediendum Deo, & nobis ejus Miniſtris, vita ſubjectorum informatur, quadam ſpeciali dilectione eos ab omni injuria defendamus. Quis enim eorum non miſereatur: qui amore ſcientiæ exules facti, de divitibus pauperes ſemetipſos exinaniunt: vitam ſuam multis periculis exponunt: & à viliſſimis ſæpè hominibus (quòd graviter ferendum eſt) corporales injurias, ſine cauſa perferunt? Hac igitur generali, & in perpetuum valitura Lege Decernimus: Vt nullus de cætero tam audax inveniatur: qui aliquam Scholaribus injuriam inferre præſumat, nec ob alterius cujuſcunque Provinciæ delictum, ſive debitum, (quòd aliquando ex perverſa conſuetudine factum audivimus) aliquod damnum eis inferat. Sciturus hujuſmodi ſacræ Conſtitutionis temeratoribus, & etiam ipſis locorum Rectoribus, qui hoc vindicare neglexerint, reſtitutionem rerum ablatarum ab omnibus exigendam in quadruplum: notaq; infamiæ, eis ipſo Iure irrogandæ, dignitate ſua ſe carituros in perpetuum, Verumtamen ſi litem eis quiſpiam, ſuper aliquo

In Codice Capit. 4. Fol. 143.

quo negotio movere voluerit: hujus rei optione data Scholaribus, eos cotam Domino, vel Magistro suo, vel ipsius Civitatis Episcopo, quibus hanc Iurisdictiobem dedimus, conveniat, qui verò ad alium Iudicem eos trahere tentaverit: etiamsi causa justissima fuerit, à tali conamine cadat.

SCVLTETVS.

Sculteus non vendat potentiori Sculteiam suam, absq; consensu Domini.

Kaz. Vislic. 1368. Fol. 30 CUm Officium Sculteorum, semper existat servile: & ad nutum Dominorum suorum, stare, & facere jurè teneantur: indecens est, ut majores & potentiores personæ, in Sculteias aliquas, præter Dominorum voluntatem assumantur, idcirco fuit visum nostris Baronibus: ut nullus Miles, aut alius quicunq; illustris, emat aut acquirat sibi, in aliqua villa Sculteiam: præter illius villæ possessoris, sive Domini, sive Patroni, voluntatem. Factam autem emptionem contra hoc Statutum, decernimus irritam & inanem.

De Sculteto inutili ac rebelli.

Wladislaus Iagel. Cracov. & Varie. 1423 Folio 46 INutilem Sculteum Dominus in hæreditate habens, aut rebellem Dominus potest recipere Sculteiam suam, & vendere. Qui si emptorem non habuerit, nec habere poterit: tunc ille hæres, cum dicto Sculteto, debebunt & tenentur accedere ad Iudicium Terrestre: & recipere duas eligendo personas sagaces, neutri partium suspectas: qui valorem Sculteiæ ad summam taxantes, unam eidem Domino, seu hæredi solvere nuntiabunt, & sic Dominus soluta taxa illa pecuniali, pro se Sculteiam obtinebit.

Eadem lex corrigitur, in verbo Recipere.

Sigis. Crac. 1511. Fol. 18 ITem errorem in Statuto, de inutili Sculteto, justa interpretatione corrigere volentes, Statuimus: ut pro verbo Recipere, verbum præcipere ponatur.

Sculteti, Advocati, & Molendinatores, Sculteias, advocatias, & molendina sua, absq; consensu Dominorum suorum, cuiquam alienare & obligare non debent: sub amissione summæ, in eis descriptæ, Domino vel Regi cessuræ.

Sigismundus 1510. Fol. 15 SÆpenumero Advocati, Sculteti, Molendinatores, Iuri Dominorum per ignorantiam detrahere consveverant: & vendebant, veloppigno rabant, Advocatias, Sculteias, & molendina, in toto vel in parte, absq; consensu Dominorum suorum: Quapropter Statuimus: ne hoc amplius facere audeant: sub amissione summæ, pro qua vendiderint, vel oppigno raverint

raverint: fisco Domini sui, in bonis verò nostris, nobis applicandæ. Petentibus autem ad oppignorandum Consensum, non negabimus sine tamen incommodo nostro. Et Cancellaria non amplius debet recipere à Consensu, quàm à centum Florenis quindecim grossos.

Sculteti vel Kmethonis à Domino profugi, & quater ad Iudicium vocati, nec redeuntis, bona per Dominum loci accipiantur, & quid faciendum sit si possessori sculteiæ minetur.

CUm autem Sculteus, vel Kmetho, de agro & hæreditate sua, absq; culpa Domini fugerit: talis profugus debet per Dominum, in Iudicio majori & bannito, ter, & ex superabundanti quarto, ut ad suam redeat hæreditatem evocari, qui si non redierit taliter vocatus; Dominus villæ cum Protestatione poterit suam hæreditatem per alium locare: Contumacia illiusnon obstante. Etsi is profugus minas incusserit possessoribus agrorum qualescunque: tenebitur Dominus, sub quo degerit, requisitus, Ius Polonicale poscentibus cum eo ministrare: aliàs ille sub quo fuerit contradicens, pœnam *Piatnadziesta*, incurret, toties, quoties contra hanc constitutionem fecerit quoquo modo. *Wladislaum Iagello. Folio 46.*

Sculteti omnes, Spiritualium & Sæcularium, militent.

QVia onus, præsertim quod omnes tangit, inter plures divisum facilius deportatur: quapropter Statuimus: Quòd indifferenter omnes Sculteti, tam Spiritualium quàm etiam Secularium personarum, juxta ipsorum facultates, ad quamlibet Expeditionem nobiscum transire teneantur. *Kazim. in Vislica 1368 Fol. 10.*

Sculteti Spiritualium, nisi liberentur Privilegio, ad Expeditionem bellicam eant.

VIsum est: ut si probatum fuerit, Sculteos Spiritualium teneri ad Expeditionem bellicam, Sculteti eorum sint obligati deinceps nobiscũ in bellum proficisci, præter eos, qui Privilegiis essent ab expeditione exempti & liberati. Quæ Privilegia Domini Spirituales, in Synodo proxima, postquam præterita (propter mortem Domini Archiepiscopi) effectum sortita non est, se recensere promiserunt: & illa postmodum in Conventu generali Regni, proximè post Synodum futuro exhibebunt. ut ex illis fiat cognitio, de immunitate Sculteorum, seu Advocatorum: vel obligatione, ad præstandam, & sustinendam bellicam expeditionem. *Sigis. Petr. 1538 C 1.*

§ SIMILIS. Quia ubi est major hominum copia, ibi vis potentior: renovando antiqua Statuta, Statuimus: Vt ex Sculteiis & Advocatiis bellicum servitium fiat: idq; tam ex his, quæ possidentur ab ipsis: quàm ex his, quæ exemptæ sunt. Nihilominus in futuris Comitiis, Spirituales hoc docere debent: an Sculteti & Advocati eorum, à bellico servitio liberi sint: juxta Statutum Anni 1538. quod quidem si non fecerint *Sigis. Augu. Petr. 1550.*

rint: extunc Sculteriæ, & advocatiæ eorum, ad profectionem bellicam jam tenebuntur & erunt obligatæ.

SCOPVLVS.

Disiectorum Scopulorum pœna, & satisfactio.

Sigis. Petr. 1523. Fol. 40 SI quis autem Scopulos erectos, vel alia signa metalia, vel in parte, vel in toto disiecerit, annihilaveritq; violenter: talis violator à quolibet Scopulo aciali, luet parti contra se agenti, per tres marcas pecuniæ usualis, ab aliis verò Scopulis disiectis, & signis quibuscunq; metalibus destructis, & annihilatis, luet per sex Scotos.

Ibidem. § Et nihilominus idem violator teneatur Officium Succamerarii, ad locum granicierum violatarum, sumptibus suis educere: & eosdem limites à se disiectos restaurare, & de novo exigere, quod facere tenebitur, post avisitationem per Ministerialem, & Nobiles, ex parte talem injuriam passi infra octo septimanas: sub pœna 14. Marcarum parti & totidem Iudicio succumbenda: Qua pœna soluta, in aliis octo septimanis tenebitur Granicies, ita ut præmissum est, restaurare, & sic, toties quoties ipsa granicies restaurare tenuerit, & noluerit: toties 14. Marcas præfatas, parti & totidem Iudicio succumbet ad solvendum, in quibuslibet octo septimanis.

Inofficiosè erigens Scopulos, quam pœnam luit, & quomodo satisfaciat.

Sigis. Petr. 1523. Fol. 41. SI quis in alieno solo, sive aliena hæreditate, sine Succamerario & ejus Officio, signa granicialia suapte sponte, & temerè erexerit, & fecerit: talis etiam pari modo, à quolibet Scopulo aciali tres Marcas: & ab aliis, per sex Scotos (prout supra) succumbet ad solvendum. Et nihilominus Scopulos, & signa omnia metalia, taliter inofficiosè facta, officiosè per Officium Succamerarii destruet, dissipabit, annihilabit: ita ut in posterum nullum præjudicium, parti injuriam passæ, ex eorum vestigiis evenire possit, quod facere tenebitur, sub pœna 14 Marcarum parti, & Iudicio totidem. Et similiter contra talem proceditur, in octo septimanis: prout & contra violentum destructorem Granicierum, ut supra descriptum est.

Scopulos tres, vel signa notabilia, si quis ostenderit: ad probationem per Succamerarium admittatur.

Iagel. Cracoviæ 1423. Folio 44. DE limitibus autem nostrorum Nobilium, taliter duximus providendum: Quòd si contigerit aliquem litigantem pro limitibus, docere: vel ostendere scopulos, dictos *Kopce*, ad minus tres, aut alia signa notabilia, in campis, vulgariter *Wyazdy*: in sylvis verò signa, ad instar crucis facta, ut est moris: extunc Succamerarius noster, illum qui meliora &

ora & notabiliora signa seu scopulos ostenderit, discernens sub honore & conscientia, debebit & tenebitur mittere ad probandum. Vbi autem utraq; pars, Signis notabilibus inter hæreditates caret: extunc Actor ad probationem Limitum, cum testibus, prout de Iure est, admittatur.

SCRVTINIVM.

Scrutinium Regi reservatur. Scrutatores autem jurati sint.

SCrutinia, Statuto Regis Ioannis Alberti, personæ tantùm Regiæ sunt credita, circa quæ nos ita conservabimus: sicut Statuto describitur. Scrutatores autem jurati esse debent, sub quo Iuramento debent scrutari diligenter, ab hominibus Iuramento obligatis, veritatem rei, seu facti. Sigis. Aug. 1530.

§ De scrutinio homicidii, Vide in Titulo HOMICIDIUM.

§ De scrutinio expulsorum de bonis, Vide in Titulo: EXPULSIO.

SPIRITVALES.

§ Hîc etiam omnia de Ecclesiis vide.

Quia Ecclesiæ dotatæ sunt, propter Dei cultum augendum, & doctos viros fovendos: Cortisani, Pensionarii, Reservatores. &c. ejusmodi puniantur.

Cùm magna pars Reipub. nostræ, in ordine & statu Ecclesiastico consistat: Ecclesiæq; Regni nostri, per antecessores nostros sint ampliter dotatæ: cùm ad divinum cultum peragendum, & manu tenendum: tum etiam ad viros literatos & idoneos, maximè verò Nobiles promovẽdos, quorũ pauci essent, quibus vel animus, vel facultas esset literis incũbendi, & alia studia, per quæ emergitur sectandi: nisi bona Ecclesiastica, non solùm facultatem vivendi, sed etiam opem multis se & suos sublevãdi præstarent. Vnde Nobilitas Regni, quæ potissima est istius Regni portio, & cujus domus ac familiæ partim multiplicatione prolis, partim etiam aliis eventibus, plerumque extenuari solent, præcipuum habeat status & provectionis suæ subsidium & adjumentum: ac cum successu temporis, multi indigni homines, variis artibus, & præsertim Romanis impetrationibus, se se ad sacerdotia ingererent, ac illa viris dignis & idoneis præriperent: antecessores nostri multiplicibus statutis & pœnis gravissimis collationes suas & subditorum suorum Secularium, asseruerunt, ac defenderunt. Sed cùm ordinarii Regni nostri, qui & magis debent statui, & dignitati Ecclesiasticæ prospicere: & melius sciunt personas Spirituales Ecclesiæ & Reipubl. idoneas eligere, hactenus nihil haberent præsidii, quo suas collationes & provisiones saltem in mensibus suis, adversus Romanas multiplices reservationes, accessus, regressus, Sigis. Crac. 1532. B 3.

& coadjutorias, aliaq́; id genus impedimenta, tueri poſſent: unde lites & expilationes multarum facultatum ſequebantur: nos inter alia quæ toto tempore felicis noſtri regiminis, in Regno noſtro reficienda curavimus: hanc iudignitatem & incommodum, tam Eccleſiarum quàm etiam Reipubl. conſiderantes, magna cura egimus, apud Sanctiſſimum in Chriſto Patrem, & Dominum Clementem Septimum, Sanctæ Romanæ ac Vniverſalis Eccleſiæ Summum Pontificem: ut quod nonnulla alia Regna & Provinciæ, pro magno & ſingulari haberent Privilegio, ac diligentiſſimè obſervarent: ejus ſanctitas nobis & Regno noſtro, cùm de ſede Apoſtolica, tum etiam de univerſa re Chriſtiana bene merito concedere dignaretur: ut videlicet Ordinarii, aliæq́; perſonæ Eccleſiaſticæ perpetuis deinceps temporibus haberent viciſſim cum ipſa ſede Apoſtolica ſex menſes liberos: in quibus nullæ qualeſcunq́; reſervationes, nulli acceſſus, regreſſus, ac coadjutoriæ, aliaque impedimenta ex curia Romana proviſionibus & collationibus ipſorum obſiſtere aut illas impedire poſſent. Quòd tandem Privilegium de gratia ac benignitate ejus ſanctitatis obtinuimus, ampliſſimis quidem rationibus & clauſulis roboratum, prout ex tenore ipſius clariùs conſtat. Cujus exempla ad omnes Eccleſias Cathedrales ſub Sigillo noſtro tranſmiſimus. Quia tamen eſt multorum hominum temeritas, tanta rerum & temporum varietas, ut nihil tam ſolidi obtineri ac ordinari poſſit, quod non turbetur & labefiat in poſterum: niſi vi & poteſtate Principũm defendatur ac manu teneatur. De conſilio ac conſenſu unanimi omnium, tam Conſiliariorum quàm etiam Nuntiorum terrarum *Regni* noſtri ſtatuimus & decernimus, perpetuis temporibus obſervandum: quòd quicunq́; adverſus Privilegium hoc tam ſalubre, & tanto labore & cura noſtra obtentum, per derogationes, aut quoſcunq́; alios modos quidquam committere per ſe, vel ſummas perſonas, aut quovis alio prætextu ſeu colore, illud in parte vel in toto infringendo, vel contra id aliquid tentando auſu temerario præſumpſerit: vel contra illius diſpoſitionem beneficium quodcunq́; Eccleſiaſticum, acceptaverit vel acceptare voluerit: vel penſionem quamcunq́; ſeu aliquam quottam ex proventibus beneficii per eum impetrati vel acceptati ſibi reſervari procuraverit: cujuſcunq́; ſtatus, conditionis, præeminentiæ, & dignitatis exiſtat, pœnis in Statutis Sereniſſimorum Ioannis Alberti, & Alexandri, *Regum* Poloniæ germanorum & anteceſſorũ noſtrorum contra plebeos ad majores Eccleſias ſe recipi procurantes, & alios Imperatores Cortiſanos editis, ſubjaceat ipſo facto: quippe omnium bonorum ſuorum communium & privatorum, mobilium & immobilium ſecularium, ærario ſeu fiſco, & menſæ noſtræ applicandorum privatione: Eccleſiaſticorum verò arreſto & confiſcatione: & præterea extra *Regnum* & dominia noſtra bannitione & proſcriptione puniendus. Ne autem extraneis perſonis contra hoc Privilegium aliquid tentandi via pateat, ſi per ſubmiſſas perſonas illi contraveniendi facultas relinquere-

queretur, ſtatuimus & decernimus: ſimili pœnæ & mulctæ ſubjacere, & eo modo eſſe puniendos omnes & ſingulos Prælatos, Spirituales & Seculares, ac Capitula tam Secularia, quàm *Regularia*, Abbates, Canonicos, Plebanos, Vicarios, beneficiatos, & quoſcunq́; Presbyteros omnium Eccleſiarum: necnon Tabelliones, Notarios, & quaſvis alias Eccleſiaſticas & Seculares perſonas Regni noſtri, & alias undecunq́; exiſtentes: quæ literas quaſcunq́; ſupraſcripto Privilegio Regni noſtri, & præſenti ordinationi contrarias perſonis externis ſive indigenis & aliis quibuſcunque, cujuſcunq́; gradus, conditionis, & præeminentiæ exiſtant, & quacunq́; profulgeant dignitate, alias proviſiones in vita, reſervationes cum penſionibus, ſurrogationes, & quoſcunq́; proceſſus de ſuper obtentos in ſe continentes, portarent, afferren:, & publicarent, palàm & privatim: aut qui penſiones hujuſmodi celando illas, ſummarè pecuniis redimerent, & ceſſiones vel reſignationes beneficiorum ſeu Iuris ad illa competentis ſuſciperent, vel acceptarent: ſeu qui monitorio cenſuras, procurationes, & ſequeſtra, contra proviſos ordinariorum ob non ſolutionem penſionum, etiam metu proprio reſervatarum, in ſe continen: quacunque auctoritate data, admitterent, aut exequi præſumerent, vel talium fautores, Executores, Procuratores, aut quoſvis ſolicitatores promovere, fovere, vel illis auxilium opemve aliquam præbere auderent: vel talia fieri promoverent: pœnis ſupra expreſſis ſubjacent, per l corum Capitaneos ſub pœnis in negligentes Capitaneos conditis, contra tales temararios tranſgreſſores irremiſſibiliter exequen. Datum in Conventione generali Cracovienſi, die Sanctorum Fabiani & Sebaſtiani Martyrum. Anno Domini M. D. XXXII. *Regni* noſtri Anno XXV.

Ad Mandatum Regiæ Majeſtatis proprium.

Ne Spirituales Iudicijs Secularibus ſe immiſceant.

PEtitionibus Nuntiorum Terreſtrium permoti, & ad ſopienda odia, quæ adverſus Eccleſiaſticos viros, ob quorundam inſolentiam, apud ſeculares excitari contingit, Statuimus: Vt Eccleſiaſtici viri, Beneficiati, aut Sacerdotes, non ſe immiſceant deinceps Iudiciis Secularibus, neque cauſas procurent, & promoveant Secularium perſonarum neq́; Officia Notariorum, aut Vicenotariorum in Secularibus Iudiciis obeant: ad quos per Iudices Terreſtres non admittantur. Exceptis cauſis propriis, aut aliarum Spiritualium perſonarum: in quibus agendi procurandiq; liberam habeant ubiq́; facultatem. Verùm Capitaneis licebit habere Notarios Spirituales: quandoquidem ipſi, pro exceſſu Notariorum reſpondere tenebuntur, & erunt aſtricti. In Iudiciis autem noſtris, in præſentia noſtra, dum ipſi perſonaliter Iudicio interfuerimus, licebit Spiritualibus perſonis nobis aſſidere, & Conſilia præſtare. *Sigiſ. Petr. 1538. B. 4*

Differentias Spiritualium & Secularium, Rex ſopit.

Kazim. in Nieſzowa, Fol. 93. ITem promittimus: Quòd quàm citò, Deo dante, de Expeditione in terras noſtras nos reverti contingat: omnes differentias, inter Spirituales & Seculares exortas, in Conventione generali ſopiemus.

Coram Archiepiſcopo gladium ſtringentis, pœna.

Kaz. Vislic: 1368. Fol: 39 SI verò coram Domino Archiepiſcopo, gladium vel cultellum extraxerit: ſive vulneraverit, ſive non: pœna *Siedmnadzieſta* puniatur, eidē Domino Archiepiſcopo applicanda.

Coram Archiepiſcopo turpia verba proferentis, pœna.

Kazimirus Vislic. 1368 Folio 39. SI quis verò turpia coram eo protulerit: pœnam eidem Domino Archiepiſcopo, *Piatnadzieſta* perſolvat.

Si Sacerdos occidatur, capiatur, vulneretur, aut detineatur.

Iaroslaus Gneſnen. Archiep. Fol. 54 PRæterea ubi Clericus Ordinatus, vel Presbyter eſſet occiſus, captus vulneratus, vel detentus: illius loci Eccleſia, vel Eccleſiæ, ſi fuerint plures, à Iure ſint interdictæ, & ideo in eiſdem Divinum Officium non debet celebrari: quouſq; malefactor Domino Epiſcopo tradatur. Qui ſi comprehendi non poterit: tunc habitatores ejuſdem loci præſtabunt Iuramentum: Quòd malefactorem deprehendere non potuerunt: nec occaſionem effugiendi dederunt, extunc Ordinarius tollet interdictum à Iure ſtatutum. Et nihilominus malefactor ſit proſcriptus: & per quēcunq; rapi poterit, Domino Ordinario tradatur, & omninò excommunicetur.

De eodem, Bodzanta Epiſcopus Crac. conſtituit.

Folio 57. PRæterea ubi Clericus ordinatus, vel Presbyter eſſet occiſus, vulneratus, captus, vel detentus: illius loci Eccleſia, vel Eccleſiæ, ſi ſint plures, Iure ſint interdictæ, & ideo in eis Divinum Officium non celebretur: quouſq; malefactor Domino Epiſcopo tradatur. Qui ſi reprehendi non poterit: tunc habitatores illius loci præſtabunt Iuramentum: Quòd malefactorem detinere nequiverunt, nec occaſionem aufugiendi dederunt, demum Ordinarius tollet Interdictum, & Iure ſtatutum. Cūm tamen nihilominus malefactor ſit proſcriptus: & per quemcunque rapi potuerit, Domino Ordinario ipſemet tradatur, & excommunicetur.

Rectores Eccleſiarum à Sacramentis pecunias non exigant.

Bodzanta Epiſc. Fol. 57. REctores quoq; Eccleſiarum, pro Sacramentis Eccleſiaſticis, quæ gratis miniſtranda ſunt, nihil exigat, aliàs ipſos graviter puniemus. § Archiepiſcopus Gneſnenſis Iaroslaus, inter Dominum Regem Kazimirum

& Bodzantam Epiſcopum Cracovien. de Decimis quemadmodum decrevit: Vide in Titulo DECIMÆ.

De viſitatione per Archidiaconos.

Ibidem. PRohibemus etiam Archidiaconis, Præpoſitis, & aliis Prælatis noſtræ Diœceſis, Iuriſdictionem habentibus: ut viſitando non excedant evectionum numerum, à Iure diutiùs inſtitutum: neq; in tempore viſitationis, pecuniam exigant à ſubjectis.

Seculares res, ad Iudicium Spirituale non evocentur

Ibidem PRæterea volumus: Quòd Laici deinceps, pro debitis, & in aliis cauſis civilibus, per Clericos ad forum Eccleſiaſticum non trahantur, niſi fortè cauſa ſit Spiritualis, vel Spirituali annexa: aut debitum fuerit Decimale.

Quæ cauſæ Spiritualium Iuri Terreſtri ſubſunt.

Alexand. in Radom 1505. Folio 117. SPirituales pro bonis, ſive injuriis bonorum, Iuri communi ſubjectorū, Iuri Terreſtri experiantur. Injuriæ ſunt, ſuper Limitibus, Kmethonibus fugitivis, cæde, & vulneribus, aliàs juxta Statuta Ioannis Alberti Regis.

Quas cauſas Iudices Spiritualium cognoſcent.

sigiſ. Crac. 1543. DIfferentias Iudiciorum, inter Spirituales & Seculares perſonas, ſic in præſentibus Comitiis, cum Conſiliariis noſtris utriuſq; ſtatus, & terrarum Nuntiis Conſtituimus: ne amplius alteri alteros, ad Ius incompetens evocent. Vt itaq; ſit definitum, quæ cauſæ ad Iudicium Spirituale, & Seculare pertinent: per hanc illarum deſcriptionem, ſignificamus, deſcribimus & conſtituimus, cum conſenſu Dominorum & Prælatorum Spiritualium, necnon Dominorum ſtatus Secularis, & Nuntiorum Terreſtrium. In primis ad Spiritualium Iudicium pertinent, judicare differentias Fidei Sanctæ Chriſtianæ, hæreſes, ſchiſmata, blaſphemias contra Deum, & apoſtaſias.

Item pro Decimis, ſeptem Sacramentis Eccleſiæ, Beneficiis, Sacrilegiis, Simonia, Fœnoribus, Spiritualium homicidiis, percuſſionibus, & vulneribus Ordinatorum, aliàs Conſecratorum, Sacrorum nundinatione, & pro his, qui confugiunt ſub tutelam templorum, vel Monaſteriorum, Cœnobiorum, exceptis tamen illis, quos Ius templis defendere non permittit: ut ſunt Nocturni damnidatores, in ſegetibus, fundis, vel agris: Sicarii, aliàs diſpercuſſores liberè iter facientium, Fures publicè proclamati, vel ter in Regeſtris conſcripti: incendiarii, & Violatores libertatum Eccleſiarum, iſti & tales debent de templis recipi, neq; defendi.

Item ad Iudicium Spirituale judicare pertinet, Incantationes, &

Magias, Census perpetuos Ecclesiasticos terrestres & temporales, Re-
De Poswiátnę quis iudicabit. emptiones, Ecclesiarum dotationes, aliàs *Poswiátne.* Nihilominus de ipsis fundis, Ecclesiis dotatis, aliàs ô *Poswiátnym*, sic est constitutum: Quia si aliquis Spiritualis, vel vigore literarum, vel possessionis diuturnæ, possideret id, quòd asserit esse Ecclesiæ dotatum alias *Poswiátnym:* & ex illa Ecclesia, vel Ecclesiastica persona, inofficiosè, & alicujus vi vel violentia esset, depulsa: & eo nomine citaret, is debet judicari, juxta veterem consvetudinem, Iure Spiritualium, excepto hoc, si in termino persona Secularis citata assereret: quia hoc ipsum, pro quo citatur, Ecclesiasticum non est: sed tantum adiectum de ejus proprio, ad Ecclesiasticũ: hoc est, quia hæc persona Spiritualis plus sibi dationis, aliàs *Poswiatnego*, appropriavit: latiùs, vel longiùs, quàm debet habere, juxta literas Fundationis, vel Possessionis: extunc Spiritualis Iudex adjudicando Actori hoc, quod in literis Fundationis habet, ab eo justè possideri Dominus cognosceret: vel id, super quod legitimè doceret: pro aliquo fundi, illo scilicet, quòd eidem non cognosceret Dominus, debet remitti ad Ius Terrestre. In qua quidem causa, pro proprietate, pro limitibus, aut pro meta: à Decreto Remissionis à Iudicio Spirituali, ad Ius Terrestre, ad superiùs tribunal Iudicii Spiritualis, vel Romanum, Appellatio admitti non debet: sub pœna infrascripta.

Sic etiam ad Iudicium Spirituale pertineat, Persona misera & derelicta: quæ manibus suis victum sibi emereri, atq; elaborare non potest. Item huic etiam Spirituali Iudicio pertinet, quærere & Iudicare de legitimi vel illegitimi thori liberis, seu natalibus.

De Inscriptionibus Kmethonum in Iure Spirituali Item ad Iudicium Spirituale pertinent Causæ eorum: qui se sponte sua obligant, & inscribunt, in Iure Spirituali, præter Inscriptiones illas: quas Kmethones & subditi Nobilium facerent inter se, coram Iudicio Spirituali, Nam tales Inscriptiones, inter Kmethones & subditos Nobilium, à Spiritualibus suscipi non debent, quòd si susciperentur: extunc tales Inscriptiones nihil valere debent. Sed Inscriptiones, & venditiones Decimarum pro debito Ecclesiæ, vel Spirituali personæ faciendas, possunt suscipere & Iudicare Iudicio Spirituali, sed hoc debet intelligi, de Kmethonibus & subditis liberis, non obligatis, nostris Regalibus: sic etiam de Kmethonibus Spiritualium: quibus licebit tales facere, & inse susciper inscriptiones. tantùm a Kmethonibus, & subditis Nobilium, suscipi non debent.

Etiam pro Percussionibus, & Excessibus contra Ecclesias, & Ecclesiasticas personas consecratas, præterquam illos Ecclesiæ Ministros: qui Ecclesiastici & Acolyti essent, & uxores postea ducerent: præter etiam illos, qui existentes ministri Ecclesiæ, non tamen Sacerdotes, ipsi soli in tabernis lites quærerent, & in illis litibus convicti fuerint: hi ad Iudicium Spirituale pertinere non debent.

Etiam ad Iudicium Spirituale pertineant, causæ Iurispatronatus, Plebanatuum, Altarium, Præbendarum, & aliorum Sacerdotiorum: ad hæc Divortiorum, & Dotium inter personas, per Divortium separatas: cognitio tamen seu Iudicium de Dote, personæ per Divortium separatæ, remitti debet ad Tribunal S. M. Regiæ: secundum veterem consvetudinem.

Testamentorum verò causa, utriusq; Iuris, tam Spiritualis, quàm *Testamenta mixti fori.* Secularis, debet esse, exceptis illis, quæ essent in Iure Seculari factæ. Ea enim in eodem Iure recognosci debent; nisi fortè aliquid in eo Ecclesiæ, vel in pios usus, & misericordiæ opera legaretur: sed nihil Iuri Terrestri subjectum, contra Statutum legari debet. Hoc est autem Testamentum mixti fori: quòd coram publico Notario fieret: vel qui illud propria manu scriberet: vel coram aliquibus testibus, præsertim Nobilibus, factum esset. hoc tamen debet esse liberum Nobilibus, non autem Civitatum incolis; & pro talibus potest citare, qui vult, ad forum Spirituale, vel Seculare, ad quod aliquis pertinet: hoc in ejus voluntate stat. Sed Testamentum, quod aliquis coram nobis, vel coram quocunq; alio Iudicio, aut Iure Seculari Terrestri, Castrensi, Civili, Villano, Advocato & Iuratis faceret: tale omnino ad Ius Spirituale non pertinebit: neq; nomine illius potest quis conveniri, coram Iudicio Spirituali. excepto, si aliquid Ecclesiæ, & quod contra Ius Terrestre non esset, legaretur: hoc in ejus voluntate erit, ad Spirituale scilicet vel Seculare Ius citare. Et si qua Spiritualis persona aliquem Nobilem, vel Nobilis subditum, ad Ius Spirituale, pro alia re, ultra articulos superius descriptos, ad Spirituale Ius extraheret, vel citaret: extunc ibidem eodē evocato, pro pœna debet dare 14 Marcas pecuniæ, quæ debet in illo decerni, in Spirituali Iure, sub Censuris. A quo decreto pœnæ, Appellatio non debet admitti, per Spiritualem Iudicem. Alias autem omnes causas, Iudicium Seculare debet judicare: ita quod si etiam Spirituales haberent aliquid cum Secularibus agere, vel cum illorum subditis: debent in Iure Seculari experiri. Similiter etiam si quis Secularis, Spiritualem ad Ius Seculare Terrestre, pro his articulis Iudicio Spirituali pertinentibus, evocaret: talis etiam debet condemnari in pœna 14 Marcarum. Nihilominus per hanc Constitutionem nostram, nolumus; ut in aliquo derogetur Iuribus & Privilegiis Spiritualium, in Statutis descriptis: hoc est, ne in illis hoc mutaretur, vel destrueretur: quod est plus in illis scriptum, quàm hæc Constitutio habet. Ita enim cum Consiliariis nostris, & Nuntiis terrarum constituimus: quia hoc debemus unicuique, tam Spirituali quàm Seculari, subdito nostro tenere & reformare, juxta Constitutiones priores.

De salario Tabellionum.

STatuimus, & præsentibus statuendo Ordinamus: Ne quis Notarius *Bolzanta Folio 58.* Publicus, aut privatus Curiæ nostræ Episcopalis, aut Diœcesis Cracovien.

vien. prædictæ, pro libertate ſuper quacunq; re conficienda, ſeu Privilegio ſuper ea conſcribenda, ultra ſex groſſos Pragenſes, exigendo non recipiat ab indigente, quocunq; colore quæſito. Pro quibuſcunque Quittationibus verò, unum groſſum Pragenſem. Item pro ſententia Contumaciæ, duos groſſos, & pro Aggravaminibus ſubſequendis, nullatenus ultra ſex groſſos, dictorum Pragen. ab indigentibus, & prædicta petentibus exigantur: ſub pœna Excommunicationis: quam ipſos, qui præſenti Statuto & ordinationibus, præmiſſis contrarium fecerint, ſubjacere volumus ipſo facto. Vt autem prædicta noſtra Conſtitutio, Ordinatio, ſeu Decretum, temporibus perpetuis, inviolabiliter perſeveret: ipſam conſcribi juſſimus: noſtriq; ac Capituli ſupradicti Eccleſiæ noſtræ Cracovienſis, Sigillorum appenſione muniri. Actum & Datum Cracoviæ, xiiij die Menſis Iunii, Anno Domini 1369. Præſentibus & Ordinantibus, Venerabili in Chriſto Patre & Domino, Domino Iaroslao, Sanctæ Gneſnenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo: & Honorabilibus viris Dominis Othone Præpoſito Gneſnenſi, Ioanne Decano, Floriano Præpoſito, Nicolao Cuſtode Cracovienſi, Gweslao Wislicienſi, & Nicolao Scarbimirienſi, Præpoſitis, Canonicis Eccleſiæ Cathedralis Cracovienſis, Prædictæ: necnon Wilkone Sandomirien. Ioanne Woynicen. Zawiſza Sandecen. Caſtellanis: Andrea Succamerario, & Petro Tribuno Cracovienſi, & aliis fide dignis.

§ Spirituales damna in bello paſſi, quo Iure pro eiſdem agere debent. Vide in Titulo BELLUM.

De Interdictis & Excommunicationibus, pro injuriis Eccleſiæ.

Alexander Folio 69. UT autem tollantur dubia de interdictis, & Excommunicatis, juxta Statutum Provinciæ Gneſnenſis, pro raptu & invaſione bonorum, & perſonarum Eccleſiæ: Nos Alexander Rex, ad informationem ſubditorum noſtrorum, Spiritualium & Secularium, Iura Divina non calentium deciſionem de corpore Iuris, & de libris Eccleſiæ Doctorum, ſuper Statuto Provinciali Gneſnenſi ſcriptam, per Venerabilem Nicolaum Kothficz, Archidiaconum Poſnanienſem, & Canonicum Gneſnenſem, Iuris Pontificii ac legum Doctorem collectam, congeſtis per nos Privilegiis Regni communibus aſcripſimus, ſub ordine infraſcripto.

Invaſor bonorum Eccleſiæ eſt excommunicandus. *Statutum Provinciæ Gneſnenſis*, poſitum ſub Titulo de Rap. diſponit & ſtatuit: quòd ij, qui Decimas, poſſeſſiones, tributa, ac bona mobilia, ad Eccleſias perſonaſq; Eccleſiaſticas, & eorum ſubditos ſpectantia, rapiunt invadunt, occupant, exactionant, injuſtè pignorant, extorquent: vel quovis ſumpto colore gravant: aut in bonis eiſdem notorium damnum, aut manifeſtam offenſam inferunt: poſt tres dies, (niſi ſatisfecerint) Excommunicationis ſententiam incurrunt ipſo facto.

Damnum quid? *Circa quod Statutum noto primo*, id quod notat Panormitanus, in Rubric.

Rubric de Sagitt. quòd hìc Rubrum eſt generalius nigro Rubrica enim loquitur ſolùm de raptoribus: Textus verò etiam de illis, qui alioquin damnum, gravamen, aut offenſam faciunt: abſq; eo, quòd aliquid rapiant, auferant, & exportent.

Pro clariori tamen Statuti intelligentia, præmitto primum: quòd hoc verbum Damnum, propriè pertinet ad res: & eſt quædam deſtructio, ſeu deterioratio rerum, in bonis noſtris conſiſtentium, ut in libro iij, folio de dam. infec. ubi Iuriſconſultus Damnum vocat, patrimonii diminutionem.

§ Verbum verò Offenſa: propriè pertinet ad perſonam: & eſt quædam injuria facta perſonæ, ſeu in perſonam: quæ hominem ad juſtam turbationem inducit, ut dicit Bar. in L. Cùm filium, folio de hæred. inſtit. Tamen largè ſumendo vocabula, aliquando Offenſam perſonæ vocamus damnum. ut dicit Alexander in L. Iusjurandum, folio de Iurejurando, per L. ſi in duobus, de reg. jur. Quòd damnum famæ, præfertur damno pecuniario. & è contra: damnum rerum vocamus Offenſam perſonæ. Vnde dicit Text. Inſtit. de Iurejurando. Quod ſi cujus bona, quaſi debitoris, cùm tamen nihil debeat, poſſeſſa ſint: injuriam admitti manifeſtum eſt. Et ſic largè Damnum, & Offenſa: unum pro alio poſſunt poni. Hoc præmiſſo, quæro: Qualiter in hoc Statuto capiantur, hæ dictiones Damnum ſeu Offenſa: utrum ſtrictè & propriè, an verò largè: ita quòd unum capiatur pro alio, & unum intelligatur in illo. Et reſpondeo: Quòd capiuntur ſtrictè & propriè. Non enim eſt opus unum ſub alio intelligere: ubi ſingula ponuntur expreſsè, quia in certis, non in incertis eſt locus ſubauditioni, L. Continuamus, folio de verb. oblig. facit regula in pœnis libr. 6. Ex quo enim Statutum eſt pœnale: debet fieri ſtricta interpretatio.

Offenſæ quid?

Secundò prænoto: quòd Damnum, ſeu Offenſa, habent ſe ad Rapinam, Invaſionem. Occupationem, & Exactionem injuſtam, Pignorationem, vel Extorſionem: ſicut Genus ad Species. Prædicantur enim de quolibet ipſorum: & valet Conſequentia: Rapina eſt: Ergo Damnum, ſeu Offenſa: & non è contra. Et ſic de ſingulis. Capio tamen hic Genus non ita propriè, ut capitur à Dialecticis: ſed ſecundùm Legiſtas, pro eo, quod continet ſub ſe plura. ut not. Panor. in C. Paſtoralis, § Quoniam de reſcriptis. § Hoc præmiſſo, quæro: An iſtud Statutum habeat locum, in aliis caſibus, ſub iſtis verbis generalibus, ſcilicet Damnum ſeu Offenſa, tacitè comprehenſis: ultra caſus, qui ſunt ſpecialiter enumerati, ſcilicet Rapina, &c. Et reſpondeo: Quòd ſic per ea, quæ not. Panorm. in C. ſedes de reſcriptis. In ſecundo non. & in quinta Columna, ubi dicitur: Quòd quoties enumeratis Speciebus ſubjungitur Genus, ſub nomine Adiectivo, licet illud Genus reſtringitur, ut non comprehendat niſi Species pares expreſſis: non tamen reſtringitur, ad Spe-

Rapina, Invaſio, &c. quid?

cies expressas tantùm: sed imò comprehendit omnes alias Species, tacitè sub eodem Genere comprehensas, quæ sunt pares expressis. § Cùm autem enumeratis Speciebus, scilicet Rapina, Invasione, &c, subjungun-

Damni & Offensæ nomina, latè patent.

tur dictiones generales, scilicet Damnum, seu Offensa: quibus dictionibus generalibus, adjunguntur Nomina Adiectiva: (nam huic dictioni, Damnum, adjungitur hoc Adiectivum, Notorium: huic dictioni, Offensa, adjungitur & hoc Adiectivum, manifesta) dico quòd hoc Statutum habet locum, etiam in aliis casibus, tacitè sub eisdem verbis generalibus comprehensis. Sed quæro, qui sunt isti casus, tacitè sub eisdem verbis generalibus comprehensi? Dico: Quòd sub verbo: Damnum inferunt, comprehenduntur illi: qui incendunt ædificia, quæ sunt in bonis Ecclesiæ: & qui mutilant, aut necant pecora, & pecudes. Isti enim licet nihil rapiant, & nihil extorqueant, &c. tamen quia dant Damnum, incidũt in pœnam hujus Statuti. Sub verbo verò: Offensam inferunt, comprehenduntur illi, qui in bona Ecclesiæ venientes, percutiunt homines, familiam, aut subditos Ecclesiæ. Isti enim quamvis nihil rapiunt, & nullum Damnum faciunt: quia tamen Offendunt, incidunt in pœnam hujus Statuti. § Et quia dicitur in Textu: Quovis sumpto colore gravent: quæro, Quomodo possint colorari gravamina, de quibus in tex. Respõdeo, & pono exemplum in Rapina, per C Clericos, de immu. Ecclesiæ lib. 6. Si quis rapiendo, protestatur se, nomine doni, mutui, ac commodati accipere. vel pono exemplum de illis, qui veniunt ad bona Ecclesiarum: & exigunt victualia, & stationes, sub colore hospitalitatis: asserentes, Clericos pertinere ad hospitalitatem, ut supra de immu. Eccl in Statuto, quod incipit. Item cùm ad aures. Clerici enim non tenentur ad hospitalitatem, Nobilium, divitum, aut stipendiariorum: Gl. in L 1. & L. Omnia, C. de Episcopis, & Clericis: sed solùm ad illam, quæ continet Officium pietatis: xlij Dig. §1 C 2. de sup. neg. prel. & per dec. in C. de Monachis de præben. & per Bart. in C. 1. de empt. & vendit. Et quia in tex. dictiones Adiectivæ, adjunctæ verbis generalibus, qualificant ipsa, (Nam verbo Damnum, adiicitur, qualitas Notorii: verbo Offensa, adjicitur qualitas Manifesti) quæro: An istæ qualitates Notorii, & Manifesti, debeant referri ad casus specialiter enumeratos: & ita qualificent easdem species, sicut qualificant genus. vel an unum verbum generale, qualitatem suam conjiceret alteri verbo generali: & è contra. Et respondeo: Quòd sic. Moneor per ea, quæ notat Bart. in Lib. Doli, folio de ser. cor. ubi dicitur: Quòd quoties in aliquo Statuto, enumerantur plura delicta: si circa ultimum adjicitur aliqua qualitas; illa refertur etiam ad delicta priùs enumerata, &c. Facit quod notat Panor. in C. inquisitionem, de appell. dicens: Quòd qualitas in fi dispositionis posita non restringetur tantum ad immediatè præcedentia: sed concernit omnia, in dispositione contẽta, maximè ut dicit Phil. in C 2. Requiris c. tit. ex quo non est dare differentiam, quare magis ad unum, quàm ad aliu m

Quomodo colorãtur gravamina.

Notorium & Manifestum, quorsum referẽda sunt.

alium referatur, per Leges ibidem allegatas. Facit quod notat idem Bart. in L. Prætor, §. En idq; folio 6. Bo. rap. in illa. q. An dicta in præcedentibus, intelligantur repetita in sequen. Per quæ dico: Quòd ista qualitas Notorii, addita verbo Damnum, & qualitas Manifesti, addita verbo Offensa, referenda est ad singula, tam specialiter expressa, quàm tacite in verbis generalibus comprehensa. Deinde quæro: quomodo hæc dictio Manifesta, posita in Statuto, debet accipi? & antequam respondeam, præmitto: Quòd hæc dictio Manifestum, in Iure aliquando capitur impropriè, pro Notario. ut in C. Manifesta 2. Q 1. & C Quoniam de filiis presbyt. & C. Ex parte, cum C. sequen. de verb. sign. Aliquando verò capitur propriè: prout est quædam species de per se, differens à Notorio: & habens se in minus, quàm Notorium: & est illud quod procedit ex certo authore. Et post probari xj. Q. iiij. Eorum: & notatur in C. Cum olim de verb. sign. C. Venerabilibus Ver. Senes autem de sent exco. lib. 6. & in C. Vestra, de cohær. de & mu. per Glo. & dec.

§ Hoc præmisso, respondeo ad quæsitum: quòd dictio Manifestum hîc debet accipi propriè, pro non Notorio. Moneor primò: quia verba Statuti, semper debent potiùs propriè, quàm improprie exponi & interpretari: si talis interpretatio non est contraria Iuri communi. secundùm Bart. in L. prætor ait, ut ff. de Dam. infect. & Prnor. C. Cum dilectus, De consvet. Sed certùm est: quòd hæc expositio propria, hujus verbi Manifest, non est contraria, imò consona Iuri communi Nam secundùm Ius commune, ille qui transgreditur legem in occulto, non minùs incidit in pœnam legis: quàm ille qui transgreditur in publico. Vnde dicit Gloss. Non in cle. de hære. in ver. Eo ipso: Quòd ille, qui percutit Clericum in occulto, non minus cadit in sententiam Canonis: quàm ille qui percutit in publico: & non minùs debet declarari Excommunicatus. dummodo hujusmodi percussio occulta, id est, non notoria possit probari. Secundò moneor per ea, quæ notat Panor. in D.C. Cum olim, De verb. sign. ubi dicit: Quòd semper hæc dictio Manifesta, debet accipi propriè, si materia subjecta hoc patitur. Quòd autem materia subjecta hujus nostri Statuti, hoc patiatur, imò requirat, propter mentem statuentium: probatur per Argumentum, ab absurdo, seu incovenienti. quod est in Iure validum: ut dicit Gloss. in C. Dudum, De præben. lib. vj. Si enim deberet accipi pro Notorio: & sic per consequens, hoc Statum deberet tantùm in casu Notorio intelligi: sequeretur hoc inconveniens: quòd aliquando ille, qui pauca raperet, esset Excommunicatus. Exemplum: ille, qui dum dies est, veniret ad villam, & vicinis cernentibus raperet unum equum, esset Excommunicatus: ille verò, qui veniret de nocte, & aliis vicinis dormientibus aggrederetur unam domum, & (frustra repugnante hospite) reciperet multos equos, oves, boves, &c. non esset Excommunicatus propterea. quia factum non esset Notorium. Similiter ille, qui solo pastore præsente & repuguante, gregem

Hæc vox Manifestum dubius modis sumitur. Dictio Manifestum. debet propriè hîc sumi.

totius villæ, qui ibat in pascuis abigeret, non esset Excommunicatus. quia non posset dici Notorium, quod unus tantùm vidit. Sed hoc esset inconveniens, & contra mentem statuentium, qui voluerunt per hoc Statutum providere: ne bona Ecclesiarum, & pauperum hominum in eis degentium, sive occultè, sive notoriè raperentur, & damnificarentur. imò fortè ex mente statuentium possit argui: quòd hæc verba Notorium Damnum, seu Manifesta Offensa, non essent in hoc Statuto posita, ad differentiam occulti Damni, seu Offensæ Clandestinæ: sed potius ad differentiam modici Damni, & Personæ Offensæ, ut sit sensus: Damnum Notorium, id est, Notabile: & Offensa Manifesta, id est, non parvula, quia modicus excessus non esset curandus: secundùm Gloss. in C. Revera, De conse. di. ij. ver. mortui. Et licèt pro hac expositione fac. text. in C. Ex parte ade. de rest. ubi Raptores, propter notorietatem famosos, vocat Notabiles. tamen quia alibi non reperio hujus expositionis fundamentum, non sequor eum: sed sequor primam expositionem: & capio hoc verbum Manifestam propriè, pro non Notorio, quod probari potest, & concludo: quod hoc Statutum habet locum, tam in raptu, damno, offensa, Notoriis: quàm in non notoriis. Quamvis autem vigore hujus Statuti, tam Notorius, quàm Manifestus, id est, non notorius, raptor incidit in Excommunicationem: tamen aliter procedetur contra Notorium, & aliter contra Non notorium, ut infra subjiciam.

Obiectio 1. contra hoc Statutum, cũ Responsione.

§ Oppono tandem contra istud Statutum: & arguo, illud non esse validum: Primum ex eo, quòd in ipso non præmissa Monitione, fertur Excommunicationis sententia ipso factô, quòd est contra C. Sacro, de sent. excо C. Romana, §. Sed nec in spem. eo. tit lib 6. Respondeo primo: quod ex diversis non infertur. L. Popinianus ff. de Mino. sed dictũ C. Sacro, in alio casu loquitur: scilicet de Excommun. quæ fertur ab homine, nonnisi pro contumacia. ut dicit Gloss. xj. Q. iij. C. Episcopi à lure tamen seu Statuto, fertur etiam ex delicto. ut in C. Si quis xvij. Q. iiij. Secundò respondeo: quòd imò in hoc Statuto, saltem tacitè Excommunicationem præcedit Monitio. Nam ut dicit Io. an. in C. ij. Ne. Cle. vel Mo. in Novella, super Gloss. ij. Quandocunq; in Synodo aliquid mandatur, & prohibetur, sub pœna: illud Mandatum, seu prohibitio, habetur loco Monitionis ita quòd contra faciens incurrit pœnam, absque alia Monitione, quòd dictum Ioan. allegat, & sequitur Rota subsit. De dolo, & com in novis deci. incipien. Item extra Rotam hoc idem voluit Panorm. in C. 1. de Rap. ij. non, dicens: Quòd imò per Synodale Statutum, Excommunicatio potest fieri pro delicto, absq; Monitione, quia Statutum tacitè admonet. Circa hanc secundam solutionem possit dubitari, de ratione differentiæ: Quare supra in Statuto Provinciali, sub titulo De immun. Eccles. §. Qui cum administrorum: quasi in eisdem Terminis fertur Excommunicationis sententia ipso facto: & tamen ibi cavetur, ut præmittatur Monitio, priusquam incidat in eandem. in Statuto

tuto verò isto, nihil cavetur de hujusmodi Monitione præmittenda. Respondetur: Quòd licèt conditores legis, aut Statuti, possint ferre Excõmunicationis sententiam ipso facto, Monitione non præmissa: non tamen tenentur: imo possunt etiam profugere terminum ad satisfaciendum: ita ut delinquens non incidat eandem sententiam: nisi tunc factus fuerit Contumax, ut in C. iij. De rap. ij. respon. Quare tamen conditores legis aut Statuti, hoc aliquando faciunt, aliquando non, non semper potest dari ratio L. Non omnium, ff de legi: Verùm quo ad hoc Statutum nostrum, & illud, quod est positum sub Tit. de immu. Eccle. credo possit hæc dari ratio differentiæ: cùm illud de imm. Eccle. aliud habet fundamentum. Quia enim in turba, vel exercitu, non facile potest sciri privata persona, quæ committit raptum: unde ne propter hoc impune spoliarentur bona Ecclesiæ, illud Statutum fecit provisionem: & voluit puniri illum, qui est principalis in exercitu, & qui habet potestatem ducendi, & locandi exercitum ubi vult: & ponunt non propriè pro Damno: sed secundùm C. fi. de injur. ideo: quia dat occasionem damni, faciendo stationem in bonis Ecclesiæ: quæ utiq; sine damno fieri non potest. Vnde quia facere stationem non est culpa: quæ ipso suo genere esset peccatum: voluit dictum Statutum non excedere terminos c. reprehensibilis, de Appe. sed voluit eum prius moneri, antequam incideret in hujusmodi sententiam, ipso facto prolatam. Secus in hoc nostro Statuto. Quia enim raptus est peccatum, ipso sui genere gravissimum: & Iure divino, per Decalogum prohibitum: Ergo severius in ipso procedendum.

Obiectio 2. contra hoc Statutum, etiam cum solutione.

§ Oppono secundò contra hoc Statutum: & arguo illud esse insufficiens, ex eo, quòd in ipso nihil cavetur: ut saltem Iudex præmittat Citationem contra raptorem, antequam sententialiter declaret, eum incidisse in dictam Excommunicationum sententiam: quòd videtur esse contra C. Caveat iij. Q. ix. contra L. I. § Item, cum ff. quæ sen. sine appellatione & instit. de pen. temerè liti §. Omnium autem pro solutione sciendum est, quòd Panor. in C. pervenit, primo de Appellatione ponit hanc quæstionem: An ille, qui pro aliquo delicto incidit in sententiam Excommunicationis, à Canone aut Statuto latam ipso facto, debeat necessariò citari: ad videndum declarari, se incidisse in eandem: & dat hanc distinctionem: quòd aut delictum non est Notorium: & debet necessario citare: Aut est Notorium: & tunc non oportet eum citari. Quò ad primam partem, scilicet quando delictum non est Notorium, dicit ibidem Panor. quod citanda est pars, & recipiendæ sunt probationes, super facto: & deinde constituto facto, procedendum est ad declarationem. pro hoc allegat. C. Cùm secundum leges de hære. lib. 6. & tres Gloss. in hac materia, valdè non videlicet in cle. præsenti. & de censi. in ver. Constiterit. Cle. 1. de Pen. in Ver. commodè, & in C. Sacro de sen. excom. in ver. Constiterit. Et in hac prima parte hujus distinctionis:

nis, puto fundatam decisionem Rotæ, sub Ti. de lit. contestatio vij. in ordine, in novis deci. quæ dicit: Quòd priusquam declaretur aliquis incidisse in Canonem, si quis svadente: debet priùs vocari: & debet cognitio summaria præmitti. Loquitur enim in casu non Notorio, prout ex Iuribus & Gloss. in ea allegatis, potest cognosci. Quòd ad secundam partem distinctionis, scilicet, quando delictum est Notorium, dicit Panor. ubi supra: Quòd poterit fieri declaratio, non præmissâ aliquâ Citatione. allegat C. Reprehensibiliter de Appel. ubi hoc idem tenet Hosti. allegat etiam C. Quoniam de fi. Presby. Facit Ca. Bone Titul. De elect. C. Cùm sit Romana. de Appel. C. euidentia, de acu cum si. Hoc tamen debet intelligi de Notorio, quòd est Notorium: ita ut constet, delinquẽti nullam defensionem competere. Nam dicit idem Panor. in C. Cùm olim de re. Iudic. post Gloss. & in C. Vestra de coha. cle. prope finem: Quòd Iura, quæ dicunt, quod in Notoriis non est opus Citatione, debent intelligi de tali notorio: in quo constat, absenti nullam defensionem cõpetere: alioquin ubi esset dubium, an absenti competit aliqua defensio, vel accusatio: opus est præmittere Citationem, ut patet Gloss. in C. Quæ Lotharius ij. q. 1. allegans § Quando ea cau. & quæstione. Solvendo ergo Argumentum, dico, hoc Statutum non posse redargui de insufficientia: quod in eo nihil dicatur de præmittenda, vel non præmittenda Citatione. Expressio enim eorum, quæ de Iure tacitè insunt, nihil operatur. L. Non rectè C. de fide jusso. In hoc enim recipit tacitè supplementum à Iure communi. Secundùm Gloss. in L. scimus §. In computatione ver. Sed hæc C. de Iure deli: super qua Gloss. dicit Bal: Quòd si Statutum loquitur indefinitè de hæreditatibus: non distinguendo, si fecit inventarium, vel non: aut si hæreditas sit solvendo, vel non: tamen intelligetur & fiet distinctio, secundum Ius commune. Sic ergo & Statutum nostrum, quamvis nihil dicat de Citatione præmittenda, vel non: distingvetur tamen secundum Ius commune. ita ut aliter in Notorio, & aliter in Non notorio procedatur: secundum præfatam distinctionem.

Huius Statuti quis executionem factu rus.

§ Vltimò quæro: Quis Iudex possit aut debeat adiri, super executione hujus Statuti? & qualiter hoc Statutum debeat practicari? si ille, qui raptum commisit, non moratur in diœcesi, in qua deliquit. Et dico: quòd tam Iudex domicilii, sub quo moratur: quàm Iudex delicti, ut in L. 1. & in auten. qua in provincia. C. Vbi de tri. agri. opor. Nam ratione delicti quis fortitur forum: sicut & ratione domicilii iij. q. vj. C. 1. & de for. com. C. fi: Est ergo in optione damnum passi, utrum malit adire Iudicem: sub quo delictum est commissum, an verò Iudicem ad quem se delinquens transtulit. Sed si ergo accedit Iudicem delicti: & delictum est ita Notorium, ut appareat delinquenti nullam excusationem, seu defensionem competere: (ut supra dictum est) tunc raptore non Citato, poterit coram Iudice, delicti inducere testes, de tali Notorietate: videlicet quod in oppido, aut villa, in qua raptus hujusmodi est commissus, vicinia

vicinia tota scit. ut in C. Cum delictis de pur. ca: Vel illius viciniæ: ad minus decem hominibus: secundùm Panor: in C. Vram, de cohabi: cle: & mu. Et probatur hoc per testes fide dignos, ad minus duos: secundùm Gloss. in c. § Deus Qñ ij q. 1. Deinde probata Notorietate, raptore similiter non citato, poterit eum obtinere declarari, incidisse in Excommunicationum sententiam, à Statuto prolatam. Demum, si voluerit, ut raptor in loco, in quo agit domicilium, habeatur pro Excommunicato: summariè probabit (ut dicit textus Statuti) coram Iudice domicilij hujusmodi declarationem. Hæc autem summaria poterit fieri per literas declarationis, emanatas à Iudice, qui declaravit. Nam etsi per testes etiam probari posset, sicut & alia sententia: tutiùs tamen & facilius probatur per literas: ut pulchre decidit Rota, de re judi. in novis deci: incipien. Item fuit dubitatum, & est xix. eo ti. Et sic probata huiusmodi declaratione, Iudex domicilii faciet raptorem denuntiari, & vitari. ut in Statuto dicitur. Si verò delictum non est Notorium; tunc aut raptorem prius, quàm se transtulit de loco delicti apprehendit Citatio: secundum C. proposuisti, de foro com: tunc postea contra absentem poterit procedi, etiam ad Excommunicationem. ut notat Panor: in di: C. fi: de foro com: Tamen ad videndum jurare testes, & ad alios actus fiet Citatio in audientia, aliàs per Edictum. Nam ex quo semel fuit apprehensus personaliter, sufficit citare postea per Edictum: prout colligitur ex deci. Rotæ, de sen. excom. in no. incipien. Item si pronuncietur circa medium. Aut Citatio non prævenit raptorem, in loco suo, in quo deliquit. & tunc est quæstio, inter Doctores· An Iudex delicti possit eum verbaliter, aliàs per literas citare, in alia Diœcesi. Et quidam Legistæ, sicut Ti: tenet; quòd sic. quia executio Citationis non est actus Iurisdictionalis: & ideo potest fieri secundùm eum ubique, est ad cle. pastoralis, de re judi: quæ facit in contrarium. Respondet. quòd ibi erraverunt Canonistæ. sed Bar. in l. prima. ff. de requi. reis, salvat illam cle. & dicit eam habere locum in territoriis: in quibus sunt Iurisdictiones distinctæ: quarum una non pendet ex alia: vel dato, quòd pendeat: nihilominus habet locum, si minor vult citari, in territorio majoris cui subest. quia tunc non potest propter majoris reverentiam: quem debet potius requirere, ut ipse citet. Io: an. in addi: spec. in Ti. com: iudi: ade. § 1. versi. Sed quomodo, in Gloss. quæ incipit, an ratione delicti, videtur sentire, contra dictam cle. quòd videlicet unus Iudex possit citare in territorio alterius: ubi hoc per aliquod Statutum particulare non esset prohibitum. Alij Canonistæ in dicta cle. & in dic. C. fi. de fo. com. & ibi Panor. tenent: quòd non potest citare, quò ad distringendum, seu excommunicandum personam quos sequitur Rota, in ti. de Iudi. in novis deci. incipien. Si quæritur utrum. Vbi determinat & declarat: quod etiamsi crimen sit leve: in quo scilicet non habet locum remissio: tamen Iudex delicti non poterit citare delinquentem, extra territorium constitutum: sed scribet ad Iudicem domicilii:

qui ad hanc requisitionem citabit eum, & compareat coram Iudice delicti: & illa Citatio arctabit eum: ita quòd postea valebit sententia contra absentem lata, sic scilicet dictum est. Itaq; propter opiniones præmissas, videretur bene consultum esse: Quòd ex Statuto saltem Provinciali, Episcopus, qui habet Iurisdictionem delicti, possit etiam citare in Diœceli alterius, etiam comprovincialis. Si verò damnum passus eliget adire potiùs Iudicem, sub quo delinquens habet domicilium: citabit coram ipso delinquentem. & eo negante delictum: quia Iudex domicilij non potest cogere testes, qui sunt in alia Diœcesi C. Vt animarum, de consti: li. vj. nisi hoc haberet consvetudo lib. iij. ff. de testi. Et item quia difficile foret damnum passo, testes ab eorum negotiis evocare, & sumptuosum in aliam Diœcesim deducere, C. Constitutus de fidejuss. scribet ergo Iudex domicilii ad Iudicem delicti: ut testes examinet, & depositiones eorum notet: denuntiabitq; delinquenti; ut vadat pro termino, pro quo jurare debebunt, & deponere. vt legitur & notatur in dicto C. Constitutus de fidejuss. & apud spe. in tit. desti. §. Qualiter ver. Scribet autem. Et ibi, si erit delictum Notorium: sufficiet testes inducere super Notorio: si verò non notorium: oportet inducere super facto. Iudex ergo delicti, receptis attestationibus, transmittet eas Iudici domicilii: & Iudex domicilii, receptis attestationibus, ad sententiam declarationis procedet, delinquente Citato vel non citato, sicut supra dictum est. Non obstat lex Iudices & auten. apud eloquentissimum C. de fi. instru. & Gros. in C. testes iij. q. ix. in ver. præsentes. ubi dicitur: quòd in causis criminalibus requiritur præsentia testium: nec potest Iudex eorum absentium examinationem alteri committere. Hoc enim intelligitur in causis criminaliter intentatis: in quibus agitur ad pœnam ordinariam, præsertim corporalem: in quam aliquando opus est testes torquere. L. edictum ff. de quæsti. & ideo opus est eorum præsentiâ. Sed in causis Civilibus, non facile itur ad quæstiones. ut in L. Divus ff. eo. ti & in L. 1. C. eo ti. Cùm autem per hoc Statutum agatur, non ad pœnam ordinariam, sed ad satisfactionem damni illati, & si sit causa criminalis: quia tamen civiliter intentatur, requiratur Ius Civile C. Tuæ de procu. & notat Car. in cle ij. § Denique de re judi. præterea Bal. in dicta auten: apud eloquentissimum dicit quosdam Doctores tenere: quòd etiam in causa criminali, possit fieri commissio receptionis testium propter necessitatem imminentem: & exemplificat: si testes sunt forenses, & nolunt venire. Alioquin, si nec solus Iudex possit testes cogere: nec alteri committere eorum examinationem: admitteretur facultas puniendi nocentes, & sic publica utilitas negligeretur in eo: quòd crimina remanerent impunita: contra L. Ita vulneratus, ff. ad L. Apuil. & cæt. Vt fame, de sed. excommunicationis.

§ Spirituales damna in bello passi quo jure experiri debent. Vide in Titulo: BELLUM.

SPISNE

Spisne à decimis pecuniarijs non exigatur.

ITem Statuimus: ut spisne non exigatur in exactionibus & decimis pecuniariis, & similiter in exactione duorum grossorum, quæ vulgo Regalia vocantur. *Sigis. 1511. Folio 19.*

Exactor descriptionales ne exigat.

MEmoratus etiam Exactor pecuniarum prædictarum, prætextu notæ quod *Nápisne* dicitur, nihil exigat, atq; tollat: & nihilominus literis suis, Kmethones quietet de solutis. *Wladislaus Folio 51.*

§ SIMILIS. Item volumus & decernimus: ne pecuniæ sive in scriptionales, ab exactione nostra Regia deinceps recipiantur & exigantur. *Kaz. Jagell. Folio 88.*

Alioquin Exactor arrestetur.

ITem Statuimus: quod Burgrabii, aut Exactores Regales, seu Capitanei nostri, non exigant Spisne de hominibus, tam Nobilium quàm Spiritualium. quòd si secùs fecerint, nec possessionati fuerint, in hospitiis eorum, per Burgrabium loci, aut Proconsulem arrestentur, donec acceptum restituant: pœnam trium Marcarum luant ei à quo hujusmodi Spisne exegerint. *Kazi. 1434. Folio 95.*

SPOLIVM.

De expurgatione Spolij in via publica facti.

MArtinus conqueritur de Nicolao: quòd die forensi in via publica sibi de opera octo Scotos violenter recepisset: Nicolaus verò negabat, injusteq; se ab eo accusari asserebat, cùm eandem pecuniam non amisisset, nec sibi recepta fuisset: volens se tantùm sex testibus de hoc expurgare: Nos in tali casu decernimus: cum duodecem testibus fide dignis, & non paucioribus fieri hujusmodi expurgationem. *Kaz. Mag. Visl. Fol. 30*

SPONSIO FIDEI.

Et primò, qui? & pro quo? sponsione fidei, à Rege, vel aliquo Regnicolarum possunt obligari?

ITa postulantibus subditorum nostrorum rationibus decernimus: ut nullus Nobilis subditus noster sponsione fidei per nos obstringatur, nisi Iure victus: secus erit, in exercitio Rei Militaris: & ubi nobis, vel alicui subditorum nostrorum Actio intervenerit, cum servitore, factore, administratore, aut subdito suo: & ubi Reipubl. causâ aliquid sit contra quemvis agendum. *Sigis. Crac. 1540.*

De eodem.

Sigiſ. Aug. Petr. 1550 SPonſione fidei nullus Nobilis poſſeſſionatus obligari debet à nobis neque ab ullis Officialibus noſtris: tantùm juxta deſcriptionem Statuti. Anno 1540. conditi.

STATIONES.

Rex ſtationes apud Nobiles & Barones non facit.

Ex Ludovici eodem Privil. Kaſsoviæ 1374 Fol. 41 PRæterea ſi per Regnum illud, quocunq; tempore Nos, & ſucceſſores noſtros procedere contigerit: deſcenſus ſuper Barones, Nobiles, Milites, ipſorumq; populum, Kmethones ſeu Iuagiones, non faciemus contra ipſorum voluntatem: nec aliquid occaſione dicti deſcenſûs exigi faciemus ab eiſdem. Quòd ſi alias pro faciendo deſcenſu divertere non poſſemus: extunc pro noſtris ſumptibus, & pecunia nos procurari in victualibus, & aliis neceſſariis faciemus. Inſuper omnes Barones, Magnates, Nobiles, Civitates, Oppida, Villas, poſſeſſiones, eorundem populum, & Kmethones, in eorum libertatibus pollicemur, & ſpõdemus conſervare: nec eos contra illas intendimus aggravare, vel per quempiam faciemus aggravari.

Wladisl. Iagell. Fol. 51. § SIMILIS. Item pollicemur: quòd nullas ſtationes, ſeu procurationes, vel deſcenſus in Civitatibus, villis & hæreditatibus, curiis, ac prædiis Eccleſiarum, Nobilium & terrigenarum noſtrorum faciemus. Si verò caſualiter, opportunitate, & neceſſitate nos cogente, ſtationem in bonis, Civitatibus, Caſtris, aut Curiis Eccleſiarum, Nobiliumq; nos facere contigerit: extunc nihil vi, vel potentiâ recipere faciemus, vel quomodolibet facere, vel recipi permittemus, imò quoq; neceſſaria, noſtris pecuniîs propriîs, volumus comparare.

Si Rex aliquem ſtatione in Privilegio non donavit, Iuri Regio eſt reſervanda.

UBi ſpecialis mentio in Privilegio, vel in inſcriptione de ſtatione facta non eſt, Iuri Regio reſervata eſſe cognoſcitur.

§ Stationes militum mercenariorum in locis opportunis fiant. Vide in Titulo, BELLUM.

STATVTA.

Joannes Albertus etiam decernit ſua Statuta in Comitijs facta, perpetuò duratura.

Petricoviæ 1496. Folio 96. NOs Ioannes Albertus Dei gratiâ Rex Poloniæ. Communi & diuturnâ conſultatione præmiſſâ, cum Prælatis, Baronibus, Nobilibus, terrarumq; Nuntiis, ac ſubditis univerſis noſtris, Spiritualibus & Secularibus,

laribus, in hac Conventione generali Petricovien. exiſtentibus, corpus ejuſdem Regni, cum plena facultate abſentium repræſentantibus, nonnihil commendantes à Statutis præinſertis, & aliis diutiùs ſancitis: nonnihil verò denuo pro caſuum emergentium novitate decernen. Statuta & Conſtitutiones noſtras infraſcriptas decrevimus per Nos edendas, & conſtituendas, edimuſq; & conſtituimus perpetuis temporibus duraturas, & obſervandas.

Vniformiter Iuribus judicetur.

NOs itaque Kazimirus Secundus Dei gratiâ Rex Poloniæ, necnon terrarum, Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Pomeraniæ, Ruſſiæq; Dominus & Hæres &c. unà cum Prælatis, Baronibus, cæteriſq; Nobilibus, & ſubditis noſtris, animadvertentes, & proinde revolventes, quia juxta temporum antiquitatem, in terris, & dominio ditioni noſtræ ſubjectis, cauſæ plerumq; in Iudiciis non uniformiter, ſed ſecundùm animorum & ſenſuum diverſitatem, hominum etiam excreſcente malitia & improbitate, variè & diverſimodè ventilantur, decIduntur, & definiuntur. Ex qua varietate actiones ſive cauſæ, nonnunquam poſt multiplices vexationes, altercationes, & contentiones remanent indeciſæ, & quodam modo immortales. Quapropter ad laudem Dei omnipotentis, Beatiſſimæq; Mariæ Virginis, totiuſq; cœleſtis Curiæ, & ad profectum, commodum, & utilitatem noſtrorum ſubditorum, decrevimus, dictorum Iudiciorum, ſeu cauſarum (potiſſimum in ijs, quæ plerumq; accidunt) decidere & evellere varietatem, volentes & ſtatuentes: Quòd deinceps perpetuis temporibus, hæc eadem Statuta, & Conſtitutiones habeantur, exerceantur, & obſerventur, per omnes & ſingulos Iudices, Officiales, ac eorum miniſtros, reliquoſq; noſtros ſubditos, & terrarum noſtrarum inhabitatores: ne quiſquam audeat illis qvovis modo temerè contravenire, ſub gravi noſtræ indignationis aculeo. *Kazim. in Viſlica 1368 Fol. 8.*

Item Alexander Statuta publico conſenſu condit & evulgat.

NOs item Alexander Rex, poſtquam de Magno Ducatu Litvaniæ rediimus feliciter, in dicta Conventione generali, quam Petricoviæ pro feſto Sanctæ Agnetis, Anno Domini 1504 celebravimus, & continuavimus uſq; ad feriam quartam ante Dominicam Lætare Anni ejuſdem 1504. Conſtitutiones certas decrevimus, cum conſilio & aſſenſu communi, Prælatorum & Conſiliariorum infraſcriptorum, ac Nuntiorum Terreſtrium, juxta Regni conſvetudinem vocatorum, nomine abſentium, poſt vocationem literalem noſtram, atq; edicta publica, ad eandem conventionem venientium, in eaq; conſtitutorum, & aliorum non conſtitutorum, Corpus Regni repræſentantium: præſertim verò de unanimi voluntate, & laude communi Reverendiſſ. & Reverendorum in Chriſto *Alex. Petr. Folio 112.*

Patrum, Dominorum, ac Magnific. Generos. Venerabil. & Nobil. perſonaliter Conventioni intereſſentium. Andreæ Roza Archiepiſcopi Gneſnen. Ioannis, Cracovien. Vincentii, Wladislavien. Ioannis, Poſnanien. Eraſmi, Plocen. Matthiæ, Chelmen. Eccleſ. Epiſcop. Spytkonis de Iaroslaw, Caſtellan. Cracovien. Petri Kmitha de Wiſznice, Palatin. Cracovi. & Mareſchalc. Regni noſtri, ac Scepuſien. ac Sandecz. Capit. Ioannis de Tarnow. Sandom. Nicolai Gardzina de Lubrancz. Caliſſ. Ambroſii Pampowski, Sirad. & Capit. Majoris Poloniæ general. Petri Myſzkowski de Mirow, Lancicien. Nicolai de Koſcielec. Breſten. Nicolai de Kretkow, Iuniwladislavien. Ioannis de Tarnow, Ruſſiæ generalis, Nicolai de Kurozwiaki, Lublin. Pauli Kola de Dalenow, Podoliæ, & Stanislai Kmitha de Wiſnicze, Belzen. Palatinorum, ac Dobrogoſtii de Oſtrorog, Poſnanien. Ioannis Iaranth de Brudzow, Caliſſien. Ioannis de Przeramb., Siradien. Ianuſſii Latalski, Gneſnen. Ioannis de Stupcza Sandecen, & Martini Skotnicki de Boguria Zavichoſten. Caſtell. Ioannis de Lasko, Gneſnen. & Regni noſtri Cancell. Matthiæ de Drzewicza, Præpoſiti Skarmirien. Vicecan. ejuſdem Regni noſtri. Alberti Gorski, Scholaſtici Wladislavien. Secretarii noſtri, & in præſentia univerſorum Nuntiorum de ſingulis terris miſſorum, & conſentientium: aliorumq; quàm plurimorum ſubditorum noſtrorum, in eadem Conventione exiſtentium, & publicitus cõſultantium, quibus cum omnibus ibidem Petricoviæ, eas ipſas, ut præfertur Conſtitutiones noſtras ſcripſimus, & condidimus infraſcriptas.

Item Rex Alexander Officium boni Regis in condendis. legibus deſcribit.

In Conventione Radom. 1505. Fol. 6. Cùm univerſi Principes, qui vel Monarchiarum vel dominatuum quorumcunq; gerunt gubernacula, admonente eos ſuſcepti curâ regiminis, ut populo ſibi divinitus ſubjecto provideant: quatenus ab injuriis & moleſtiis conſervetur: & novitates eventuum, novis moribus, novis quoq; inſtitutis ac legibus moderentur. Qui quidem eventus in humano genere toties fiunt; quoties ipſum illud genus moralitati ſubjectum, ætatum curriculis immutari innovariq; contingit, naturâ ipſâ. ſic ut anteceſſores, ſic quoq; poſteros, in ortum & occaſum (velut in rota) promovente, ſanctiones edere rationabiles, & ſuorum mores fidelium præcepto legali temperare, ſuaq; ipſa præcepta, leges, & inſtituta, literarum munimine, & publici conſenſus authoritate perennare conſveverunt.

Idem prædeceſsorum Statuta colligit, & ſua condit, utraq; verò evulgat.

Alexand. in Radom 1505. Fol. 6. & 7. Cùm non omnibus patuit, quod omnes concernit. Per quandam etenim, ut ita dicamus deſvetudinem, ac inanimadvertentiam, & Privilegia, & libri Statutorum, vel in theſauris publicis, vel in paucorum manibus

manibus duntaxat concluſa, communi verò populo concluſa, immo incognita hactenus erant. Itaq; in hac Conventione Radomien. generali, ad quam de univerſis Regni & dominiorum noſtrorum terris, Prælati, Barones, Terrarumq; ac Civitatum Nuntii juſſu noſtro venerant, petiti exiſtentes publicitus; ut commune edamus toti Regno Privilegium Statutorum ejuſdem Regni Legalium, prædictorum olim divorum prædeceſſorum, ac avi, genitoris, patrui, & olim Ioannis Alberti Germani noſtrorum, cum additione aliorum Statutorum noſtrorum: illudq; per univerſa Capitaneatuum, & Eccleſiarum Majorum loca daremus originaliter: quò non obſcura, ſed vulgaris ejus, & eorum eſſet cognitio. Nos autem de innata nobis benignitate, & juſtitia, nolentes ab olim prædeceſſorum degenerare virtutibus: qui ſicut laudabiles conſvetudines, & Iura prædeceſſorum primorum approbabant, & ſua ſcribebant nova, ſic nos illorum laudabili innitentes conſvetudini, præſens cõmune Statutorum Privilegium, cui inſeruimus antiqua, & addidimus nova; nonnulla etiam externa ad eruditionem fidelium noſtrorum ſubditorum annexuimus, de conſilio, ſcientia, & unanimi voluntate omnium & ſingulorum, Prælatorum Spiritualium & Secularium, Conſiliariorum, & Baronum, & Nuntiorum Terrarum, & Civitatum: qui univerſum corpus Regni, etiam nomine abſentium, per literas noſtras, & proclamationes publicas, ad præſentem Conventionem vocatorum, venientium & non venientium, indubitanter repræſentarunt, toti Regno dandum: illudq; in publicum Regni noſtri Caſtri Cracovienſis Theſaurum, ubi & coronationis, Diademata, & alia Regni ſecretiora, ſervari conſveverunt, tandemque in loca capitularia majorum Regni noſtri Eccleſiarum, ac Capitaneatuum Terreſtrium ubique terrarum inferendum, in eiſq; ut omnibus proſit, & cognitum ſit, quod ad omnium ſalutem neceſſitatemque congeſtum eſſet, habendum & omnium neceſſitatibus petentium commodandum decrevimus & decernimus.

Idem continuat proceſſum ſuum & Decreta in Radom: Conven: ſancita.

In Conventione Radomit 1505. Folio 115. RAdomienſem autem Conventionem, Nos Alexander Rex, Anno Domini 1505. habuimus & celebravimus, quæ eo ipſo anno, pro Dominica conductus Paſchæ per nos indicta, propter Conſiliarios Litvaniæ ac Pruſſiæ terrarum expectatos, & in teſtimonio præſentium ſcriptos, alioſq; magnæ importantiæ eventus, uſq; ad diem Sabbathi, poſt Octavas Sacratiſſimi Corporis Chriſti continuata fuit. In eaq; Reverendiſſi. & Reverendis in Chriſto Patribus, ac Magnific. Venerabilib. Generoſ. & Nobilibus, Prælatis & Baronibus, Conſiliariis noſtris, ac terrarum Nuntiis, in fine Privilegii iſtius communis ſcriptis, moderantibus, & conſentientibus, noſtras ſcripſimus Conſtitutiones infraſcriptas.

Rex Constitutiones in Iure & contra Ius non faciet absq; publico consensu

Alexan. in Radom. 1508 Fol. 115.

QVoniam Iura communia, & Constitutiones publicæ, non unum, sed communem populum afficiunt. Itaq; in hac Radomiensi Conventione, cum universis Regni nostri Prælatis, Consiliariis, Baronibus, & Nuntiis terrarum æquum & rationabile censuimus, ac etiam statuimus: ut deinceps futuris temporibus perpetuis, nihil novi constitui debeat, per nos & successores nostros, sine communi Consiliariorum, & Nuntiorum Terrestrium consensu: quod fieret in præjudicium gravamenq; Reipubl. & damnum atq; incommodum cujuslibet privatum, ad innovationemq; Iuris communis, & publicæ libertatis.

Idem sic concluſit sua ipsa Radom. Statuta publicè edita.

Alexand. in Radom. 1508 Folio 119.

IAm verò hîc finem faciemus nostris in Radom institutis suprascriptis, quæ omnium voto communi Prælatorum Spiritualium & Secularium, ac Procerum Regni, & Nuntiorum terrarum Constituimus anno & die, & loco suprascriptis. Præsentibus Reverendissimis & Reverendis in Christo Patribus Dominis ac Magnificis Venerabilibus, Generosis, Nobilibus & famatis, Andrea Roza de Beryszowice, Archiepiscopo Gnesnensi, & Primate Regni nostri, &c. Cæteriq; quàm plurimis Consiliariis, universarumq; terrarum Nuntiis, & Regnicolis nostris testibus ad præmissa fide dignis, sincerè & fidelibus dilectis.

Sigismundus quoq; Rex, ex publico consensu, leges suas condidit.

Sigiſ. Crac. in Coronatione sui 1507 Folio 1.

NOs quoque vestigia prædecessorum sequuti, cùm ab initio regiminis nostri, pleraque in Conventibus generalibus Prælatorum, Procerum, ac totius Consilii, & Nobilitatis nostræ consensu, pro communi bono, statu ac ordine, juxta rerũ ac temporũ rationem instituissemus, ac ea in publicum edi subditi nostri meritò exigerent: cùm vana sit lex, nisi observetur, observari autem nequit, nisi innotescat, omnia instituta nostra in unum colligi, & ad omnium notitiam imprimi, & publicari mandavimus.

Simile in Privilegio ejusdem Regis, Cracoviæ, 1507.

Idem Rex Folio 2.

CÆterum insistentes vestigiis, & exemplis prædecessorum nostrorum, consulentium variis temporum necessitatibus, & mutationibus, per diversas sanctiones suas: ut vitia comprimantur, boni mores adaugeantur, & quod Iustum sit, ac rectum, in toto Regno exerceatur, Decrevimus de Prælatorum, Baronum, ac totius Consilii, & Nobilitatis nostræ consensu, nonnulla Statuta nostra perpetuis temporibus, ad communem omnium utilitatem, & necessitatem duratura. *De*

De conciliandis iisdem Statutis.

DIversitas Constitutionum, diversas inter homines controversias generat: & diversos Iudices causas Iudicantes, diversa intelligere, & sentire cogit. Supplicationibus itaq; crebris Nuntiorum Terrestrium motis, in proximo generali Conventu futuro, omnibus consvetudinibus Iuribusq;, & Statutis vetustis, ex omnibus Palatinatibus congregatis, reformationem omnium Constitutionum, per deputatos & deputandos Iurisperitos Regni nostri, favente Deo aggrediemur: Doctoribus etiam Iuris Pontificii, & legum adhibitis, qui à loco Conventionis generalis proximè celebrandæ non discedant donec eandem Regni Iurium & Constitutionum debitam emendationem fecerint: & tales per nos deputatos & deputandos, expensis nostris providebimus, alios autem Nobiles viros Iurisperitos, quos Nobilitas ex Palatinatibus adjunget, suis expensis providebit. ita tamen, quòd omnes Palatini Terrarum, sub pœna Constitutionibus nostris expressa, consvetudines terrarum, pro eadem proxima Conventione nobis præsentent.

Sigiſm: Bydgoſt: 1520 Folio 25.

Vna sit Iudiciorum forma, sublata, contrarietate.

ETsi jam antea, publicis exigentibus rationibus, & communi omnium suadente commoditate, decreveramus in pluribus Regni nostri generalibus Conventibus: ut omnia Regni Iura, & dudum observata quævis Statuta, à certis designatis Iurisperitis, tam Spiritualibus, quàm Secularibus personis recenserentur: utq; in illis contrarietas omnis, & noxia dubitandi occasio tolleretur. Quia tamen multis intervenientibus impedimentis, quæ ex pluralitate designatarum personarum, serò hinc inde convenientium, & plerumque invicem dissentientium contigebãt, hæc res utcunq; in aliqua parte inchoata, hucusq; ad exitum perduci non potuit: Nos ut necessitati communi, & simul in perficiendo maturius opere, dignitati nostræ consulamus; primam Iurisperitorum designationem, ad pauciorem numerum redigentes, communi omnium Consiliariorum nostrorum consiliô Decrevimus & decernimus præsentibus: ut sex tantummodo ex utroq; statu, viri inferius descripti sint, ad eam ipsam expensionem, & correctionem Iurium designati: qui huc Cracoviam ad diem primam Maij proximè futuri convenientes, Statutorum Iudicialium obscuritatem, Privilegiis & aliis Statutis ad Iudicia non pertinentibus intactis relictis, illustrent, ambiguitatem tollant: & omnia, quæ illis, ad æquanimitatem in Iudiciis servandam necessaria videbuntur, in consonantiam reducant, rejectis & abrogatis singulis clausurarum nodis: ex quibus in posterum dubitatio, quæ hucusq; Iudices reddebat perplexos, suboriri posset. Quod cùm ab illis erit factum; amplius decernimus, ut forma Statutorum, & Iuris Iudiciarii, per dictos sex viros emendati in plura exemplaria redacta, ad Conventus particulares deferatur: illicque

Sigiſ. Crac. 1532. A 2.

que in præsentia dignitariorum, Officialium, & reliquorum Nobilium personarum, non tumultuariè, sed cum attentione omnium perlegatur: subindeq; Nuntii, è medio Nobilium, sicut dictum est, congregatorum, eligantur: qui formâ Statutorum, & Iuris emendati, ad generalem proximè tunc futurum Conventum relatâ, vel assentiri omnium nomine dictæ emendationi, vel illam, pro necessitate rationabilius instruere, cum nostro totiusq; Senatus consilio, & authoritate possint: ut tandem pro incertis certæ, & pro incommodis, commodæ judiciariæ Constitutiones efficiantur: & ne amplius, per incertam interpretantium contentionem, ab administranda æqua litigantibus justitia Iudices remorentur. Sunt autem per nos designati, Iurium & Statutorum prædictorum correctores, ex Majori Polonia Generosus Nicolaus Niemoiewski, Iudex Iuniwladislavien sis, & Generosus Matthias Krzyżanowski, Subjudex Posnanien. Ex Minori verò Polonia, Generosus Ioannes Pieniażek, de Kruzlowa Iudex Cracovien sis, & Generosus Bernardus Macieiowski, Iudex Sandomirien. Referendarii nostri. Quibus adjunximus Spirituales duos Iurisperitos, videlicet Venerabiles Nicolaum Zamoszczki, Scholasticum Lancicien. & Georgium Myszkowski Canonicum Cracovien. Secretarios nostros. Quoniam autem in Regno nostro, non solùm scriptæ Constitutiones, sed & consvetudines inveteratæ, pro lege in pluribus locis observantur, statuimus: ut singuli Palatini, consvetudines sui quisq; Palatinatûs conscribant: & huc Cracoviam ad primam Maij Mensis diem ad nos mittant. Illas enim, sicuti & reliqua Iura correctorum judicio committimus: ut æquè in his, ut in reliquis Statutis æquanimitas, & uniformis judiciorum modus, contrariis & obscuris ambiguisq; interpretationibus rejectis, statuatur.

Alioquin posteriora Statuta serventur, quoad conciliabuntur.

Sigis. Crat. 1543. STatuta posteriora, in omnibus forensibus causis, teneantur usq; ad futura Comitia: ita ut juxta posterius Statutum, omnes causæ Terrestres Castrenses, & Commissariales, judicentur, rejectis ad partem interim aliis omnibus prioribus Statutis prius factis, & posterioribus Statutis fortasse contrariis. Etenim in futuris Comitiis debemus cum Dominis Consiliariis nostris, & Nuntiis terrarum, hos quærere modos, quibusnam Iustitia hominum constabiliretur, differentiæ autem Statutorum conciliarentur. Quòd si fortassis in primis & proximis Comitiis, nihil tale fecerimus: tunc hoc Statutum de tenendis Statutis posterioribus cõditum eo usque durare debet, quoad in aliquibus Comitiis, cum ipsis ipsis Consiliariis nostris, & terrarum Nuntiis aliquid salubrius eo nomine constituere poterimus.

Sic ergo Rex Sigismundus Augustus, Iura omnium exequitur.

Omnia

OMnia Instituta, quæ in Constitutionibus nostris nominavimus; quibus Iura communia, & Privilegia, ac libertates Regni reintegrarentur, in debitam executionem restituimus; & literis nostris confirmamus, ac roboramus: volentes & mandantes: ut ab omnibus firmiter & inviolabiliter teneantur; prout & nos ea tenere, & juxta ea subditos nostros servare volumus: Ac ultra hoc etiam quodcunq; nobis ostenderetur esse, juxta Iura, communia Statuta, literas, & Privilegias id totum tenere, & juxta hoc subditos nostros conservare volumus, & tenebimur, prout & tenemur: & his omnibus finalem exequutionem facere, verbô nostrô Regiô pollicemur. ac nos hisce literis nostris obligamus. Quod si etiam nos contra hoc quidquam fecerimus: tum non alter intelligi debet, nisi quia in hoc ipso contra jusjurandum nostrum excessimus. Et ad majorem certitudinem, & testimonium, præsentes literas conscribi mandavimus, & nostro Sigillo consignavimus, Datas & scriptas in Comitiis generalibus Regni Petricoviæ, Sabbatho die festo Sanctæ Annæ, Anno 1550 Regni nostri 21. habitis: quibus interfuêre Consiliarii nostri Spirituales & Seculares. *Sigis. Aug. Petr. 1550.*

§ Constitutiones seu Statuta neminem afficiant, nisi publicentur. Vide in Titulo CONSTITUTIO.

STIPENDIATI MILITES.

Stipendiati ne damna dent.

ITem considerantes damna plurima, oppressiones, rapinas, & violentias in bonis & hominibus Spiritualium subditorum nostrorum, per Stipendiarios committi solita, atq; solitas, nulla satisfactione, aut mulctâ compensari, Statuimus: ut in futurum, Stipendiati, undecunq; & quacunq; necessitate in Regno nostro pro tempore existentes, pro singulis damnis, oppressionibus, rapinis, violentiis, & injuriis, satisfactionem debeant omnimodam, per Capitaneos, aut locorum, aut gentium, cum ea, qua decet severitate, ad impendendum eam compellendi. Et insuper Magistri Comitivarum, de quibus tales reperientur oppressores, tanquam criminum conscii, ac illorum duces improvidi, in turrim deiician tur, usq; ad plenariam satisfactionem detinendi. *Ioan. Albert. Petricoviæ 1496. Folio 109.*

Quilibet Præfectus suos commilitones ducat, ne damna alicui inferant.

QVia milites Mercenarii in Russia militantes consvevêre, post exactum servitium plurima damna in bonis tam Spiritualium quàm etiam Nobilium committere, statuimus: quòd, qui ex ipsis Militibus, damna aliqua tam Spiritualibus, quàm etiam Nobilibus intulerint, ad ea resarcienda, accepta à nobis stipendii solutione teneantur. § Quilibet autem præfectus, non per substitutum, sed solus per seipsum ducere debet Comites *Sigis. Petr. 1523. Fol 29.* *Sigis. Crat. 1527. A ij.*

mites seu commilitones suos, tam eundo ad terras *Russiæ*, quàm inde rẽdeundo, & prospicere; ne damna fiant hominibus Spiritualibus & Secularibus, aut eorum subditis, neve ab illis stationes exigantur. Quæ damna, si facta fuerint: ipse Præfectus pro illis conveniatur: & ad solutionem refartionemq; illorum erit obligatus.

Vt autem Præfectus possit providere indemnitati suæ; cùm ob culpam alterius nemo mulctari debet; reservabit apud se partem aliquam pecuniæ commilitonibus suis solvendæ, cùm ad terras Russiæ cum illis proficiscetur: & similiter cùm ad domum cum eis revertetur; ut si in itinere & profectione, aliquis comes seu socius ejus damnum cuipiam homini, cujuscunq; statûs, fecerit, & resarcire noluerit: ipse pro illo, ei, qui damnum passus est, sub testimonio sociorum suorum satisfaciat: & posthac eidem militi, qui damnum fecerit, de ejus Stipendio, id, quod pro eo solverit, detrahat & defalcet.

Idem Præfectus cujuslibet Palatinatûs, duabus septimanis, ante finitum seu expiratum servitium suum, & comitivæ suæ, de Castris & terris Russiæ discedet: ut comitivam suam, sub obedientia habeat, & in Officio contineat, prohibereq; commodiùs possit: ne damna hominibus, & miseris colonis & Spiritualibus inferantur.

Sigis. Crat. 1532. B 2. De Militibus mercenariis, vel Nobilitate ad servitium bellicum proficiscente, vel inde redeunte, Capitaneus exercituum Regni, & Palatinus, seu Castellani locorum providere debent; ne Subditis Spiritualium, vel Secularium aliqua damna, vel violentiæ, contra Regni Constitutiones & Privilegia inferantur: & si illata fuerint, ut ad solutionem & satisfactionem damnorum & injuriarum illas inferentes compellantur. Cùm verò milites Mercenarii ex servitio, vel Nobiles Regni nostri, ab expeditione bellica, domum revertentes aut reversi, aut in propriis agentes, alicui damna intulerint: nos justitiam cuilibet de illis facere, & administrare pollicemur: vel Officiales nostri ministrabunt, juxta Statutum Regni nostri.

§ Milites mercenarij damna secundùm Constitutiones rependant priores. Vide in Titulo: BELLUM.

SVCCAMERARII OFFICIVM.

De Succamerariorum Officio ac potestate.

Forma Citationis Terrestris, contra Principalem ad faciendum limites.

Sigis. Crato. 1532. Fol. 52 QVi te citat ad faciendum granicies, seu limites inter sua bona N. hæreditaria, villæ N. ab una, & una etiam hæreditaria villæ N. partibus ab altera, ad attentandum sibi N. decerni Actoratum, vigore præsentis Citationis. Iudicialiter responsurus.

Contra

Contra vicinos seu collaterales, si sint simul cum Citato, necessariò tam ad Terrestre, quàm ad Campestre Iudicium citandis sic est procedendum; ne in campo limitationem impediant.

SI verò essent alii Nobiles, habentes vicinas hæreditates, quarum parietes adjacerent, & essent contigui hæreditatibus, inter quas tales granicies fieri deberent, putarentq; se habere interesse; ex vi contiguitatis, ad tales granicies, tales etiam vicini collaterales, etiam per Actorem pro uno Termino, cum principali, ad Iudicium Terrestre adcitentur: & similiter prout cum principali, ita & cum eis per Actorem procedetur; ne in Termino Campestri granicies possent impedire. *Sigis. Crat. 1523 Fol. 40*

Talis est ergo forma Citationis ad Iudicium Terrestre contra vicinos habentes contiguos parietes, cum hæreditate seu bonis limitandis.

CItat vos ad aspiciendum parietem vestrum; si quem vos habere prætenditis, villæ seu hæreditati ipsius N. contiguum: quæ bona sua hæreditaria præfatus N vult distinguere, & dislimitare graniciebus signisque metalibus, cum bonis N. Nobilis N. hæreditariis: pro quibus graniciebus Citavit præfatum N. tanquam principalem, & vos adcitat tanquam collaterales: ut staretis, & Actoratum sibi N. Actori agnosceretis; vel attentaretis sibi decerni per Iudicium Actoratum contra præfatum N. principalem, & vos tanquam Collaterales, ad præmissa Iudicialiter responsuri. *Sigis. Petr. 1523. Fol. 41.*

Si Citatus nec in primo nec in secundo Termino comparuerit, tunc Actor cum adjudicatione Actoratûs ad campum remittatur.

SI verò Citatus in primo termino non comparuerit; in pœna contumaciæ condemnetur. Si autem in secundo & peremptorio Termino idem Citatus non paruerit; in lucro Actoratûs per Actorem condemnetur: per quam condemnationem jam obtinebit Actoratum contra Citatum decreto Iudiciali accedente. *Sigis. Petr. 1523. Fol. 39*

Facta igitur tali condemnatione in lucro, Iudicium remitteret Actorem cum obtentione Actoratus ad campum ad Succamerarium Terrestrem sive ejus Officium, veluti exequutorem prosequendæ hujus limitationis.

Itaque post Citati condemnationem, Actoris verò lure vincentis a Iudicio Terrestri ad Campestre remissionem, sequitur processus in Campo.

POst hoc autem Succamerarius per suam literalem innotescentiam seu *Sigis. Petr. 1523. Fol. 39*

seu Citationem debet citare partes ad sui, sive Officii præsentiam, ad locum limitum sive differentiæ pro certô terminô, peremptoriè Terminum assignando: mandando reo condemnato: ut compareat ad instantiam Actoris, ad videndum & attentandum ipsum Actorem Officium ducere: & ad sipandum & faciendum granicies sive limites inter bona præfata: & attentandum audiendumq; ipsum Actorem jurare cum testibus super justa ductione & sipatione granicierum.

Talis autem est Citatio, ex Officio Succamerarii ad campum, post condemnationem Citati in lucro in Iudicio Terrestri obtento.

Sigis. Petr. 1523 Fol. 53

NN. Succamerarius N N. tibi Nobili. N. hæredi de N. Mandamus: quatenus coram Nobis aut Camerario nostro, feriâ secundâ post Festum Sancti Nicolai nunc instans proximâ, in loco campestri, inter bona hæreditaria Nobilis N. dicta N. & tua etiam hæreditaria dicta N. ubi videlicet præfatus N. Actor, nos seu nostrum Cameratium locabit, compareas, ad attentandum & videndum, ipsum ducere nos sive Officium nostrum: ducereq; & sipare granicies, scopulos de terra erigendo, & alia signa metalia sive granicialia faciendo: attentareq; & aspiceres ipsũ cum testibus præstare juramentum tanquam Actorem, super vera & justa ductione & Sipatione præfatarum granicierum: prout præfatum Actoratum contra te obtinuit, condemnando te in lucro Actoratus in Iudicio Terrestri N. in terminis jam præteritis: cum quo Actoratu, ad nos sive nostrum Officium ad campum est remissus: præmissa Iudicialiter attentaturus.

Sed forma adcitationis Succamerarialis contra eosdem collaterales, sive habentes parietes contiguos & vicinos post remissionem fieri solitæ talis est,

Sigis. 1523, Folio 42.

NSuccamerarius, vobis Nobilibus N. & N. &c. hæredibus de N. Mandamus: quatenus coram nobis, aut Officio nostro Succamerariali, in loco campestri inter hæreditates N. Nobilis N. Actoris ex una. & N. Nobilis de N. Citati partibus ex altera, ubi videlicet præfatus Actor N. nos seu Officium nostrum locabit feriâ tali & tali &c. ad instantiam præfati N. Actoris compareatis: qui vos adcitat aliàs *przypozwa* ad aspiciendum parietem vestrum, & ad videndum attentandumq;, ipsum vigore Actoratûs contra præfatum N. principalem, & contra vos tanquam collaterales in Iudicio Terrestri N. obtenti, ducere Officium, & prosequi granicies seu limites, faciendo scopulos, & alia signa metalia circa talia fieri consveta: & attentandum, ipsum jurare cum testibus super justa sipatione granicierum: ideo ut staretis & præmissa Iudicialiter attentaretis: quia nos non obstante vestrâ absentiâ sive contumaciâ ad præfatam limitationem ex Officio nostro procedemus. Datum. *Con-*

Condemnatus in Iudicio Terrestri, in campo ad controvertendum non admittitur: quinimò non obstantibus quibusvis etiam documentis literatoriis vel signis evidentioribus, si quæ reus pro tunc ostenderit, Actoris tamen arbitrio ductioni ac juramento cum testibus standum est.

INquo quidem Termino campestri, non licebit Citato aliquas controversias facere coram Succamerario vel ejus Officio super Actoratu: quem jam in Iudicio Terrestri amisit: sed Actor ducet Officium juxta suam voluntatem, & suam conscientiam: facietq; granicies scopulos sipando, & alia signa metalia faciendo: non obstante quavis contradictione Citati, nec quibusvis documentis literatoriis, vel signis evidentioribus, si quæ pro tunc ostenderit. Quibus finitis circa finalem & acialem scopulum jurabit Actor cum sex testibus sibi in genere similibus super vera & justa limitatione: ita videlicet, quòd nihil terræ & hæreditatis Citato ademit, & ab eo alienavit. Sigismundus Petr. 1523. Fol. 39.

Porro si condemnatus etiam in campo non paruerit, idem fit, quin ubi Actor præstiterit juramentum cum testibus, Succamerarius decernit perpetuò duraturos.

QVòd si in tali Termino campestri, Citatus non comparuerit, sed cõtumax extiterit: nihilominus Succamerarius vel ejus Officium tenebitur Actorem sequi, & facere granicies juxta ductionem ipsius: nihilominus circa ultimum & acialem scopulum Actor jurabit cum testibus, non obstante absentia citatis tantummodo in præsentia Officii Succamerariatûs. Quas granicies sic ut præmissum est factas, & Iuramento Actoris comprobatas, Succamerarius aut ejus Officium decernet perpetuò duraturas, & tenendas. Sigis. Petr. 1523 Fol. 40

Quæ dilationes ad campum Citato admittuntur.

POterit autem Citatus Terminum talem Campestrem vera infirmitate differre, similiter & pro Majori & non aliter. Ibidem

Primo autem omnium, Succamerarius in negotio limitationis naturalem limitem spectet: nempe rivulum aut fluvium interfluentem, seu alveum novum & antiquum aliàs Rzeczyſko hæreditates limitantem.

CRebrâ altercatione inter nostros subditos super limitibus in hæreditatibus ipsorum distinguendis graves suscitantur questiones: ex quibus augentur expensæ, & labori nimio interdum supponuntur discordantes. Et quia fluvii & fluviorum alvei, ut plurimum inter hæreditates possessiones & villas fluunt & habentur, unde si quæ villæ aut hæreditates invicem conveniunt, aliquô fluviô vel rivô mediente, si inter easdem Kaz. Mąg. Vislic. 1368 Folio 8.

hæreditates non ſunt limites de Iure facti: tunc illa quælibet hæreditas ſuam teneat ripam illius fluminis ſeu rivi, ad illam hæreditatem pro tenſam: & idem fluvius ſeu rivus pro limite ſemper ſit habendus. Qui fluvius ſeu rivus, ſi etiam omiſſô primævô alveô per alia loca ſuum divertit meatum ſeu defluxum, ſine miniſterio hominis, ſed propria virtute naturali: nihilominus ejuſdem fluvii primævus alveus, ubi ante decurſus aquæ fuit, verus limes hæreditatum illarum erit. In quo antiquo fluvio ſeu rivo, aliàs antiqui fluvij alveo, homines utrâq; villam ſeu hæreditatem illam inhabitantes, licitè ſuas facient piſcaturas, prout faciebant tunc, cum aqua primævum, ſeu antiquum curſum in eodem antiquo alveo habuit. Sed ſi fluvius ſeu rivus hujuſmodi per hominis induſtriam averſus eſſet ab antiquo curſu & alveo, ut in alium novum influeret alveum: tunc ille novus alveus hæreditates limitabit: dabit quoque ſic ut antiquus ille alveus dare conſvevit, unam ripam uni hæreditati, alteram alteri, quàm alluit. Quo caſu dum per hominis induſtriam fit fluminis averſio, una hæreditatum ipſarum illa videlicet, in qua remanet antiquus alveus, omnem & integram habeat proprietatem in alveo, & ripis antiqui fluminis ſeu rivi.

Præterea eum, qui notabiliora ſigna limitum oſtendit, Succamerarius ſub honore & conſcientia, admittat ad probandum: deficientibus autem ſignis ex utraq; parte, Actori cum teſtibus probatio deferatur.

Iagel. Cracov. & Varſa. 1423 Folio 44

DE limitibus autem noſtrorum Nobilium, taliter duximus providendum: quòd ſi contigerit aliquem litigantem pro limitibus docere vel oſtendere ſcopulos dictos *Kopce* ad minus tres, aut alia ſigna notabilia in campis vulgariter *Wiazdy*: in ſylvis verò ſigna ad inſtar crucis facta, ut eſt moris: extunc Succamerarius noſter, illum qui meliora & notabiliora ſigna ſeu ſcopulos oſtenderit, diſcernens, ſub honore & conſcientia debebit & tenebitur mittere ad probandum. Vbi autem utraque pars ſignis notabilibus inter hæreditates careat: extunc Actor ad probationem limitum cum teſtibus prout de Iure eſt, admittatur.

Succamerarius terminum partibus non tranſponat, niſi conſentiant, aut cauſa ſubſit.

Ioan. Albert. Petricoviæ 1496. Folio 108.

CÙm autem plerumq; Succamerarii, aut eorum Camerarii tranſponerent limitationes granicierum, aut favore quodam, aut partis unius neceſſitate accedente, altera nolente, exindeq; cum negligentia per dilationes favorabiles in limitatione granicierum committeretur. Nos huic errori providentes decrevimus & decernimus perpetuò obſervandum: Quòd à modo Succamerarii omnium terrarum totius Regni Terminos graniciales per ſemetipſos pro ſuo velle, contra Iuris ordinem tranſpo-

tranſponere non debeant, ſub pœna 14. Marcarum in eo qui aliter fecerit per nos exigendâ: exceptô, quòd accederet ad id conſenſus partium, aut cauſa interveniret legitima.

Poſtremò Succamerarius Decreti ſui ſeriem ſeu contumace Citato, ſive per litis conteſtationem facti, per patentes literas Iudicio Terreſtri ſignificabit.

CVjus quidem decreti, & totius proceſſus, talium granicierum ſeriem, Succamerarius per ſuas patentes literas referet Iudici Terreſtri in Terminis Terreſtribus, extunc immediatè celebrandis. Quas literas Succamerarii per Actorem præſentatas, Iudicium Terreſtre ad Acta Terreſtria acticabit ad perpetuam rei memoriam. *Sigiſ. Petr. 1523 Fol. 40.*

Succamerario vel ejus Camerario iniquè moto, quid debetur.

CÙm aliquis injuſtè arguit, aliàs *Nagàni*, ſententiam Succamerarii, ſex Marc. pœna illi ſolvitur. Camerario verò illorum ut aliorum omnium dignitariorum, per ſex Scotos abſq; omni contradictione: & antequam ad aliquam audientiam admittatur, dare, & ſatisfacere teneatur. *Kaz. Viſlic. Folio 28.*

Olim Succamerarius pro una die, duas vel tres hæreditates limitans mediam Marcam: Si verò pluribus diebus unam vel plures limitaverit, tres Marcas, duas ſecures & duo foſſoria tollebat.

PRo limitatione hæreditatum etiam ſi pro una die duas vel tres hæreditates inter eoſdem Dominos Succamerarius limitaverit, & conſumaverit, recipiat mediam Marcam. Sed à pluribus diebus, ſive plures limitaverit hæreditates, ſive unam limitaverit, tres Marcas & duas ſecures cum duobus foſſoriis jure ſuo tollat. *Kazimirus V. slic. 1368 Folio 37.*

Sed jam Succamerarii, vel eorum Camerarij tres Marcas à ſingulis limitatibus accipiant.

ITem de Salariis Camerariorum Terreſtrium unam atq; communem terris omnibus conſtitutionem faciendam decrevimus & ſtatuimus: ut in omnibus terris Regni noſtri, Succamerarii terrarum unà cum Camerariis ipſorum, non plus, quàm trium Marcarum arram, ſeu notam pro graniciebus limitatis accipiant ubique. *Albert. Petric. 1496. Folio 203.*

TAXATIO FVNDORVM.

Sigismundus, Dei gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Mazoviæ, &c. Dominus & Hæres,

Sigis. Crac. 1527. A 2.

SIgnificamus tenore præsentium, quibus expedit universis: Quia cùm fatali quadã adversitate, hactenus contingere non potuit, ut certa, stabilis, & opportuna defensio, adversùs cõtinuos & universarios hostes Regni nostri statueretur: ita, ut quotannis nos Conventus agere, & novos semper tractatus, de ipsa defensione facere oporteat: factum est, ut penè quotannis ingentia damna, Regno & dominiis nostris inferantur: & Respublica in deterius semper labi videatur. Quare cùm per Statuta, anno superiori, debilem ac incertam defensionem, maxima damna Regno nostro essent illata: Regnumq; Vngariæ summam cladem accepisset: nolentes deesse Reipubl. tantis discriminibus expositæ, & solidiorem aliquam defensionem constituere: indixeramus Conventum generalem Cracoviensem, in quo unà cum universis Consiliariis & Nuntiis, anxiè disquirentes, & in medium consulentes, de certo & firmo aliquo defensionis modo, tandem ad infrascriptas Constitutiones omnes convenimus: & ut in Executionem devenirent, decrevimus.

Inprimis statuemus Conventus particulares, in singulis Palatinatibus Regni nostri: videlicet in Palatinatibus terrarum Majoris Poloniæ, pro feriâ secundâ proximâ post Dominicam Conductûs Paschæ: in Palatinatibus verò terrarum Minoris Poloniæ, ad feriam tertiam proximam ad Dominicam Iudica proximè futuram. Ad quos quidem Conventus, Palatini, & omnes Dignitarii, Castellani, Capitanei, & Officiales, totaq; Nobilitas uniuscujusque Palatinatûs convenire debent, sub pœnis nostris Regalibus: & in eis Palatini, Castellani, & Nuntii terrarum, qui ad hunc generalem Conventum Cracovienſem erant missi, declarabunt communi Nobilitati: quòd decreta est, in hoc ipso generali Conventu Cracovienſi, Taxatio omnium bonorum, seu fundorum: hoc est, civitatum, oppidorum, & villarum totius Regni, præter bona nostra Regia: quæ libera sunt, & non oppignorata, juxta Decretum Conventûs Piotrkovienſis, ante biennium habiti. quòd poni debet hôc annô in executionem.

In his autem Conventibus, quisq; Palatinus, cum Castellanis, Officialibus, & Nobilibus sui Palatinatûs, eliget & designabit ad singulos districtûs unum Castellanum illius districtûs, & duos viros Nobiles ejusdem districtus: sic, quòd ad singulos districtus, sit electus & designatus Castellanus, & duo Nobiles ejusdem districtûs, fide digni, probatæ virtutis, ac bonæ conscientiæ, ad ipsos fundos, seu bona terrestria taxanda.

Quòd

Quòd si non fuerit in aliquo districtu Castellanus: eligat Palatinus alium Dignitarium, seu Officialem illius districtûs: de consensu Dignitariorum, Officialium, ac Nobilitatis, quæ ibi fuerint: aut majoris partis ipsius. Hi verò omnes supradicti, Iurati esse debebunt: Palatinus, & Castellanus, sub eo Iuramento, quo Nobis & Reipubl. Regni nostri obstricti sunt: dicti verò duo illi Nobiles, ex communitate electi, corporale Iuramentum præstabunt: quòd omnium & singulorum bona justè taxabunt, & conscribent: ita, ut illa vendi aut emi deberent: non habita ratione sanguinis, aut amicitiæ, vel cujuscunq; necessitudinis: neq; ex amore, prece, pretio, aut odio: nec propter munera, aut pollicitationes: nec metu, aut timore: sed purè, sincerè, ac secundùm Deum & Iustitiam.

Quisque autem Palatinus, cum Castellano primario, & duobus Nobilibus, ex communitate electis, initium faciet ejusmodi Taxationis bonorum, Feriâ secundâ post Festum Sanctæ Trinitatis proximâ. & primus ipse capitalem districtum sui Palatinatûs obequitabit: videndo, æstimando, & taxando cuiusque bona, à suis propriis incipiendo: si illa, in eodem districtu Capitali habuerit sive illa sint hæreditaria, sive obligatoria: secundùm industriam, discretionem, & conscientiam, & descendendo personaliter cum sibi adjunctis, Castellano, & Nobilibus, ad singulas Parochias ejusdem districtûs, & ubi opus fuerit, & dominis Taxatoribus ita expedire videbitur, etiam ad villas ipsas, civitates, & oppida, situm, proventus omnes diligenter perpendendo & disquirendo: & ibidem valorem, & estimationem bonorum illius Parochiæ, vocato ad se Plebano, aut ejus Commẽdario, & aliis hominibus, tam Nobilibus quàm Plebeiis, omnis ordinis & statûs circumadiacentibus inquiret, nulli favendo: sed Deum, & conscientiam præ oculis habendo, ac ipsam Taxam, & valorem singulorum bonorum ejusdem districtûs, fideliter conscribi & annotari faciet.

Quô exemplô alij Castellani, cum duobus Nobilibus Iuratis, ibunt per districtus sibi deputatos illius Palatinatus: & Taxationem omnium bonorum, descendendo ad Parochias, modô præmissô facient, & fideliter conscribent.

Ibit autem unus Castellanus post alium, infra unam septimanam, (si, & in quantum priorem districtum absolverit) per alios singulos districtus, propterea ut Nobiles in diversis districtibus bona hæreditaria habentes, Taxationi suorum bonorum interesse possint: id quod facere debebunt, & tenebuntur, sub pœnis nostris Regalibus. Vel si ipsimet personaliter commodè interesse non valerent: vices suas amicis, vicinis familiaribus, aut Officialibus suis, committere possint: alioquin eorum bona nihilominus taxabuntur, & taxari debent: absentia illorum non obstante.

Et quoniam in omnibus Palatinatibus, & districtibus, Domini Spirituales habent bona sua Ecclesiastica, seu fundos: quæ licèt nunquam aliàs sub-

às subjecta erant oneri bellicæ servitutis: ut quæ per Serenissimos prædecessores nostros Poloniæ Reges, & Duces, sunt ab initio fundationis Ecclesiarum, ad usum duntaxat & onera Ecclesiæ collata: multisq; immunitatibus, & libertatibus donata: tamen in præsenti Regni necessitate, & summo discrimine, volentes ipsi Domini Spirituales, sibi & Ecclesiis suis gratiam nostram Regiam demereri: fratribus verò suis dominis Secularibus gratificari: Reiq; publicæ (pro cujus bono statu orare tenentur) ope sua non deesse: permiserunt etiam non gravatim bona sua Ecclesiastica, hactenus semper libera, cum his quæ ad defensionem obligata sunt, in præsens Taxari: ita ut bona Dominorum Secularium Taxabuntur. Et proinde Domini Archiepiscopi, & Episcopi, designabunt duos viros Ecclesiasticos, bonæ fidei, & conscientiæ, ad quemlibet Palatinatum: qui unà cum Taxatoribus, per Palatinum, Castellanos, Officiales, & Nobilitatem electis, seu eligendis, taxabunt bona omnia, tam Spiritualium quàm Secularium personarum: & hi primùm cum Palatino, & Castellano primario, ac duobus Nobilibus electis, Capitalem districtum obequitabunt, modo supra scripto: secundùm Deum, & conscientiam, sublato amore, favore, metu, prece, odio &c.

§ Iidem Spirituales designandi per Dominos Archiepiscopos, & Episcopos, ituri deinceps sunt successivè, per alios districtus illius Palatinatûs: & bona omnia, tam Spiritualia quàm Secularia, cum Castellanis, & Nobilibus electis, seu eligendis taxabunt, modô & ordine suprascripto: & non erit opus, ut ad singulos districtus eligantur, seu designentur alij & alij Spirituales, prout Taxatores Seculares: qui ad singulos districtus eligi & designari debent: sed ad totum Palatinatum, & districtus illius omnes, duo duntaxat Taxatores Spirituales, incipiendo à primo & capitali districtu, bona omnia (ut supra dictum est) cum Taxatoribus, ad singulos districtus electis, seu eligendis, taxabunt seu æstimabunt. Verùm præstabunt priùs Iuramentum corporale, in manibus sui Episcopi quòd non amore, prece, odio, metu, favore, &c. sed justè, & secundùm Deum, ac conscientiam, ac justum rationis suæ judicium bona omnia taxabunt & æstimabunt.

Si verò Taxatores Spirituales & Seculares, inter se fuerint discordes, in taxatione aliquorum bonorum, Spiritualium aut Secularium: hujusmodi differentiam, & quibus rationibus & causis quæq; pars niteretur, & assertationem ac motum animi sui fulciet, describent: & ad Nos, ad proximum generalem Conventum, perferent, revidendam per Nos, & Consiliarios nostros, & Iustitia mediante determinandam. Peractâ autem in singulis Palatinatibus, & districtibus, eorum taxatione supra scriptâ: descriptisq; diligenter omnibus differentiis: si quæ circa eam exorientur: eam Palatini ipsi, Castellani, & Taxatores Spirituales & Seculares suprascripti, in singulis Palatinatibus conscribēt: ac in Registra, seu libros redigent, ac redigi facient: illaq; manibus propriis subscripta, Sigillis

gillis suis obsignabunt. quæ Palatini ipsi terrarum, ad se recipient: & nobis afferent, ad proximum generalem Conventum: in quo nos, cum Consiliariis nostris, & terrarum Nuntiis, visis, perspectis, & maturè perpensis Taxationibûs omnium bonorum, constituemus modum & ordinationem defensionis Regni nostri: qui eidem Regno utilis, & subditis nostris tolerabilis, & ferendus sit futurus. idq;, quod nobis in ea ipsa taxatione bonorum moderandum, augendum, & minuendum videbitur, facere & constituere cum Senatu Regni nostri, & Nuntiis terrarum curabimus. Quia verò nos ferimus multa onera, in sustinendo statu nostro Regio, & expediendis Reipub. negotijs: non visum fuit: ut bona nostra Regia, quæ libera & non oppignorata habemus, subijcerentur taxationi supra scriptæ. quoniam Nos, pro Officio ac debito nostro, proq; virtute ac benignitate nostra Regia, nunquam deesse solemus, nec unquam deesse volumus, viribûs & facultatibûs nostris defensioni ipsius Regni, & subditorum nostrorum. Verùm bona reliqua nostra omnia Regia, in Summis pecuniarum quibuscunq; obligata, subjecimus, & subjicimus taxationi supra scriptæ: quæ perinde taxari & æstimari debebunt, ac aliorum subditorum nostrorum, Spiritualium & Secularium, bona hæreditaria & obligatoria taxabuntur.

Quocirca vobis omnibus, Palatinis, Castellanis, cæteriq; Dignitariis & Officialibus, ac universis subditis nostris, tam Spiritualibus quàm Secularibus Regni nostri, præsentem Constitutionem Conventûs generalis denuntiamus: Mandamusq; vobis, ut illam eo ordine & modo, ut præmissum est, diligenter exequamini pro fide vestra, ac gratia nostra non aliter facturi. Datum Cracoviæ in Conventu generali, Feriâ tertiâ proximâ, post Dominicam Reminiscere, Anno Domini 1527, Regni nostri anno 21.

TELONIVM.

Telonia post mortem Wladislai data, cassantur.

TElonia insuper omnia, post mortem Domini Wladislai genitoris nostri, sub quacunq; verborum forma, qualicunq; occasione, in terris, aut aquis concessa, tanquam Rempub. graviter lædentia cassamus, annullamus: & illorum exactionem districtè de cætero prohibemus. *Kazimirus Iagell. 1447 Fol. 90.*

Telonia nemo sibi temerè instituat.

ITem de his, qui Telonia per terram recipiunt, depositum est: quòd jura eorum, coram Regia Majestate requisiti producant, super talibus Teloniis, si quæ habent. Et si quis talium Telonia exigentium inventus fuerit lus aliquod non habere: sed propria temeritate ductus exigebat talia: extunc per præsentis Conventûs decretum, bona sua, ubi talia exigebat Telonia, amittere debet meritò, pro Regia Majestate confiscanda. contra quos nihilominus Dominus Rex Iudicium locabit: & præ- *Kaz. Iagell. 1447. Fol 91*

sidentes illi, sententiam ferre debeant, juxta disposition em articuli præsentis.

Alexand. in Radom. 1506 Folio 118.

§ SIMILIS. Quoniam depactatio quælibet, alieno seu privato Iure commissa, communem læderet (ut verisimile est) libertatem: id circo pro tuendo Iure communi libertatis, regnicolarum universorum communi accedente consensu, statuimus: Quòd nova Telonia, nemo Secularium & Spiritualium, in bonis suis constituet, neq; constituere audebit, sine licentia, & consensu, donationeq; nostra, & Consiliariorum Regni, Conventione generali. Si verò quispiam secus fecerit: talis Iure convictus, per Nos successoresq; nostros, juxta nostrum & Consiliariorũ nostrorum arbitrium, privationis bonorum illorum pœnam sustinebit: in quibus voluntate sua, ac privatis Iure & auctoritate suis, tanquam nostris, solutiones sibi constituit de subditis nostris, libertate Iuris communis gaudentibus.

Qui autem non habent, aut amittunt Literas, super Telonia diu possessa, gratiam in eo Regiam quærant.

Sigis. Petr. 1519 Fol. 24

NOn habentes literas, aut illas amittententes, super Telonia longo tempore possessa, quærant in ea re gratiam nostram, & successorum nostrorum.

Literæ vectigalium revideantur: & si iniquæ fuerint, abrogentur.

Sigis. 1539.

QVoniam ita multa sunt Vectigalium, seu Teloniorum genera, per quosvis instituta: ut his persolvendis, graviter se nostri homines premi querãtur: Nos eorum rationibus prospicere, atq; gravaminibus his eximere cupientes, certos quosdam Consiliarios nostros designavimus: qui Vectigalium ipsorum rationem diligenter inspicerent: & seriem cujusque Privilegii, super Teloniis Pontalibus, aggeralibus annotarent: ut Nos cognitis omnibus & singulis concessionibus, cum consilio Senatorum nostrorum, & assensu Nuntiorum Terrestrium, cùm primùm ejus rei faciendæ facultas nobis dabitur, quæ justa & legitima videbuntur, ea confirmare: quæ contra injusta, abrogare possimus: providereq;, ne in posterum onera aliqua imponerentur hominibus, præter Ius & æquũ: neve ullæ postea similes querimoniæ, ad aures nostras pervenirent. Quæ tamen Privilegia, exhibita & offensa esse non poterunt, ante Conventum futurum: in Conventu exhiberi, & revideri poterunt.

De qualibus Literis sit hoc intelligendum.

Sigis. Crac. 1543.

TEloneares Literæ, de quibus in aliquot Comitiis præteritis discebatur: ut scilicet hæ, quæcunq; inutiles & damnosæ Reipubl. fuerint, tollerentur, necessariæ autem relinquantur: eo modo in præsentibus Comitiis constituimus: Vt ex illis terminationibus, seu signationibus

bus, quæ in Cancellaria nostra, per aliquot annos factæ fuerant, Commissiones ad districtus conscriberentur, quarum authoritate, ante Comitia prima, per Commissarios, ad Cancellariam censura afferatur, vel mittatur: quò locorum aliquod Telonium, Aggerale vel Pontale, est necessarium, utile vel damnosum Reipubl. Sed hoc intelligi debet de his Literis, & Teloniis, Aggeralibus & Pontalibus: quæcunq; fuissent ad placitum nostrum, vel ad vitam obtentæ. Nam perpetuitatis Literas, Privilegia, & possessiones antiquas, in Teloniis Aggeralibus & Pontalibus infringere, & mutare cuiquam, non videbatur esse justum. Eorum autem Commissariorum conscientia, sicut & limites facientium, astringi debet. Posteaquam autem à Commissariis, afferetur censura, de illis locis: in quibus illis videretur Telonium, Aggerale aut Pontale, justum: tum Nos, cum Consiliariis nostris, & Nuntiis terrarum, juxta censuram Commissariorum, aliquas prædictarum literarum tollemus: nonnullas verò moderabimur, & relinquemus. quomodo scilicet tum necessitas, ac utilitas Reipubl. postulabit.

Telonium nisi expressè literis Regijs inscribatur, Iuri Regio reservatur.

Sigis. Crac. 1510. Fol. 15

UBi specialis mentio, in privilegio, vel Inscriptione, de Telonio facta non est: Iuri Regio reservatum esse cognoscitur.

Nobilitas libera est ab omnibus Teloniis: ac pœna iniquè extorquentium.

Ioan. Albert. Petricoviæ 1496. Folio 100.

ITem licèt Nobiles, per alios prædecessores nostros Reges Poloniæ, & eorum Privilegia atq; Statuta, liberati fuerint: ut Telonia, vel de sale, vel de rebus omnibus, in domos, aut de omnibus eorum ductis, non solvant: sub pœnis certis, contra Teloneatores statutis, atq; in Privilegiis descriptis: quia tamen inoleuit Præjudicialis consvetudo: ut Teloneatores, præmissis non attentis, Telonia de Nobilibus exigere non verentur: contra quos pro pœnis non definitum erat: qualiter Nobilis, Teloniis gravatus injuriatusque, acturus esset. Idcirco extendentes libertates in hac parte Nobilium, Statuimus: Vt tam sale, quàm rebus aliis, cujuscunque generis fuerint, aut in domos Nobilium ductis: ubiq; in Regno nostro Telonia minimè exigantur. alioquin, Teloneatores secus facientes, tam pro pœna in Privilegiis prioribus descripta, quàm pro damnis Nobilium, in hac parte illatis, Iure Terrestri, (ad quod pertinent ratione possessionum, quas videbuntur obtinere, possidereq;) quoties necessitas exposcet, conveniantur. Ipsi verò si impossessionati fuerint, personaliter Citabuntur, contra quos sic agendum procedendumq; erit: ut fieri consvevit Iudicium cum impossessionatis. Obtentis tandem Perlucris, ita Capitanei locorum exequantur: juxta Iuris formam, & antiquam consvetudinem: libertatibus, & exemptionibus, Teloneatoribus

dari

dari consvetis, minimè eos aut excipientibus, aut tutantibus, in præmissis.

Nemo Telonia, & Foralia, ex Spiritualibus, & Nobilibus, eorumq; subditis exigat: cùm quid pro usu domestico emunt, aut sua vendunt. secus est, si lucri causâ emant. Cereviſiam quoque, ubi velint, accipiant.

Albert. Petric. 1496. Folio 104. ITem fit fortasse sæpius: quòd Capitanei locorum, aut quia advenæ, aut quia novitij, vel impossessionati existentes, tanquam Iurium & consvetudinum localium ignari, novas introducunt consvetudines: introitus statuentes & exigentes inconsvetos: & in nonnullis Capitaneatibus, stringentes subditos nostros Spirituales, Secularesque, ad recipiendas in domos & tabernas cereviſias oppidorum nostrorum, in Capitaneatibus consistentium. quo plurimum arctari videtur libertas communis. Vnde necessariò statuimus: Quòd ubilibet locorum nova & inconsveta Telonia, Foraliaque, per Capitaneos, alioq; Dignitarios & Officiales nostros, à subditis nostris, cujuscunq; statûs & conditionis existentibus, præsertim verò à Nobilibus, ad fora, non propter mercaturam, sed in privatis actionibus venientibus, ac etiam Kmethonibus, pecora & pecudes, res quoque alias privatas, cujuslibet generis, domesticâ curâ comparatas, ducentibus, vendentibusque, aut pro usu domestico ementibus, exigi non debeant: prout præsenti Statuto exigenda prohibemus. Et abusum illum, quo ad recipiendas in villas, de Civitatibus & Oppidis nostris cereviſias, quarum Spirituales & Seculares subditi nostri, specialiter in Brzestensi, Iuniwladislaviensi, & Radziejoviensi terris, aliis quoq; terris & districtibus compellantur, tollimus & abolemus: perpetuò decernentes, statuentesq; illos, & alios, ubiq; locorum in Regno nostro constitutos subditos nostros, villarum Dominos, eorumq; subditos, in hac libertate conservandos: Vt licear cuiq; cereviſias & liquores alios, undecunq; recipere, sumere, in villisq; & locis & aliis ditionis eorũ, braxare & braxari facere: ac undecunque maluerint, aut voluerint sumere, habere, propinare, & uti, frui, liberè, absq; omni nostri, & Capi-
Sigis. Petr. 1523. Fol. 29 taneorum nostrorum, prohibitionis arresti, ac pœnæ formidine. Qui verò ad revendendum aliquid emunt, in Civitatibus vel Oppidis, illi Foralia solita & licita solvere tenebuntur. A rebus verò mechanicis, quas subditi Nobilium ducunt ad Civitates & Oppida, ut puta rotis, scutellis, cantharis, & aliis id genus, Foralia moderata accipiantur juxta antiquã consvetudinem.

Mulctantur qui exegerint Telonia, à Nobilitate vel Spiritualibus.

Sigis. in Coronatione sui 1507. Fol. 2 STatutum de libertate Nobilitatis à solvendis Teloniis, per omnia approbamus: & insuper pœnam dupli adijcimus, in secus facientes, ut scilicèt,

scilicèt, quantum aliquis Teloneator, à Nobilitate, vel Spiritualibus personis, à Telonio absolutis, pro Telonio extorserit: ejus duplum solvat. Quam pœnam Iudex Spiritualis loci illius, de Teloneatore Spirituali, per censuras Ecclesiasticas: Secularis verò loci Capitaneus, de Secularibus Teloneatoribus, absq; processu Iuris, cognita rei veritate exigat. Quòd si ipsemet Capitaneus Telonium exegerit: si bona Capitaneatûs in obligatione tenuerit: centum Marcas de summa, in illis bonis inscripta, amittat. si verò sine obligatione bonorum, Capitaneatuum habuerit: privatione Officij puniatur. Et nihilominus utroq; modo Capitaneatum gerens, injuriam passo duplum ejus, quod recepit, restituat.

Nec Telonia, nec Foralia, à Nobilibus & eorum subditis, ultra debitum exigantur: aut quum sua vendunt, & ad usum domesticum emunt.

Sigis. Petr. 1523. Fol. 29 QVia Nobilitas queritur, Teloneatores modum Telonij excedere, volumus: ut ipsi Teloneatores nostri, tam aquatica quàm etiam terrestria Telonia exigentes, quando aliquid ultra debitum à Nobilitate exegerint: id totum Citati, unicuiq; resarcire & restituere cogantur. Foralia etiam, juxta antiquam consvetudinem, & Statuta Regni, non exigant à Nobilitate, & eorum subditis: cùm frumenta, & res suas domesticas, ad victum spectantes vendunt: aut etiam emunt aliquid, pro usu suo domestico.

De eadem ipsa, à Teloniis, Foralibus, Pontalibus libertate, postremo definitur: Statutis prioribus, quæ aliqua in parte contrarium disponunt, abrogatis.

Sigismundus Petr. 1538. A 2. QVoniam magnis & frequentibus querelis subditorum nostrorum obruimur, ob multiplicia gravamina: quæ Teloniorum quorumcunque, præfecti, aut exactores, subditis nostris, etiam his, qui Militaris ordinis sunt, inferre noscuntur: ideo ad coercendam eorum licentiam, facilemque cuilibet justitiæ administrationem assequendam, statuimus: Vt, quæcunq; Privilegia posteriora, Ludovici Regis Privilegio, universæ Nobilitati dato, privatis personis, vel Civitatibus, super Teloniis, Pontalibus, vel Aggeralibus, concessa essent, contra publicam Nobilium libertatem, in præsenti Conventu per Nos cassarentur, & annihilarentur. Verùm ne quis in ea Privilegiorum abrogatione, præter æquum & justum, gravari se prætendere valeat: visum est, ut collatis Privilegiis meliùs appareat; qualiter aliquo Privilegiô publicæ libertati derogetur, priùs illa dispiceremus. quod etiam in præsenti Conventu, magna ex parte fecimus: atq; ea Privilegia, quæ videbantur publicæ libertati adversari, abrogavimus: alia verò, quæ ad commodum & necessitatem publicam transeuntium concessa sunt, in robore reliquimus. Simile Iudicium, de reliquis omnibus hujusmodi Privilegiis, in proximè futuro Conventu, sumus facturi: & per Edictum publicum proclamari manda-

bimus, ut omnes, in eo ipso Conventu, cum hujusmodi Privilegiis suis, peremptoriè compareant. alioquin, Privilegiorum suorum usum, perpetuo amissuri: neq; deinceps ullus, in hujusmodi Teloniis percipiendis, Privilegiis suis uti debebit aut poterit, sub amissione bonorum: nisi qui literas nostras, in præsenti vel futurô Conventu, ea de re obtinuerit.

Regnicolæ cum suis rebus proprij laboris iter facientes, à solutione Telonii sunt liberi.

Ibidem QVia verò ab omnibus Teloniis, Pontalibus & Aggeralibus, aliisq; hujusmodi exactionibus, certæ personæ & ordines Regni nostri, publicis & antiquis Privilegiis exempti esse noscuntur, decernimus: ut Prælati, Barones, & Nobiles, ac eorum subditi, cum rebus quibuscunque suis proprii laboris, ultro citroq; per Regnum commeantes, dispositioni Privilegiorum, super exactionibus præfatis concessorum, non subjaceant: sed perpetuis temporibus, à solutionibus quibusvis hujusmodi sint liberi & immunes.

Qui iniquè Telonium extorserit, quo Iudicio conveniendus, & quâ pœnâ puniendus: & qui debent esse Teloneatores.

Ibidem STatuimus insuper, & Decernimus: ut deinceps futuris temporibus, Teloneatores nostri omnes sint Nobiles, possessionati, Seculares, & Christiani. exceptis locis istis: in quibus Capitanei, & Præfecti arcium & civitatum nostrarum, habent in cura & possessione sua Telonia nostra. Nam ipsi pro Teloneatoribus haberi, & reputari debent. Quicunq; autem ex Teloneatoribus, contra libertatem Nobilitatis, aliquem Nobilem, aut ejus subditum, exactione Telonij, Foralis, Pontalis, Aggeralis, seu cujusvis excogitatæ exactionis, in debitè oneraverit: & aliquid ab eo per se vel per alium exegerit, seu extorserit: pro tali injuria Citari peremptoriè poterit ubilibet: pro arbitrio eius, qui iniuriam passus fuerit: ut vel ad Terrestre, vel ad Capitaneale illius loci Iudicium, sive ubicunque locorum talis Teloneator, sive in Curia nostra Regali repertus, & Citatione Curiæ Citatus fuerit, tum ibidem sine quavis Exceptione respondere tenebitur: tanquam pro articulo Officii, qui terram & districtum non habet. Et cùm convictus fuerit Teloneator, in aliquo Iudiciorum prædictorum, injuriam feciſſe in exigendo aliquo Telonio, Foralı, Pontali, Aggerali, &c. primùm omnium restituere debet illud, quod exegit: deinde ei, à quo Citatus fuerit, in pœna xiiij Marcarum pecuniæ, & trium Iudicio, seu Officio, condemnari debet.

Nobilis Teloneator Iuramento se purgabit, nihil se iniquè exegisse.

Ibidem A 3 IN his verò Iudiciis, Nobili Citato admitti debet expurgatio, ita videlicèt, & Teloneator Nobilis, juxta quantitatem summæ & damni præstet

stet corporale Iuramentum: Quòd nihil exegit, nec per se, nec per quempiam alium: quod esset contra privilegium, & libertatem publicam. Is etiam modus repetendi, à Teloneatoribus indebita exigentibus, in aquaticis & pontium Teloniis præsidentibus, tam in Regno quàm generaliter omnium terrarum, & Palatinatuum Regno Poloniæ subjectorum, servari debebit.

Quod de Teloneatoribus, idem de Capitaneis statuitur.

SImiliter & de Capitaneo loci, qui indebita exactione aliquem oneraverit, hoc, quod supra scriptum est, erit observandum. *Ibidem*

Vadô transmittere volenti, impediri non debet transitus.

QVoniam autem contingit in pleriſq; locis & fluminibus pontes extrui: ubi priùs transitus non admodum difficilis fuit, nunc quoq; pateat: Decernimus: Vt liberum sit unicuiq; fluvium aut locum, quem *Brod* vulgariter appellant, transire, si volet declinare pontem: quo casu cogi non debebit, neq; poterit, ad solutionem Pontalis. Nemo tamen debet hujusmodi transitus, seu *Brody* atq; transeuntes, modis quibuscunque & ingeniis impedire aut destruere: sub pœnis supra scriptis. *Ibidem*

Dominus si Exactorem suum non statuerit: pro eo satisfacere tenetur.

QVòd si Præfectus seu Exactor alicujus Telonii, Pontalis, Aggeralis, Foralium, aut cujuscunq; præstationis, in bonis Dominorum Spiritualium, Secularium, aut Nobilium quorumcunq;, à quocunque, contra libertatem publicam aliquid exegerit, & extorserit: eo casu, Dominus ipsius tenebitur coram Iudicio, seu Officio præfato, hujusmodi Exactorem, etiam apud ipsum non arrestatum, statuere: & cavere debet, quòd ipse Teloneator seu Exactor Iuri parebit: & Iure convictus, satisfaciet parti modô præmissô. Vbi verò hujusmodi Teloneator, seu Exactor, convictus seu condemnatus, damnum & pœnas præfatas solvere non posset: tunc Actori damnum passo, per Dominum in manus, ibidem instanti tradi debet. Quòd si Dominus Teloneatorem, seu Exactorem suum, coram Iudicio, vel Officio suo, modô præmissô Citatus non statuerit: tum in instanti ipse respondere, & victus Iure, parti satisfaeere, sine quibusvis Exceptionibus & Appellationibus tenebitur. *Ibidem*

Agens de injusto Telonio, aut ipse probet, aut Citato expurgationem admittat.

ITem in arbitrio & libertate Actoris erit, vel Exactori Plebeio Citato expurgationem admittere: vel ipsi soli, juxta quantitatem summæ, super damno illato probationem facere. *Ibidem*

Probatio seu purgatio Teloneatori, Nobili, vel ignobili, qualis incumbit.

Ibidem PRobatio verò seu expurgatio, tali modo fieri debet: Quòd Teloneator Nobilis iuret, juxta quantitatem summæ: Plebeius verò & ignobilis, pro summa decem Marcarum metsecundus: pro majori autem summa, metseptimus iurare debet: Quòd videlicet nihil ab Actore, contra libertatem publicam, exegit & extorsit.

Civitatum incolæ superioribus legibus tenentur.

Ibidem CIvitatum etiam ac Oppidorum incolæ, ubilibet in Regno constituti, eidem Legi subiacebunt: quòd videlicet modô supra scriptô, ad præfata Iudicia, & Officia citari, eodemq; modo Iuri parere, & respondere, & condemnati satisfacere tenebuntur. & ipsi Cives præfati, Proconsul scilicet cum Consulibus, suos Teloneatores seu Exactores, coram præfatis Iudiciis & Officiis, similiter statuere debebunt & tenebuntur.

In defectu verò statutionis, soli respondebunt: & Iure victi, parti satisfacient. ut supra de aliis constitutum est. Neque poterint ipsi Cives, à præfatis Iudiciis, seu Officiis, se excipere seu eximere: aut ad Ius suum Civile, vel ad quodcunq; aliud revocare, vigore Privilegiorum suorum, Iurium, consvetudinum, aut libertatum eis concessarum. quibus omnibus, in hac parte duntaxat, derogatur: quòd in hac causa, quæ merè ad Officium seu Iudicium Regale pertinet, Privilegia in contrarium disponentia, meritò illis affragari non debeant.

Foralia non exigantur à vendentibus suas res, & sibi necessaria ementibus.

Ibidem AD cõercendam verò licentiosam Foralium exactionem, Statutum olim Sereniſſimi Ioannis Alberti, Folio CIIII. in robore conservandum Decernimus: quo cautum est: quòd à Kmethonibus, pecora & pecudes, res quoq; alias privatas, cujuslibet generis, domesticâ curâ comparatas, ducentibus vendentibusq; aut prousu domestico ementibus, nulla Telonia Foraliaq; exigi debent. non obstante statutô nostrô, de rebus mechanicis disponente. quod ad hoc, servari non debet.

Qui damnum à transeuntibus patitur, qua ratione illud testari debet: ac quomodo pro damno agere.

Ibidem QVia frequenter accidit, damna in bonis à transeuntibus inferri: & prô illis, transeuntes nonnunquam plus æquo gravari, Statuimus: Vt hi, qui in possessionibus suis damnũ se recepisse prætenderint, ab aliquo eorum, qui publico itinere pecora pecudesq; egerint, vel cum curribus & equis iter fecerint: damnum hujusmodi sibi illatum, cum Ministeriali Terrestri,

Terrestri, & duobus Nobilibus, illud conspiciant & testentur: in defectu verò Nobilium, vel Ministerialis, cum quatuor, vel adminus duobus plebeiis juratis villæ illius, seu vicinæ. Et quod illi, Ministerialis, Nobiles, vel plebeii jurati, pro damno dandum decreverint, exigat. Pro qua exactione, si in Iudicium Citatus fuerit ille: qui eo modo, ut supra scriptum est, damnum se accepisse protestatus fuerit: Iuramento suo proprio, juxta recognitionem illorum, qui damnum conspexerint, Actorem evadat.

Simile superioribus, qui iniquè extorserit Telonium, ad Regiam Majestatem Citari debet.

TAmetsi multum disceptabatur, quòd Teloneis aquaticis Nobiles subditi nostri gravarentur: qui quidem se se (ut sunt) liberos, cum bonis suis, non solùm à Teloniis terrestribus, verùm etiam aquaticis liberos esse existimant: nihilominus Nos, nolentes in eo cuiquam subditorum nostrorum quicquam detrahere, & injuriari, sic eam controversiam in his Comitiis definimus: Vt quicunque putaret, se ab aliquo in aqua affectum esse injuria, ut ad præsentiam nostram damni datorem citet. Nos autem in illo termino Citationis, pollicemur cognoscere: ut quicũque sine Iure, sine privilegiis & illegitimè, res contra libertates subditorum nostrorum Nobilitatis Regni Poloniæ, detineret, debitam multam ferat. ut ne postea id in se admittat. Quòd autem ad nos attinet, promittimus: subditos nostros Spirituales & Seculares, in libertatibus eorũ conservare: neq; Telonia aquatica ex eisdem accipere: juxta Statuta, & antiqua Privilegia: & hoc ab omnibus rebus proprii illorum laboris: juxta Constitutiones priores. ut ne postea in aliis locis, jurandi necessitas illi imponatur. *Sigis. Crac. 1543.*

Suspensio libertatum à solvendis Telonijs, relaxatur.

CÆterum considerantes subditorum universi Regni detrimentum, relaxavimus, de consilio & consensu universi Senatûs Regni nostri, & Nuntiorum terrarum, suspensionem libertatum: quæ erat ad quinquennium facta, à solvendis Teloniis antiquis: omnibusq; ad pristinum statum restitutis, ipsam suspensionem penitus sustulimus. *Sigis. Crac. 1532.*

Etsi debitor Telonorum, in districtu conveniatur: Teloneator tamen Regi satisfaciat.

PErmoti injuriis subditorum nostrorum, (quibus se per nostros vectigalium, seu Teloniorum præfectos, eorumq; Ministros affici propterea querebantur: quòd pro pecunia, ratione Telonii seu vectigalis solvenda, extra districtum & forum eorum competens, ad præsentiam nostram Regiam evocarentur) providere volumus: ne in posterum præfe- *Sigis. Crac. 1532. A a.*

cti Vectigalium & Teloniorum noſtrorum, aliquem ſubditorum noſtrorum, ſtatûs & conditionis cujuſcunque, cameram Telonio ſolvendo inſtitutam tranſire permittant, niſi ſolutô priùs Teloniô, vel Vectigali, Nobis & fiſco noſtro Regio debitô: ut hôc modô occaſio, ſubditos noſtros ex eorum diſtrictu & foro competenti evocandi ſubmoveatur. Alioquin præfecto Telonii noſtri, ſolutionem ipſius Telonii, contra mandatum & prohibitionem noſtram cuipiam deferenti, incumbat neceſſitas, illud ipſum Telonium ſeu vectigal debitum, in diſtrictu & foro debitoris competenti repetere: nobis verò, Litis pendentiâ hujuſmodi minimè obſtante, de proventibus Telonii & Vectigalium noſtrorum, integrè reſpondere.

Nobilitas quoq terrarum Ruſſiæ, parî modô, ab omni Teloniorum & Foralium ſolutione, eſt libera.

Sigiſ. Crat. 1543. AD ſupplicationem terrarum Ruſſiæ, volumus & decernimus: Vt Nobilitas terrarum illarum, ſicut in aliis terris Regni à ſolutione Teloniorum, & Foralium, ſit libera atq; exempta: & in aliis eâdem gaudeat libertate.

Mercatores, qui novum Telonium tranſgrediuntur, unà cum fautoribus ſuis, tanquam pro crimine peculatûs, in rebus & bonis puniantur.

Sigiſ. Crac. 1510. Fol. 14 CÙm in eos ſeveriùs animadverti oporteat; qui in fraudem redituum Reipubl. licentioſiùs delinquunt: decernimus Conſiliariis noſtris cenſentibûs: Quemlibet, quicunq; Telonium ad utilitatem Reip. inſtitutum, puta, à bouus, à cutibus, & aliis rebus ſimilibus, tranſire & fraudare auſus fuerit, boves extra Regnum expellendo, & cutes educendo, Teloniô non ſolutô; puniendum pro tali exceſſu, & crimine peculatûs, in bonis, & rebus, ad nos citatum, juxta arbitrium noſtrum: nec minus eos, quorum permiſſione, favore, conſiliô, præſertim Officiales & terrigenas, in finibus undequaq; reſidentes, pro hujuſmodi fraude (ut ſupra) puniemus: quandoquidem facientes & conſentientes, pari pœnâ puniendi ſunt. Et hoc Statutum ſe extendere debet, non ſolùm ad futura, ſed etiam ad præterita.

Hoc idem novum telonium, ſolùm ab his rebus, quæ extra Regnum aguntur, vel ducuntur, eſt exigendum: non autem ab his, quæ intra Regnum venduntur, vel mactantur.

Sigiſ Crac. 1540. OMnes regnicolæ, & alii homines quicunque, etiam extèrni, boves, jumenta, & res alias, à quibus Telonium novum ſolvendum eſt, in Regno ementes, & illa verſùs limites Regni ducentes aut pellentes, teneantur ſeſe manifeſtare in cameris Teloneatorum deputatis: & in eiſdem

iſdem cameris, Telonium debitum ſolvere: ſi hujuſmodi boves, aut jumenta, vel res aliæ, ad revendendum, & extra Regnum pellendum emptæ fuerint. Ab his verò rebus, quæ ad uſum proprium, vel ad mactandum in Regno, & vendendum intra fines Regni emptæ fuerint; Telonium ſolvi non debet. Quod ſi quis cum hujuſmodi bobus, jumētis, aut rebus aliis in Regno emptis, cameras præterierit, ſe in illis non manifeſtando: res hujuſmodi amittet, & licebit Teloneatoribus eas arreſtare, & recipere.

Nobiles, & Spirituales, à Telonij novi ſolutione eximuntur.

QVandoquidem homines Militarîs & Spiritualis ſtatûs, eorumq; ſubditi, ex munificentia & Privilegiis majorum noſtrorum, eâ gaudeant libertate: ut nulla Telonia, nulla etiam vectigalia aquatica, Foralia, Menſuralia, aliàs *Pomierne*, ſimiliterq; & illorum homines, ab his omnibus rebus, quæcunq; domi illorum naſcuntur, ſolvere ſint aſtricti: proindeq, nos volentes in hoc initio Imperii noſtri, gratiam erga ſubditos noſtros ſtatûs Militaris, declarare; facimus quoq; eis hanc libertatem: Quia Telonium novum, in limitibus Regni exigi ſolitum, nobis ab hoc tempore, ipſimet ſtatus Militaris & Spiritualis, à bobus, qui in domibus illorum educarentur, vel etiam ab emptis, quicunq; frumentis illorum ſaginati fuerint, ſolvere non tenebitur. Super quibus bobus ipſimet, vel Factores illorum, qui hujuſmodi boves agent, in cameris Iusjurandum facere tenebuntur: ut ne ſcilicet in eo circumventio aliqua fieret. ſic videlicet, qualiter in aquatico Telonio Nobilitas ſeſe conſervare ſolet, per Factores, ſeu ſervitores illorum. Quod quidem etiam & de Boario tributo, aliàs *Opowołowczyznie* debet intelligi. *Sigiſ. Aug. 1550.*

De non evehendis mercibus in Sileſiam, vel in Vngariam, ſine profeſſione Telonij, primum Statuti pœna tollitur: hoc verò rurſus, de non tranſgrediendo Telonio in unum annum cum pœnâ conſtituitur.

GRavioribus noſtrorum hominum injuriis, magniſque & aliis cauſis adacti, cunctis Regni ordinibus flagitantibus, Satutum illud, quo pœna peculatus rei decernebantur, qui vectigal Regni ex bobus debitum fraudantes, licenter ſine profeſſione boves extra Regnum propellerent, tollimus & abrogamus: Edictum autem hujuſmodi in ea re, ad Conventum proximè futurum duraturum fecimus: Ne quiſpiam in Vngariam, aut Sileſiam, merces vehere, neve boves, aut jumenta agere, non ſolutô Teloniô impune poſſit. Si quis contra faceret: omnia, quæ exportaſſet abegiſſetque, ex commiſſo tolli juſſimus, nobiſq; loco pœnæ cedere. Quòd ſi publicani, aut Teloneatores noſtri, merces aut boves hujuſmodi aſſequi non poſſent: tunc verò ut exiſtimatio fieret decrevimus: ut quanti boves aut res hæ fuiſſent, quas contra noſtrum Edictum *Sigiſ. Petr. 1539.*

evehere aliquis, exportare, aut abigere ausus esset: tantum commissa pœnæ loco, Nobis, sive publicano, sive Teloneatori nostro, numerare cogeretur. sin autem exportasse se, aut abegisse negaret, recenti re non convictus, neq; deprehensus: si Nobilis est: tenebitur Iurejurando dato se expurgare, unà cum aliis æquè Nobilibus. si Plebeius: probatio contra illum Teloneatori decernetur. Et hæc Constitutio servari debet, usq; ad alium Conventum proximè futurum.

De illis, qui inter cameras & fines Regni manentes, in Oppidis ultra cameras existentibus, aliquid emunt.

Sigis. Crac. 1540. DE illis verò regnicolis, qui intra cameras & fines Regni, cum Silesia, Vngaria, & aliis confiniis Regni agunt domicilium, & in Oppidis ultra cameras existentibus aliquid emunt, non tenentur cum illi ad cameras descendere: verùm Teloneatores diligenter custodiant, in Regni finibus: ne in Vngariam & Silesiam, & alias vicinas terras, expellantur vel educantur, contra facientes verò deprehensi, boves, jumenta, & res hujusmodi amittere debent. Si quis verò Teloneatorum alicui hominum quicquam receperit, priusquam cameram præterierit: res sic receptas restituet, & pœnas in Constitutione Petricovienſi editas, idē Teloneator incurret. Hæc autem Constitutio, de Mercatoribus, & ad revendendum ementibus intelligenda est: & non de his regnicolis, qui ad usum proprium quicquam emerent. Per hanc autem Constitutionem nostram, nolumus derogatum iri Edicto, de prohibito transitu, in Vngariam, & Silesiam, facto, quod alia Constitutione nostra mandavimus firmiùs observari.

THESAVRARIVS ATQVE THESAVRVS.

De Officio Thesaurariorum, & Vicethesaurariorum.

Alexan. Rex Folio 114. ANtiquis Regni Constitutionibus introductum est rationabiliter, & necessariò: ut Thesaurarius Regni, & Vicethesaurarius Curiæ, semper essent, prout hac tempestate, usq; in præsens istud fieri consvevit. verùm quia nulla fuit unquam Constitutione ordinatum, quod cuilibet incumbere debeat ex officio: itaque Statutum est: Quòd Thesaurarius Regni, quemadmodum Coronas & Thesauros Regni, quæ summa sunt omnium rerum maximarum, conservat: sic fungi debeat Consulari authoritate. Ipse quoq; Thesaurarius, ex sua, tanquam Privilegiata authoritate, expeditiones, condictamina, & rationes faciet, Stipendiariorum, Curiensium, & omnium, quibus ratione servitutis, aut Reip. aut Majestatis Regiæ aliquid debebitur. Ipse enim Thesaurarius Regni sit unus Magister Monetarum, pro tempore cudendarum, qui satis superq; est dotatus censibus Zupparum. Ipse habeat omnem monetæ curam: habeat quoq; probatores, sculptores suos, quos ipse salariet: & ipse salarietur

larietur quatuor Marcis septimanatim. quod salarium ex medio Floreni in cussione accrescenti percipiat: & ex eodem medio Floreno reliquis Monetariæ officinæ operariis, & universa alia necessaria, ad Monetariam pertinentia, solvet, comparabit. Et quicquid ex eodem medio floreno resultaverit, solutis salariis & impensis, pro cudendis monetis, id totum ad utilitatem Regiæ Majestatis, ac Reipubl. tribuatur. In Curia verò Vicethesaurarius, tanquam Thesaurorum Curiæ Secretarius, sit vir probus, modestus, & discretus: qui per Majestatem Regiam pro tempore constituetur, & tenebitur, à Curia nunquam removendus, qui absente Regni Thesaurario, omnes pecunias reditùum Regalium, & alias undecunq; ad Majestatem Regiam datas, in Thesaurum recipiet: & illas, cum consilio Officialium & Consiliariorum Curiæ dispensabit mandante Majestate Regia, omnia alia faciet, cum Curiensibus & stipendiariis: quæ Thesaurario Regni incumbunt.

Eo tamen Thesaurario Regni præsente, Vicethesaurarius Curiæ nihil eorum attentabit, quod ad Thesaurarium Regni pertinet: sed cum scientia & consiliô Thesaurarii Regni, dispensabit & faciet, quidquid debet. Sit autem juratus, & idoneus ad rationes tam publicas Terrestres, quàm privatas Regias: sic ut omnibus rationibus, absente Regni Thesaurario, ac etiam præsente, interesset: & eorum Regiſtra servaret: dispensatores institueret utiles, & inutiles destrueret: faceretq; cum illis rationes, ut Majestas Regia, & quilibet, cum intelligat diligenter attendisse: ne pecuniæ Majestatis Regiæ, inaniter infideliterque, aut prodigè dispensarentur.

Rex Thesauros colligat: ut in Remp. possit esse liberalis.

Kazim. III. Folio 76. ETsi ex debito Regalis munificentiæ, ac omnium subditorum commodum & profectum, oculo considerationis intendere habeamus: propensior tamen solertia circumspectionis, ad augmentum thesaurorum, & proventuum Regni nostri incumbit, ex quibus, Regni & subditorum nostrorum commodis, debitè valeamus providere.

De publicis pecunijs dispensandis, & conservandis.

Sigis. Crac. in Coronatione, 1507. Folio 3. QVoniam ea, quæ ab omnibus publicæ utilitatis causa conferuntur, æquum est, ut expeditis pro tempore necessitatibus, quæ superfuerint ad futuras diligenter conserventur, Statuimus: Vt quicquid contigerit in thesaurum, de publicis pecuniis inferri, sit illud quidem in potestate & arbitriô nostrô, & successorum nostrorum dispensandi: prout utilitas & necessitas Regni exposcet: adhibito consilio Dominorum Consiliariorum, qui tunc nobiscum, vel cum eisdem successoribus nostris fuerint: & terræ illius dominorum, in qua providendi publicæ commoditati opportunitas evenerit. Quod autem, expeditis publicis necessitatibus: supererit: Decrevimus ut servetur fideliter in thesauro, ex quo si

quis aliquid ſuſtulerit, rapueritve: aut quovis modo, in uſus proprios converterit, præſertim ſub interregno: fraudis & peculatus reus judicetur.

THRONVS REGIVS.

Thronus Regius Iuſtitia firmatur.

oan. Albert. Petricoviæ Folio 91.

THronus, ſplendor, & potentia Regalis, & cujuslibet principantis Majeſtantis, tunc dignoſcitur inter fideles ſuos, non ſolùm tutiſſimè roborari: verùm etiam velut radiis naturaliſſimis prominentibus, eis ſplendere: dum puræ fidei, & benevolentiæ ſubditorum meminit: dumque acumen cunctarum lucubrationum & meditationum ſuarum, pro eorundem fidelium ſuorum quiete, tranquillitate, æquitate, & juſtitia defigit. Quod fit præcipuè: dum pro fide & benevolentia, in *Regiam* excellentiam efferendam ſublimandamq; collata, digna remunerationis bravia ſuis ipſis tribuet fidelibus: non ſolum in libertatibus, Iuribus, & Conſtitutionibus largiendis, inſtituendiſq; novis: verùm etiam aliis, per alios *Reges* & Principes pia conſideratione inſtitutis, confovendis, & confirmandis. Neq; in hoc errat ſublimis *Regum* & Principum meditatio. Etenim obſervantia fidei, ſui trahens originem ex augmento, gratiam Iurium & libertatum, rationis & naturæ ipſius legibus ſtabilior perſeverat: cùm favor & benignitas Principis, in ſuos oſtenſa ſubjectos, ſic commodari exhiberiq; conſpicitur: uti eorum neceſſitas, honeſtas ac eventuum communium Ius, creditur pro tempore & in futurum expoſcere. Ipſa tandem Majeſtas quicquid unquam propterea decreverit, aut inſtituerit: id ne, labentibus ſeculis, oblivionis confundatur erroribus, conſvevit literarum apicibus commandare, æviternè (perinde ac vivaciter) mamorandum ac duraturum.

TEMPLVM.

Qui ſint etiam ex Templis & Cœnobiis, cupiendi.

Sigiſ. Crac. 1543.

IVS commune non permittit, defendi ab Eccleſiis, ſeu templis, noctur nos ſegetum, & fundorum, ſeu agrorum damnidatores, liberarumq; viarum obſeſſores, ſeu prædones: item fures publicè proclamatos, vel ter in Regiſtris conſcriptos, incendiarios, & libertatis Eccleſiaſticæ violatores. Tales enim ex Templis debent capi, neq; defendi.

Templa, ad vota Nobilium erigenda.

Bodzanta Folio 57.

ET ut Divinus cultus noſtris temporibus augeatur, promittimus: Quòd ubicunq; Nobiles continuam ſuſtentationem Presbytero aſſignare curaverint: eidem Eccleſiam in bonis ſus fundabimus indilatè.

Eccleſiæ, & Dignitates Spiritualium ac Secularium, circa iura ſua conſervantur: & terrigenis Nobilibus dentur, abrogatis Expectativis.

Primò

PRimò quidem, quòd univerſas ædes ſacras, ſeu Eccleſias, in omnibus earum Iuribus, immunitatibus; & libertatibus, ac metis, & diſtinctionibus antiquis, quibus temporibus dominorum prædeceſſorum noſtrorum Poloniæ Regum ac Ducum fruebantur: Volumus omnimodè conſervare. Dignitates autem Eccleſiaſticas & Seculares Regni Poloniæ, æquo modo, circa Iura & conſvetudines ac libertates ipſorum (quæ & quas temporibus Sereniſſimorum Principum Dominorum, Kazimiri Ludovici, & aliorum Regum ac Ducum, Hæredum Regni Poloniæ, obtinebant) dimittimus perſiſtere, & permanere. *Iagello in Ledlna, 1433. Fol. 50.*

Quas quidem dignitates, cùm eas vocare contigerit, nulli extraneo terrigenæ, niſi Nobili, benè merito, & in fama laudabiliter conſervato, illius terræ in qua dignitas hujuſmodi vel honor vacaverit, (terræ videlicet Cracovienſi, terrigenam Cracovienſem: Sandomirienſi, terrigenam Poloniæ Majoris: & ſic de ſingulis terris Regni Poloniæ) dabimus, vel quomodolibet conferemus. ſuper quibus etiam Dignitatibus, Eccleſiaſticis & Secularibus literas Expectativas nulli perſonæ dabimus in futurum. & quòd prædictas Dignitates, tam Eccleſiaſticas quàm Seculares, non debemus minuere, nec etiam ſuffocare: & poſſeſſiones, cenſus, aut ſalaria, ad eas pertinentia, abſq; Iuris debito examine non auferre.

Theſauri Eccleſiarum conſerventur.

Sigiſ. 1557.

THeſauri Eccleſiarum ut integrè conſerventur Statuimus: ut Domini Epiſcopi in Civitatibus & bonis noſtris, unà cum Capitaneis ſeu Tenutarijs noſtris: in bonis verò Nobilium collatores, inventaria argenti ſeu aliarum rerum pretioſarum in Eccleſiis conſcribant.

TERMINI.

Judicia ſemel in menſe celebrabantur, & per quos.

Wladislaus Iagel. Cracov. & Varſ. 1423 Folio 45.

DE Terminis autem Particularibus ſimplicibus, quia vexationi & turbationi noſtrorum pauperum Militum ſumus compatientes, taliter duximus providendum: Quòd præfati Termini Particulares, non plu ries, niſi ſemel infra menſem, in quolibet diſtrictu, ſeu Juriſdictione, aliàs *Powiat*, fieri debebunt. In quibus Camerarii, Iudicum, & Subjudicum, alii duo Camerarii, videlicet Palatini & Succamerarii, eligendi per eoſdem, ad alios adjungendi: ſine quibus Iudex, & Subjudex, & Camerarii eorum, non habeant judicandi facultatem. Prædicti etiam Camerarii, ſeu Officiales Iudicii, ſic locandi, non debebunt alias cauſas, niſi proprias procurare: vel ad procurandum ſe, de Iudicio levare, ac bonum & conſultum videtur: quòd Iudex, vel Subjudex, Particularibus Terminis perſonaliter (cùm poſſint) præſideant. ſicut & in Majori Polonia eſt conſvetum.

Sed deinceps tantùm in anno quater fiebant.

Kazimir. in Korczyn, 1495 Fol. 87 ITem volumus & decernimus: Quòd Iudicia Terreſtria quater in anno, juxta priorem conceſſionem & admiſſionem, ad evitandum inanes expenſas & fatigas, celebrentur.

Ioan. Albert. 1496 Fol. 96 § SIMILIS. Imprimis quoniam crebriuſculè contingit, Iudicia non teneri Terreſtria: propter abſentias eorum, è quorum authoritatibus generalis dependet adminiſtratio Iuſtitiæ: idcirco ſtatuendum putavimus, & ſtatuimus: ut in ſingulis terris Regni noſtri, Iudicia Terreſtria quater in anno celebrentur.

In Ruſſia verò, ſexies Iudicia celebranda.

Sigiſ. Petr. 1523 Fol. 42. INſuper ordinavimus, & pro conſvetudine obſervari volumus: ut in terris Ruſſiæ, ſexies in anno Termini terreſtres celebrentur, nec licebit Iudicibus, & aliis ejuſdem Officii Officialibus, ſuapte ſpontè, ſine legitima cauſa, vel legali impedimento, (puta belli, aut Conventionis generalis) Terminos differre: ſed temporibus inferius deputatis, & aſſignatis (ſub pœnis, contra Iudices negligentes, & ſua Officia non exercentes, ſtatutis) ipſi Termini Terreſtres celebrentur. Quorum prima celebratio erit, primo die feriali poſt Feſtum Epiphaniarum: ſi fuerit Iuridica: quam videlicet dies Dominicus, aut aliquod feſtum celebre non præpediret. Secunda celebratio, poſt Feſtum S. Matthiæ Apoſtoli, in Vere, etiam Feriali Iuridicâ proximâ. Tertia celebratio erit, prima ſeu proxima die Iuridica poſt feſtum S. Adalberti. Quarta celebratio, poſt feſtum Sancti Ioannis Baptiſtæ, etiam proximâ feriali die Iuridicâ. Quinta poſt feſtum S. Bartholomæi Apoſtoli, Feriâ proximâ Iuridicâ. Sexta, prima die poſt feſtum Beatorum Simonis & Iudæ Apoſtolorum Iuridica, & ſic quotannis obſervabitur. Sed quia in Civitate Premiſlienſi, ubi Iudicia Terreſtria celebrantur, Nundinæ, ſive annuale forum, pro Feſto Epiphaniarum peragitur: propter quod, Termini Terreſtres Premiſlien. quietè non poſſent eodem tempore Iudicari: ea propter Termini Terreſtres Premiſlien. poſtponentur una ſeptimana, poſt tempus celebrationis Terminorum in aliis terris: videlicet incipiendo primam celebrationem prima die poſt Octavas Epiphaniarum, & ſic deinceps, poſt Terminos Leopolienſes ſemper in una ſeptimana celebrebuntur.

Iudicia ubique, uſq; ad Conventum particularem ſint.

Sigiſmundus. Petr. 1538. C 3. QVoniam abuſu quodam inolevit, Iudicia Terreſtria non celebrari mox, ut literæ de Conventu generali ſtatuto amittuntur: (quod fit cum magna Iuſtitiæ negligentia) proinde Statuimus: ut deinceps futuris temporibus, non obſtantibus literis hujuſmodi, & Conventûs generalis publicatione, Iudicia Terreſtria ubiq; celebrentur: uſq; ad Conventum particularem, in unoquoq; Palatinatu inſtitutum. Termini Terreſtres ter in anno celebrentur: quarta verò pars anni Colloquiis deputetur, Vide in Titulo COLLOQUIA.

Neque coram Rege, neq; coram Capitaneo ullus Terminus eſt peremptorius.

Alexand. in Radom. 1505 Folio 116 IN Majori Polonia, ad vota illarum terrarum, incolarum, ſubditorum noſtrorum, decernimus & ſtatuimus: ut coram quolibet Capitaneo, non ſit Terminus peremptorius, in primo Termino, ne majoris authoritatis eſſe putetur Capitaneus, quàm Rex: coram quo non eſt Terminus peremptorius, in primo Termino: niſi quis ad hoc ſe ſponte ſubmittat.

Vt Terreſtres, vel Caſtrenſes, ita etiam Officiorum Termini, neq; reponi, neq; ſuſpendi poſſunt.

Sigiſ. Petr. 1543. REpoſitio & ſuſpenſio Terminorum Terreſtrium, & Caſtren. eſſe non debet: ita quòd Citationes, & cauſæ hominum, nullo modo, neq; etiam generaliter debt ſuſpēdi per Iudices ad alios Terminos Quicunq; autem Iudices & Capitanei, vel Vicecapitanei tales ſuſpenſiones Iudiciorum ſua ſponte fecerint, juxta Statutum debent puniri, excepto, ſi tales Repoſitiones ex conſenſu partium fecerit. Et propterea Vicecapitanei, & Iudices Caſtrenſes, ubiq; debent eſſe poſſeſſionati: ſub pœna amiſſionis Officiorum Capitanealium. Contra quos Capitaneos, Vicecapitanei & Iudices, ſimiliter etiam Nuntii illius terræ, inſtigare aſtringuntur.

Forma Inſcriptionis, ſuſpenſionis, Termini per Iudicium, ad interrogandum, ſive ad deliberandum, aut ex quacunq; cauſa, partibus præfixi.

Sigiſ. Petr. 1523. Fol. 43 IVdicium motu proprio, ex certis reſpectibus, cauſam inter Nobiles N. Actorem, & B. Citatum, ad Terminos proximos Terreſtres differt, cum toto ipſius cauſæ effectu, partibus præfatis Terminis Terreſtribus, hîc in N. proximè celebrandis, nullius partis Iure læſo: imò utriuſque partium integrè conſervato. Et idem erit ad Conventionem.

Forma ſuſpenſionis Termini, de conſenſu & voluntate partium.

Ibidem NObiles A. de B. Actor, & C. de N. Citatus, habent talem Terminū, ad Terminos proximos Terreſtres: juxta ipſarum partium Citationem vel Citationes: & totum Actoris proceſſum, & effectum cauſæ, qualem hodie habere debuerunt: earundem partium Iure illæſo. imò in toto conſervato.

Secunda dilatio in Terminis particularibus, & Colloquiis, conceditur propter infirmitatem.

Wladislaus Iagel. Cracov. & Varsæ. 1423 Folio 42.

PErversa consvetudo, in transpositione Terminorum Colloquii generalis, & Terminorum particvlarium, à nostris subditis hactenus observata extitit, unde diversa Iuramenta, & perjuria orebantur: ac infirmitates fictitiæ allegabantur. Vnde talibus obviare volentes, & iniquitati viam præcludere, unanimi consensu Prælatorum & Baronum ac Nobilium nostrorum, talem ordinem in prædictorum transpositione Terminorum, volumus à nostris subditis fore observandum: ut prædictis perjuriis obvietur: illicitæq; dilationes amputentur. Decernimus igitur: Quòd Termini Colloquii generalis, taliter in Iudiciis terrarum nostrarum, in posterum transponi & observari debeant: videlicet quòd primum Terminum, per simplicem infirmitatem prorogent: secundum verò per veram infirmitatem, absq; confessione & allegatione Capellani transponant. pro qua infirmitate, in tertio Termino, si supervenerit, Iuramentum corporale præstare teneatur: Quòd tunc vera infirmitate fuerat innodatus. Si autem in eadem infirmitate casualiter perduret: tunc tertiò poterit iterum facere, prorogare eundem Terminum: Quia prout jacebat in ipsa infirmitate hucusq; non convaluit, & nihilominus in Colloquio quarto generali parêre studeat: aut Procuratorem certum transmittere non postponat. alioquin causam amittat. Idem volumus de Terminis observare Particularibus: quòd in eis, primum & secundum Terminos, per simplicem infirmitatem, subditi nostri transponere valeant, tertium verò Terminum, absq; allegatione Capellani, per veram infirmitatem possunt & debent prorogare: & in quarto finaliter corporale Iuramentum præstare debebit: Quòd non fictivè tunc infirmabatur, si supervenerit. Sin autem eum, qui Terminum procurat prolongare, contigerit in eadem infirmitate morari, & diutiùs perseverare: tunc quarto iterum prolongari poterit, prout superiùs, de prolongationibus Colloquii generalis est expressum. Hoc tamen de Reo & Citato intelligere volumus. Sed Actor Terminum Colloquii generalis aliter transponere nequeat: nisi primum per veram infirmitatem: & in Terminis particularibus, semel per simplicem infirmitatem.

Kazim. III. 1451 Fol. 88

§ SIMILIS. Item decernimus: Quòd omnes Terminorum repositiones seu dilationes inutiles cassentur, & minorentur. Nam repositio & dilatio Terminorum, fieri debet: aliter non fiat, nisi vera infirmitate allegatâ. Et ille, cujus nomine proposita extitit, jurabit cum testibus mettertius: & litera Iudicis, more Terrestri probabit: Quòd pro illo tempore & die, habuit actionem vel Terminum pro majori.

Kazimir. III, in Nieswa 1454. Folio 94.

§ In Iudiciis non recipiantur dilationes Termini, præterquam infirmitate, de qua primùm per Iuramentum constare debebit. In secundo autem Termino, in Terminis comparere & respondere debebit.

Si quis se inscribet, Terminum non differre.

Item

ITem si aliquis alicui se scribet quamcunq; rem evincere seu ratificare, aliàs *Zyszczyc:* & inscribet se Terminum non differre, aliàs non reponere: talis non potest simplici infirmitate Terminum differre, aliàs reponere, excepta vera infirmitate: pro qua debet jurare juxta Statutũ, quia scilicet vere tum infirmabatur.

Consvetudo terræ Cracv. Folio 122.

De transpositione Termini, vera infirmitate.

ITem secundùm Terminum, tanquam Peremptorium, poterit differre reponereq; idem Citatus, vera infirmitate, à Deo permissa: per certum Nuntium suum, Nobilem possessionatum, ejusdem terræ, ad Iudicium missum: juraturus mettertius dictus Citatus, in Terminis sequentibus, cum aliis duobus paribus suæ conditionis: Quòd tunc temporis fuit infirmus, vera infirmitate à Deo permissa: quando sibi Nobilis N. Terminum, vera infirmitate à Deo permissa, reposuit,

Sigis. Petr. 1523. Fol. 33.

Si verò Citatus reponens, in Termino sibi assignato non comparuerit: permiseritq; se in lucro condemnari: & postea comparens in Termino Concitatorio ad satisfaciendum, negaret se reponere illi Nobili commisisse: extunc, juxta suam negationem, mettertius jurare debebit: Quòd illi Nuntio suo repositionem hanc Termini minimè commiserit. Præstito autem hujusmodi Iuramento, idem Citatus ibidem mox respondere teneatur super Citationem Actoris. Si autem dictus reponens, negans hanc Termini peremptorii repositionem, super suam allegatam ægritudinem, modô præmissô non juraverit: vel se à Termino hujusmodi Iuramenti absentaverit: talis succumbet in causa sua ipsô factô.

Ibidem

Vlteriores verò dilationes ejusdem infirmitatis, penitus amodo abrogamus.

Termini dilatio per simplicem infirmitatem, Actori non conceditur: sed in faciendis documentis conceditur.

IDem volumus de Actore intelligi: cùm liceat Actori quod & Reo: præter simplicem infirmitatem, quæ Actoribus non convenit, eò quòd Actores semper habent terminos peremptorios: & propter hoc, semper debent esse ad comparendum parati. Poterint tamen & Actores, in faciendis documentis habere dilationem: cùm citato ad ipsum sit permissum.

Ibidem

Vnus grossus solvatur à dilatione Termini, vel Cassatione Inscriptionis.

AB dilatione verò Termini vera infirmitate vel Cassatione Inscriptionis, non nisi unum grossum, ratione memorialis, & pro nota, Notarii Terrestres & Castrenses exigant: sub pœnis, in Statutis prioribus, contra eos sancitis.

sigis. Crac: 1532 B. 1.

Dilatio pro majori

Consvetudo. terræ Crac. Folio 124.

ITem dum aliquis differt Terminum pro majori, dicens: Quia in Iure alio pro majori haberet Actionem: danda erit dilatio, propter majorem actionem, attamen Termino adveniente, ipse differens Terminū, probabit Literis testimonialibus Iudicialibus: Quia pro majori habuit tunc Actionem. Quibus si caruerit: amittet causam, pro qua Citatus, Terminum pro majori differebat.

Dilatio pro majori.

Alexander Folio 1.

QVartum Terminum Iudicia conservant interdum pro majori: (qui, quo ad dilationem, fit ultimus) qui Terminus pro majori potest differri ante veram infirmitatem, aut post. Quòd quidem pro majori, Ius commune diffinit sic: dum in alio Iudicio terræ cujuscunq; Regni Poloniæ, eodem die, pro negotio majori Terminum haberet Citatus. Tamen quandocunq; Terminus pro majori recipitur, fit ultimæ dilationis. Cujus etiam natura & proprietas, isto modo declarabitur. Citatus Terminumq; pro majori reponens, eodem die debet habere coram alio Iudice Terminum, pro majori summa: quàm fit Actio, occasione cujus fit dilatio majoris, & debet notari istud, in dilatione pro majori: videlicet, ubi est actio, cum quo ex nomine: pro quanta summa, coram quo Iudice. Veniente enim Termino dilationis, debet portare Literam ab illo Iudicio, ubi tunc se asserebat, pro majori Actionem habuisse, sub Sigillo illius Iudicis, in qua litera contineatur Actio, cum quo, & pro quanta summa, tunc causa majoris vertebatur. Quam testimonii literam, sic producet Citatus in Termino, per dilationem sibi dato: & non succumbet in dilatione inquietus pro maiori faciendo. Sed si literam hujusmodi non portaverit: aut portatam, in aliqua parte eorum, quæ debeant contineri, (ut præfertur) insufficientem produxerit: tunc Citatus Actionem suam amittit, & totaliter perdit.

De reclamatione Terminorum

Kazim. III. Folio 87.

ITem volumus: Quòd reclamatio Terminorum non debet esse deinceps, nec sit necessaria: sed Termini, & Colloquia, partibus assignatis Iudicabuntur. quia Termini, & Colloquia erunt peremptoria, pro partibus constitutis celebrandi.

§ Qui se recipit ad munimenta nec probat, causa cadit. Vide in Titulo MUNIMENTA.

§ De dilatione seu transpositione Termini in Colloquiis. Vide in Titulo. COLLOQUIA.

§ Terminus pro hæreditate trium septimanarum assignari debet. Vide in Titulo, CITATIO.

§ Terminus factionatus in una septimana præfigi debet. Vide in Titulo, ARRESTATIO.

§ Termi-

§ Terminus ad dislimitanda bona Regalia & Nobilium, duarum septimanarum esse debet. Vide in Titulo BONA REGALIA.

§ Terminus ad Conventum generalem dies sexta post ingressum Regium. Vide in Titulo COMITIA.

TESTAMENTVM.

Testamenta, non de Immobilibus, & hæreditariis bonis: sed solùm de bonis Mobilibus, aut Regalibus condantur.

Sigis. Cracō. 1510. Fol. 11

PIetatem sanctam opprimere nolentes, sed eam summo favore prosequi cupientes, decernimus: Vt Testamenta condantur, juxta veterem Constitutionem, ex more antiquitùs servato, de bonis Mobilibus: Immobilia verò bona, tam hæreditaria, quàm oppignorata (nè defensio Reipubl. minuatur) Testamenti ordinationi subjecta minimè esse debet, secùs de bonis Regalibus. Eadem enim, propter Reipubl. commodum, nobis in parte, vel in toto Testamento legari poterint.

Testamenta contra hoc Statutum facta, irrita sunt.

Sigis. Petr. 1519 Fol. 25

TEstamenta, contra Statutum per Nos antea editum condita, deinceps non confirmabimus: & quæ confirmata sunt, Iure impugnari debebunt.

De Foro, ac forma Testamentorum.

Sigis. Crac. 1543.

TEstamentorum verò causa, utriusq; Iuris, tam Spiritualis quàm Secularis debet esse, exceptis illis, quæ essent in Iure Seculari facta. Ea enim in eodem Iure cognosci debent, nisi fortè aliquid in eo Ecclesiæ, vel in pios usus, & misericordiæ opera legaretur, sed nihil Iuri Terrestri subjectum, contra Statutum legari debet. Hoc est autem Testamentum mixti fori: quod coram publico Notario fieri: vel qui illud propria manu scriberet: vel coram aliquibus testibus, præsertim Nobilibus, factum esset, hoc tamen esse debet liberum Nobilibus, non autem civitatum incolis. Et pro talibus potest Citare qui vult, ad forum Spirituale, vel Seculare: ad quod aliquis pertinet, hoc in ejus voluntate stat. Sed Testamentum, quod aliquis coram Nobis, vel coram quocunq; alio Iudicio, aut Iure Seculari Terrestri, Castren. Civili, Villano, Advocato, & Iuris faceret: tale omnino ad Ius Spirituale non pertinebit: neq; nomine illius potest quis conveniri, coram Iudicio Spirituali, excepto, si aliquid Ecclesiæ & quod contra Ius Terrestre non esset, legaretur, hoc in ejus voluntate erit, ad Spirituale scilicet vel Seculare Ius citare.

TESTIS.

Si testi Excommunicatio objiciatur.

Kaz. Magn. 1368 Fol. 17

PEr experientiam didicimus: quòd sententia Excommunicationis in

producendis testibus, malitiosè plerumq; convevit opponi, ex quâ oppositione, pullulat oppressio veritatis. Vnde circa hanc exceptionem sic duximus statuendum: Quòd cum aliquibus testibus producendis, fuerit obiecta exceptio Excommunicationis: producens testes eosdem, absq; suæ causæ læsione, alios testes (si potest) nominandi & producendi plenam & liberam habeat facultatem. Si verò non poterit alios testes nominare vel habere: præter eos, quibus obiicitur sententia Excommunicationis, volumus: quod is, ad cuius instantiam fuernit Excommunicati, debito modo, scilicet cum sufficienti fideiussoria Cautione, vel Iuratoria depositione cum reverentia, aut satisfactione requiratur, & petatur: Quòd eisdem testibus Excommunicatis, ad perhibendum tantummodo testimonium, & subveniendum veritati (ne veritas opprimatur) beneficium Absolutionis impendat. Quod si Excommunicator, præmisso modo petitus pro testimonio perhibendo, beneficium denegaret absolutionis: huiusmodi postulantes, Veniam & Absolutionem, quantum ad Deum, censeantur obtinere. Volumus & Decernimus: quòd extunc, absq; vulneratione causæ, testimonia eorundem testium per Iudicem recipiantur: & habeant ipsorum testimonia firmitatem.

De Testibus consanguineis, & probatione Contractuum, & Venditionum.

Kaz. Magn. Folio 18. CONradus à Dominico domum vendicabat: & ad suam intentionem probandam, Conradus sex testes, juxta Iudicis mandatum produxit, quorum primus testis Iacobus: alter Petrus, ipsius Conradi compater, & mediator, seu amicabilis compositor, in eadem causa quem ipse Dominicus, cùm testes in Iudicio secundùm consvetudinem nominarentur, neglexit impugnare: nec huiusmodi consanguineitatem, obiicere. Demum circa testium Iuramentum, opponendo prædictus Dominicus testimonium dicti Petri, propter præfatam consanguineitatem, constanter asseruit non valere: & sic dicebat, se causam eandem obtenturum. Nos considerantes: quod amicabiles compositores, seu mediatores, consanguinei esse consveverunt: Declaramus in tali casu, testimonium prædicti Petri pro Conrado valiturum.

Notarii Terrestres, sive Castrenses, pro testium depositionibus tres grossos aicipiant.

Kazim. Magnus 1368. Folio 37. STatuimus: quòd Scriptores Iudiciorum, de testibus producendis, si scribere & obsignare eorum dicta oportebit, recipiant tres grossos.

Officiales verò, à producente testes, quatuor Scotos accipiant.

Ibidem. ITem volumus: quòd Officiales de uno producente testes, habeant quatuor Scotos.

Forma

Forma Iuramenti Testium ne mutetur.

Ibidem ITem, si Officialis, aliàs *Wozny*, aliter formam Iuramenti testibus dixerit, quàm est mandatum: & de hoc convictus Iudicio fuerit: perpetuò de Officio deponatur.

Si testi ignobilitas obijciatur.

Sigis. Petr. 1523 Fol. 40. SI verò Citatus sive victus, aliquem testium inductorum in Termino Campestri, super Nobilitate inculpaverit, volens per hoc limitationem ipsam Actori impugnare, vel præpedire: extunc pro tali inculpato, dabunt testimonium alii testes, illi videlicet quinque, simplici verbo: Quòd est possessionatus: habet videlicet bona Terrestria, & habetur pro Nobili, inter vicinos: & servitia bellica cum Nobilitate peragit, & tale testimonium sufficiet sibi pro tunc: quod videlicet debet admitti ad Iuramentum, cum Actore præstandum. Tamen Succamerarius reservabit sibi cum inculpatore Iuridicam actionem. in foro competenti prosequendam.

TRIBVNATVS.

Novi Tribunatus abrogantur: veteres autem bene meritis Militibus sunt conferendi.

Sigismundus. Petr. 1538. B 3. DEcernimus: ut novi Tribunatus, quicunq; sunt à nobis ubilibet instituti, non diutiùs quàm ad mortem modernorum possessorum durent, quibus ex hac vita sublatis, Tribunatus quoque ipsi extincti censeantur. Novos deinceps nullos constituemus: & antiquos bene meritis, aut emeritis Militibus conferemus.

De Tribunatibus, ferè similis.

Sigis. Aug. 1550. QVia etiam bellico servitio Tribunatibus non parum decedit: omnes hos Tribunatus, post annum 1538 institutos, abrogamus, antiquis autem, juxta hoc ipsum Statutum suprapositum, dispensabimus, quin etiam & eos, qui Castris carent, cassamus: tantùm autem eos, qui Castra habent, in robore relinquimus.

TORVNENSES.

Torunenses navigationem Gedanum nè impediant.

Albert. Rex Folio 98 QVodq; Torunenses non impediant, neq; arrestent, aut retineant navigantes: illis violentias ullas facere non præsumant, à quibus eos tueri pollicemur: sic ut Gedanum quisq; liberè atq; securè fluitet, per Torunen. minimè prohibitus aut prohibendus.

TVTOR.

Tutor ut nihil perpetuum, de hæreditate puerorum disponet: sic neq; illam limitabit.

Kaz. Vislic. Folio 33. Cùm pater decesserit pueris relictis, ipsis ad nos legitimos nondum educatis: Tutor ipsorum, non potest hæreditatem ipsorum vendere, nec gades limitare, nec ipsam hæreditatem aliquo modo perdere, quia si secùs fecerit: pueri ad annos discretionis pervenientes, hæreditatem suam à possessore viceversa habere, & lucrari possint: nec ipsis aliqua præscriptio allegari possit.

Licèt Tutores debent resignare bona pueris, postquam nacti fuerint annos 15. tamen pueri, ante annum 24. non possunt illa bona alienare, absq; consensu amicorum.

Consvetudo terræ Crac. 1505 Folio 120. ITem quemadmodum ex Statuto communi, Tutores tenentur resignare bona puerorum, dum habebunt annos 15. pueri verò bona sua accipiendo, uti debent eis: sic nihilominus Iure sit provisum: (prout fieri consvevit) quòd ipsi pueri bona vendere, obligareq; non debeant, sine consensu amicorum, consanguineorum: donec habebunt annos 24. transactos.

Tutor, de Censibus, ac jumentis indomitis tantùm rationem reddet.

Kaz. Magn. 1368 Fol. 33. MVltoties contingit, quòd pueris in orphanitate constitutis, aliqui, quasi eisdem compatientes, ipsos nomine Tutorio in curam recipiunt, & Tutelam: Tandem ipsis ad ætatem legitimam venientibus, à Tutore solent exigere rationem: de bonis & rebus, Mobilibus & Immobilibus, quibuscunque. Vnde de consilio Baronum nostrorum statuimus: Quòd Tutor, peractis temporibus, de nullo rationem facere tenetur: nisi de censibus, & jumentis indomitis.

§ Tutores de bonis Minorennium, secundùm quantitatem bonorũ eorundem, militatum expediant. Vide in Titulo BELLUM.

§ Tutor pro capite agere potest. vide in Titulo HOMICIDIA.

§ Si Tutores, virgines maritare negligant. Vide in Tit. VIRGO.

Pater, liberis ac uxori Tutores dare potest.

Wladisl. Iagell. Fol. 43. STatuimus: quòd pater vivens, possit & valeat pueris suis & uxori, (si ipsa affectaverit) constituere certos Tutores: quos voluerit: de quibusque major sibi fides, & confidentia apparuerit, qui tueri & curare eosdem poterint, usq; ad annos superiùs allegatos: nec eosdem Tutores, post mortem constituentis, proximiores à Tutela poterint removere.

VA-

VADIVM.

In articulis Castrensibus, ex Termino concitato astito, rectè Vadia interponuntur.

PRogressus debebit observari in Iudicio Castrensi, secundùm materiam subjectam, in articulis duntaxat Castrensibus, ubi statim ex Termino concitato astito, addatur Ministerialis ad intromittendum, cum triplicatis Vadiis. *Sigis. Petr. 1543. Fol. 36*

§ Reliqua de interpositione Vadiorum, ut pote de Vadio literali, vigore Intromissionis perlucrorum: item de Vadio triplicato: & de Vadio ultimo. Vide in Titulo PROCESSUS IURIS.

VAGI.

Vagi raptores infames sint.

SVnt nonnulli, qui per indiscretionem, victum longi temporis brevi hora consumunt: tandemq; assumunt sibi, extra propria occasionem vagandi: & taliter vagantes, aliena rapere non formidant. Vt igitur tales, à qualibet occasione vagandi, & rapiendi, saltem formidine pœnæ retrahantur, statuimus: Quòd taliter vagantes, & rapinas committentes, quibuslibet bonis ipsorum, quæ habent, ipso facto sunt privandi. Et si contigerit, hujusmodi fugitivos nostræ gratiæ reconciliari: Volumus nihilominus, quod inter suos pares, ut infames habeantur. *Kazi. Magn. Vislic. 1368. Folio 22.*

§ De mendicis vagis, Vide in Titulo MENDICUS.

Laici dietim, horatim, aut septimanatim servientes, vel sine literis testimonialibus advenientes, non foveantur in Civitatibus: sub pœna 14. Marcarum. Nam Inquilini, pro suis servitijs septimanalibus sufficient.

ITem quoniam propter laicos, propria domicilia non habentes, qui septimanatim servire, & salaria septimanalia habere consveverunt, fit defectus servitorum, in villis, & prædiis bonorum, tam Majestatis Regiæ, Spiritualium, & Secularium personarum: quiq; in civitatibus & & oppidis foventur inconsideratè, non advertendo quibus officiis victũ quærant, qui exinde certis temporibus prædatum, certis verò temporibus servitum exeunt, in villis messis tempore salaria exigentes gravia: statuimus: Vt sub pœnis quatuordecim Marcarum, toties quoties secus factum esset solvendis, Cives & Oppidani nostri, & quorumljbet subditorum nostrorum, cujuscunq; status & conditionis existentium, non foveant in Civitatibus & Oppidis homines tales: qui ad annum integrum servitium non haberent: aut Officium aliquod non gererent, de quo victum colligerent, & similiter illos, qui absq; literis testimonialibus, à *Albert. Petric. 1496. Folio 99.*

dominis locorum recipiendis, illuc se conferant. Et licet officia quædam sint inter illos: quæ ipsi Cives, pro eorum victu, habere gerereque consveverunt, per labores, & suffragia septimanalium servitorum: pro illis septimanalibus servitiis, inquilini domorum assumantur, per quos suppleatur defectus apud illos: qui non diutiùs, quam pro certis diebus servitores conveniunt.

Pœna contra Rusticos vagos.

Sigiſ. Petr. 1519 Fol. 24 RVstici vagi, qui ad diem tertium, post suum in civitates vel oppida ingressum, servitio sive artificio se non applicuerint, volumus, & statuimus: ut per Officium Civile capiantur, & detineantur: vinctique compede, ad faciendos aggeres & fossas Civitatum & arcium adhibeantur, ne & furta, vel latrocinia ex eis multiplicentur: & Nobilitas, servorum & laboratorum penuria prematur, id quòd & aliis omnibus in bonis suis facere licebit.

Kmethones verò, Hortulani, & eorum filij, à Dominis suis profugi per Capitaneos vel per Civile Officium capiantur: Dominus verò eosdem repetens duodecim grossos solvat.

Sigiſ. Crac. 1532 A. 3, CONsulentes commoditati rei communis domesticæ Regni nostri, (quæ plerunq; fugitivorum colonorum, seu Kmethonum, vel filiorum eorum malitia ita defraudatur: ut multi subditorum nostrorum, ex defectu laborantium & servitorum, in laboribus necessariis negligantur:) statuimus, & decernimus: ut quicunq; colonus seu Kmetho, Hortulanus, seu quivis alius subditus, vel filij eorum, invito vel insscio Domino suo, in alienas provincias fugiens se transferat, per Capitaneos, & eorum Vices gerentes, deniq; per Officiales civitatum, & oppidorum, ad quæ devenerint, capiantur: & capti, operis servilibus adhibeantur tam diu: donec dominus detenti vel detentorum, illos inventos repetierit. Repetente enim domino subditum, & docente illum esse suum, Capitanei & eorum Vicesgerentes, vel Civitatum & oppidorum Officiales, illum extradere debent irrecusè: receptis priùs ab eo, qui subditum suum repetit, duodecim grossis, quos illi pro opera & diligentia, in detinendo subdito adhibita, solvendos fore decernimus.

De furtis prohibendis, & vagis coercendis.

Sigiſ. Petr. 1523. Fol. 29. ITem ad continenda furta, & vagos homines coercendos, capitanei locorum diligenter curabunt: homines otiosos & vagabundos, nulliq; servitiis aut artificiis addictos, in suis Capitaneatibus perquirere, & cohibere. Nobiles verò, in bonis suis tales coerceri per Capitaneos, permittant, alioqui, Citati, illos coram Capitaneis statuere teneantur.

De

De laicis & mulieribus, messis tempore de Regno exire prohibitis.

Ioan. Albert. Petric. 1469 Folio 103. QVoniam quàm plures laici, & mulieres, de terris Mazoviæ, & aliis terris Regni Poloniæ, Silesiam & Prussiam, messis tempore se transferre consveverunt: quo fit, ut in terris Poloniæ, laboratores & servitores haberi non possint faciliter: itaq; statuimus: Vt omnes tales, de terris Poloniæ, & Mazoviæ, extra Regnum laboratum euntes, per Capitaneos, Tenutarios, atq; Nobiles, & locorum dominos, Officialesq; impunè retineantur: retentique, laboribus Regnicolarum applicentur.

De eisdem Rusticis, extra Regnum laboratum non mittendis.

Prælati Petric. 1503. Folio 112. ITem ne Rustici extra Regnum exire possent, pro juvandis aliarum Provinciarum laboribus: per Capitaneos ubiq; prohibeantur: & aliis quibuscunque, erit licitum eos impunè retinere, & ad usos suos, etiam sine mercede, ad unum mensem redigere: ita tamen, quòd mense exacto ad propria revertantur.

De fugitivis ad Silesiam, à Capitaneis arcendis.

Sigi smundus 1538. C 1. VOluimus: ut Capitanei arcium finitimarum, Rusticos omnes, ex Polonia in Silesiam & Vngariam fugientes, aut se conferentes, transire non permittant: sed eos contineant & arceant: secundum Statuta Regni nostri.

VENDITOR SEV VENDITATIO.

In venditione bonorum, consanguinei testantur.

Kaz. Magn. 1368 Fol. 18. CONradus à Dominico domum vendicabat: & ad suam intentionem probandam, Conradus sex testes, juxta Iudicis mandatum produxit, quorũ primus testis Iacobus alter Petrus, ipsius Conradi compater, & mediator, seu amicabilis compositor, in eadem causa: quem ipse Dominicus, cùm testes in Iudicio secundùm consvetudinem nominarentur, neglexit impugnare: nec hujusmodi Consanguineitatem obijcere. Demum circa testium Iuramentum, opponendo prædictus Dominicus testimonium dicti Petri, propter præfatam consanguineitatem, constanter asseruit non valere: & sic dicebat, se causam eandem obtenturum. Nos considerantes: quòd amicabiles compositores, seu mediatores, Consanguinei esse consveverunt, declaramus: in tali casu, testimonium prædicti Petri pro Conrado valiturum.

Venditor ostendat hæreditatis limites: & intra tres annos, & tres menses, emptorem tueatur.

Iagel. Cracoviæ 1423. Folio 44.

EX consvetudine, & Iure antiquo servabatur: quòd vendens hæreditatem, emptorem per tres annos, & tres menses, ab impetitione quacunque, ad interveniendum & liberandum eundem sit astrictus, sed quia multoties contingit: quod vicini illius venditæ hæreditatis, quorum limites etiam ipsum contingunt, infra præfatos tres annos, & tres menses, emptorem vexare postponunt: donec Venditor & intercessor, præscriptione emptionis evadat: (qua elapsa primò, emptorem pro limitibus inquietare, non formidant, licèt venditioni præsentes extiterint) eapropter volumus & statuimus: Quòd cùm aliqua hæreditas emptori per venditorem ostenditur, vicini illius hæreditatis per emptorem, cum Ministeriali evotentur: quòd illi ostensioni intersint, qui si venire noluerint, sic per Ministerialem vocati: & infra tres annos & tres menses, possessori quæstionem pro limitibus non moveant: tunc possessor ad probationem suæ emptionis, cum testibus admittatur: Præscripti oneq; tanti temporis juvabitur.

§ Qui vendit aliquid, uxorem habens, eandem statuat cum duobus amicis, de linea paterna proximioribus, ut venditioni consentiant. Vi in Titulo VXOR.

VIDVA.

Vidua dotata quid tollat: & si alteri marito nubit.

Kazim: Magnus Vislic. 1368 Fol. 29.

STatuimus: Quòd marito mortuo, uxor circa Donationem, & Dotem, & quælibet Parafarnalia, in pecuniis, gemmis, lapidibus & vestibus super extantibus, & remanentibus, debeat remanere. Ipsâ autem mortuâ, ad liberos (si ipsos habuerint) prædicta omnia bona devolvantur. Quæ mulier, habendo pueros, si alium virum receperit, vel recipere voluerit, decernimus: quòd tantummodo ad eosdem pueros, omnia bona paternalia integraliter, cum alia parte, ipsos in divisione concernentê, quorumlibet bonorum maternalium, in quibuscunq; rebus consistant, absq; aliqua contradictione devolvantur- & cum alia residua suorum bonorum parte, maritum accipiat, juxta suam voluntatem.

Vidua dote, & dotalitio tantùm potiatur.

Iagell. 1423 Fol. 42.

AD abolendam damnosam consvetudinem: quæ hactenus inter subditos nostros, solùm ex communi usu servabatur: quòd uxor, marito mortuo, in sede victuali (contra quandam antecessoris nostri Constitutionem: quæ incipit, statuimus &c.) remanens, omnia bona possidebat: propter quod nonnulla bona pueris, vel proximioribus, per inadvertentiam, & malam ipsorum procurationem, annihilabantur, & desolabantur: unde talibus obviare volentes, statuimus de cætero: Quod uxor, marito mortuo, tantùm Dotem, & Dotalitium habeat, alia verò bona, in quibus Dotem & Dotalitium non habuerit, pueris, vel proximioribus tenebitur resignare.

Vidua

Vidua, quæ bona Mobilia tollit.

LIcet etiam antiquitùs per antecessores nostros, in quodam Capitulo statutum sit: quòd maritô mortuô, uxor Donationem, & Dotem, & quælibet Parafernalia (videlicet in gemmis, argento, vestibus, & pecunijs) habeat, & teneat: tamen quia non modica damna, per hoc pueris evenire solebant: quapropter de consilio & consensu Prælatorum, Baronum nostrorum omnimodè Statuimus. Quòd uxor, maritô mortuô, solùm circa Parafernalia domestica remaneat: thesauro videlicet, pecunijs, & argento, equis magnis, cum omnibus armis equireis exceptis: quæ omnia ad pueros devolvantur. Declarantes insuper: quòd talis mulier, circa omnia pecora, & quævis alia, quæ in Dote sua & Dotalitio fuerint, unà cum equis vectigalibus, quibus tempore mariti sui vehebatur, remaneat. demptis vestibus, & eq̃is parvis, in valore trium Marcarum, mariti defuncti: quæ in æqualem sortem, seu portionem dominæ cum cum pueris cedere debebunt, & dividi cum effectu.

Wladisl. Iagell. Fol. 48.

De crinili nuptarum virginum, maritis mortuis.

ITem dum aliquis copulat sibi matrimonialiter virginem, seu puellam, & privatur vita, non reformando eidem uxori: extunc talis uxor accipiet pro Crinili Marcas 30. aut possessionem, ubi trium Marcarum esset proventus: habebit tam diu, donec sibi persolvetur Crinile, tenendam, quæ non tenetur equitare de bonis, ubi eam maritus morte reliquit; alias *Odumart.* usq̃uoque dabuntur ei, aut triginta Marcæ, pro Crinili: aut trium Marcarum proventum, àlias censum, constituent mariti successores.

Consvetudo terræ Cracl. Folio 121

§. Vidua sexennio præscribit. Vide in Titulo Præscriptio Fol: 333.

VIÆ.

Mercator per veteres vias transeat.

ITem prohibemus omnibus mercatoribus: Ne cum rebus, & mercimonijs suis, audeant per novas vias & loca transire: sed iuxta Constitutionem divæ memoriæ, Domini Kazimiri secundi, nostri prædecessoris, antiquas stratas observent. alàs, omnes decreto huic contravenientes, Permittimus & Decernimus à Capitaneo nostro capi: & bona eorum omnia & singula, nostro infiscari thesauro.

Kaz. Petric 1442. Folio 91.

Capitanei securitatem viarum attendant.

DEcernimus: Vt in illis terris, in qutbus Iudices ab eorum Capitaneis constituti Officia exercent, ipsos terrigenas & subditos nostros, itinerumq; ac itinerantium securitatem, iuxta Iuris formam, à violentijs iniuriantium defendant. ad solutionem verò pænarum, quæ ex iudicato debentur, eosdem compellant.

Sigis. Crac. 1507. Folio 6.

Latitudo publicarum viarum, quomodo eſt inſtituenda.

Sigiſ. Crac. 1539. DE via quoque ſæpè fuit diſceptatum: dum alij ſeminantes, alij ædificantes, partem illius occupare dicerentur: non ſine gravi euntium, atq; agentium iniuria. Vt itaq; hæc quoque, de via publica occaſio diſceptandi tolleretur: recipimus nos, datis ad præfectos arcium & civitatum literis mandaturos illis: ut ſinguli eorum, adiunctis ſibi duobus ex Equeſtri ordine viris induſtrijs, & eorum peritis, latitudinem viæ ubiq; conſtituant, & determinent: ſecundum diſpoſitionem Statuti, de hoc editi.

Ne viæ publicæ, & Telonia declinentur.

Sigiſ. 1507. Folio 7. IPſi etiam Capitanei prohibituri ſunt negotiatoribus: quòd nonniſi vijs conſvetis, & publicis ſtratis, Telonia & publica loca non declinando, vadant: ſub rerum, quas per obliquas vias vexerint, privatione.

Non per Marchiam, ſed per Glogo viam, cum mercibus eatur: ſale Ducis Stolpenſis excepto.

Sigiſ. Bydgoſtiæ 1520. Folio 27. COnſtituimus etiam in eodem Convenſu, occludendum eſſe tranſitum, tam univerſis Regni ſubditis, quàm etiam extraneis mercatoribus, per Marchiam: omneſq; negotiatores. ſub omnium ipſorum bonorum amiſſione, & extra Germaniam, cum quibuſcunq; mercibus, & bobus, via præfata ire non debent: ſed eâ viâ, per Glogoviam, & alia loca, quâ antiquitus ire ſolitum eſt. Sed quoniam in terras Domini Ducis Stolpenſis, per novam Marchiam ire hinc inde ſolitum fuit: Nos autem nolentes, nec noſtris nec ipſius Domini Ducis Stolpenſis ſubditis & alijs mercatoribus, negotiationem & tranſitum hinc inde prohibere: volenteſq; quantùm poſſibilè fuerit, hoc prohibere: ut nemo, tam in Regnum noſtrum veniens, quàm etiam ex eo tranſiens, aliqua loca Domini Marchionis attingeret: & hìc ſcire non valentes, debitam locorum poſitionem, per quæ tranſitus utrinque commodiùs poſſet conſtitui: committimus Magnifico & Famatis, Lucæ de Gorká, Caſtellano Poſnanienſi, & Capitaneo Maioris Poloniæ generali, cum Conſulibus Poſnanienſibus conſtituere: & publicare tranſitum, & loca per quæ tam ex Regno noſtro, per terras & dominia ipſius Domini Ducis Stolpenſis, quàm etiam ex eius terris & dominijs, cum mercibus, (ſale tamen excepto) & pro alijs rebus, pro quibus ex uſu vel neceſſitate eos in Regnum noſtrum venire contigerit, eâdem viâ, & non alijs obliquis, tranſitus pateat, ſub mercium, & equorum, ſecus facientes privatione. Qui viam ipſam evitantes, ubique locorum prohiberi, & arreſtari poterint. Quam huiusmodi Conſtitutionem, præfato Domino Duci Stolpenſi, ipſe Magnificus Lucas de Gorka literis ſuis declarare debebit. ut ſubditis ſuis hæc publicari faciat: præcipiatque pro bona vicinitate, ut ſe in ea re hoc modo gererent: & cùm dominia ſua attigerint, ut ſimiliter eis per ipſa, viam conſtituat, & deſignet: qua poſſent tranſire.

In Sileſiam cum mercibus progredi, vel tranſitum permittere. capitale eſt.

ET quia non verentur plurimi, prohibitionem viæ in Sileſiam multiplicibus modis tranſgredi, in contemptum decretorum & mandatorum noſtrorum, & in peſſimum inobedientiæ exemplum, volentes tam cuſtodes, quàm etiam negotiatores, hanc ipſam prohibitionem noſtram transgredientes, coercere: Statuimus cum univerſis Conſiliarijs, & terrarum Nuncijs: Quòd quicunq; deinceps fuerit, eandem prohibitionem noſtram, tranſeundi cum mercibus, aut frumentis qualibuſcunque in Sileſiam, ultra fines Regni noſtri tranſgreſſus eſſe: & capite, & bonis omnibus puniri debebit. Qui verò non fuerit in tranſgrediendo deprehenſus: ſed vel furtim, vel conniventiâ Capitaneorum tranſgreſſus & de hinc domum reverſus: ſi teſtibus idoneis convictus fuerit, eam tranſgreſſionem commiſſe: pœna capitis punietur. Si autem quiſpiam Capitaneorum permiſerit aliquem, contra ipſam prohibitionem noſtram, in Sileſiam tranſire: & Capitaneatus ſuo Officio privari, & alia, quæ nobis condigna videbitur animadverſione puniri debebit. Si verò fuerit Capitaneus, qui bona noſtra habuerit oppignorata: perdere debebit, abſque ulla ſpe veniæ, ſummas omnes pecuniarum: quas in ipſis bonis noſtris habuerit inſcriptas. eadem q; bona ad nos, ipſo facto devolvi debebunt. Quòd ſi Burgrabius, Viceca pitaneus, aut Notarius Capitanei, modo ſupra dicto exceſſerit: & idoneo teſtimonio convictus fuerit: quòd aliquem contra prohibitionem noſtram, tranſire in Sileſiam permiſiſſet, quovis colore, & prætextu: illum eius dominus, vel evincere, vel ad pœnam capitis & bonorum, nobis extradere debebit. Atq; huic Conſtitutioni, & decreto noſtro, univerſi homines, tam noſtri, quàm ſubditorum noſtrorum, Spiritualium & Secularium, ſubiacebunt: nec quiſquam exemptus eſſe debebit. Sigiſ. Crac. 1527. A4.

Regni incolis via in Vngariam & Sileſiam prohibetur. non externis.

AD evitandas magnas inſecuritates, iniurias, & deprædationes, (quas ſubditi noſtri ab incolis Regni Vngariæ, & Ducatus Sileſiæ annis ſuperioribus incurrerunt: & adhuc ſuſtinere coguntur) de conſenſu omnium ordinum, in hoc Conventu congregatorum, Interdicimus, & ſeverè prohibemus: Vt nemo ſubditorum noſtrorum, ad Vngariam, & Sileſiam, cum mercibus, aut pro mercibus, & rebus quibuſcunq; ire & proficiſci, aut inde in Regnum noſtrum merces quaſcunque invehere audeat: ſub amiſſione rerum, & mercium earundem. Sigiſ. Petr. 1538. C. 1.

Relaxatio autem eiſdem occluſionis, à nobis fieri non poteſt: niſi in Conventu Regni generali. Verùm permittimus: ut Nobilitas, & Mercatores, boves quos hâc hyeme aluerunt, extra Regnum, ita ut priùs uſque ad feſtum Sanctæ Trinitatis proximum, depellere poſſint & valeant. Liberum tamen erit Vngariæ, & Sileſiæ incolis, cum rebus, & mercibus quibuſcunque, interea ad Regnum noſtrum venire: & ex Regno, cum alijs quibuſcunque rebus, ſine quovis impedimento, ad ſua redire, non obſtante huiuſmodi occluſione: quæ duntaxat ad ſubditos noſtros pertinere debet. Hæc autem prohibitio relaxari non debet per nos: (ut ſupra diximus) niſi in generali Conventu Regni, cum conſilio Ordinum, tum in Conventu exiſtentium: neque ulli ſubdito noſtro, libertatis literas, contra prohibitionem huiuſmodi, ad Vngariam, & Sileſiam, vel inde cum rebus & mercibus commeandi & tranſeundi, concedemus, quas etiam conceſſas effectu carere, & res quaſcunq; ab huiuſmodi impetratoribus libertatis ductas, fiſco noſtro fore applicandas, Volumus & Decernimus.

In Sileſiam, & Vngariam, ingreſſus prohibetur: quouſque de iniuriis utrinq; cognoſcatur.

Sigiſ. Crac. coviæ 1543.

CVm de occluſione viæ in Sileſiam diſceptaretur: tametſi ſubditorum noſtrorum poſtulationes, apud nos factæ, erant variæ: nihilominus ex communi Conſiliariorum noſtrorum, & Nunciorum Terreſtrium conſilio, in eo ſtatu reliquimus negotium. Vt hæc occluſio, & inhibitio viarum, tamdiu duraret: quo ad iniuriæ, & damna, pro quibus cum ſubditis Regis Romanorum ſubditi noſtri utrinque experiri debent, tam in Sileſia, quàm in Vngaria ſarcirentur: & per Commiſſarios utriuſque Regni, iuſtè finirentur, & compenſarentur. Et tamen hoc quoque Conſtituimus: (ut melius hæc inhibitio viarum provideretur) ut videlicet Capitanei, in confinio exiſtentes, ſub amiſſione Officiorum ſuorum, diligenter hoc cuſtodiant: ut præter hanc inhibitionem ſubditis noſtris nihil facere, neque illuc equitare permittant. hoc inſuper adiiciendo: ut vectores noſtri Theutonicorum merces, neque ex Polonia, neque in Poloniam ducant: ſed ut ipſi mercatores Theutonici, ſuas res & mercimonia, tam in Poloniam, quàm ex Polonia ducant, & vehant. Et quicunque Capitanei hanc inhibitionem diligenter obſervabunt: tales mercemoniorum, in pœnam commiſſi cadentium a tranſgreſſore Conſtitutionis accipiendarum, medietatem habebunt: alteram verò pro nobis tollemus.

VIOLENTIA.

Violenti, etiam per quemlibet famulum citantur: ſed alias per Miniſterialem.

Kazi. Vislic 1368 Folio 13.

POſſibilitas hoc dictat rationis: quòd Iudices, in exercendis ſuis Iudiciis, habeant ſuos certos Miniſteriales ſeu Officiales. Quapropter Statuimus: Quòd penitus nullus Iudex, per aliquam aliam perſonam, quam per certum ſuum Officialem ſeu Miniſterialem, faciat & expediat ſuas Citationes: Milites autem ſuperiores, per literas, excepto hoc: ſi aliquod crimen in Iudicio, vel in curia Iudicij, recenter & de novo committatur: tunc pro huiuſmodi crimine, per quemlibet familiarem, contra tales liceat fieri Citationes.

De aliqua re, violenter recepta.

Kaz. Magn. Folio 28.

ITem ſi quis violenter mantellum ſuum, vel aliam rem propriam quamcunque, alicui authoritate propria receperit: Iure repetendo, cum pœna ſex Marcarum, eandem reſtituere teneatur.

De homine paupere, divitem pro violentia citante.

Kazi. Magni Viſlicia. Folio 28.

ITem cùm pauper divitem pro violentia Citat, dives per teſtes debet & poterit ſe expugnare. Aliàs, iuxta violentiæ qualitatem debita pœna eſt multandus.

Nobilis circa violentiam in civitate captus, abſq; Capitaneo iudicari non debet: & pœna 60 Marcarum a civibus iniuſtè capto debetur

Sigiſ. Cra. coviæ 1527. A. 5.

QVod ad violentias, quæ in civitatibus & oppidis Regni noſtri committuntur,, attinet: ſi quiſpiam Nubilis violentiam ipſam perpetraverit: & in civitate, ſeu oppido, civem vel hominem aliquem verberaverit: aut iniuriam aliquam per violentiam cuipiam intulerit: detineri quidem, comprehendi ab Officio civitatis poterit ſed iudicari, & ad pœnam condemnari, non niſi ſub præſentia Officij Caſtrenſis debebit.

De eadem captivatione Nobilium in civitatibus ob admiſſa crimina.

Sigiſ. Petr. coviæ 1538. A 4.

STatuimus: Vt Nobiles, ſecundùm Statutum Torunij editum, pro admiſſis criminibus, in civitatibus & oppidis captiventur: & qui Officio Capitaneali, utcunq; civibus diſſentientibus, pœnam non promeruiſſe: in cuſtodiam Officij Caſtrenſis tradi debent: uſque ad cognitionem noſtram, ſuper eiuſmodi detentorum exceſſibus faciendam. Quòd ſi nos decreverimus aliquem iniuſtè detentum eſſe: eumque per ſententiam noſtram liberum fecerimus: Cives pro huiuſmodi iniuſta de-

tentione, pœnam detento 60 Marcarum pecuniæ ſolvere tenebuntur, ſintq; adſtricti.

Statuti autem formula, Thorunij per nos anno M. D. XX. editi, in hæc verba ſequitur.

Ibidem. QVia Nobilium & Civitatum Regni noſtri domnoſa fuit exorta differentia, ſuper his Nobilibus: qui in recenti crimine, pro violentia, in civitatibus & oppidis, rapiebantur: proinde nos tam gravi negotio ad præſens, propter Pruſſiæ bellicam occupationem, pro perpetua ordinatione intendere non valentes: nihilominus providentes tranquilitati ſubditorum noſtrorum, de unanimi conſilio Conſiliariorum noſtrorum omnium, & Nunciorum Terreſtrium *Regni*, Statuimus & ordinamus: Quòd dum aliquis Nobilis, in civitate noſtra, vel oppido noſtro, aut aliquorum Spiritualium & Secularium ſubditorum Regni noſtri, pro crimine violentiæ, per Officium Civile captus fuerit: extunc talis Nobilis, pro violentia captus, detineri debet in Prætorio civitatis vel oppidi, ubi capietur. Quo facto, Officium civitatis vel oppidi illius, ubi talis violator captus fuerit, nullum penitus Iudicium faciet: neque antiquam pœnam exiget, de eodem Nobili: niſi prius ad eorum requiſitionem Capitaneus, vel Vicecapitaneus Caſtrenſis, illius Iuriſdictionis noſtræ Regalis, ſub quo civitas talis vel oppidum ſitum fuerit, præſens interfuerit eidem civili Iudicio: quod miniſtrari & fieri debet, pro violentia contra dictum Nobilem. Et ubi Capitaneus, vel Vicecapitaneus noſter, ad unam ſententiam, cum Officio illius civitatis vel oppidi, ubi talis Nobilis detentus fuerit, concordati fuerint: extunc præfatus Nobilis, iuxta huiuſmodi ſententiam Capitanei noſtri, aut eius Vicecapitanei, ex Officij Civilis, condemnari & puniri debet. Si verò talis Capitaneus noſter, vel eius Vicecapitaneus, non poterit ſe concordare ſuper ſententiam, cum Officio Civili, contra talem Nobilem: extunc ipſe Captivus, interea temporis in decenti captivitate civili detineri debet tam diu: donec a Maieſtate Regia informationem Capitaneus noſter, & illa civitas, vel oppidum habuerit: Quomodo talis Nebilis captivus ſententiari, & puniri deberet: Præſcriptione tanta temporis non obſtante: qua ſe prædictus captivus tueri non valebit, Si verò in aliqua civitate, vel oppido, Officium Civile contra præmiſſa aliquid attentaverit: extunc per Capitaneum noſtrum Caſtrenſem, ſub cuius Iuriſdictione & diſtrictu, talis civitas vel oppidum conſiſtit, Proconſul pro tempore exiſtens, cum uno Conſule capi, & decollari, & capite privari debent.

De eodem

Sigiſ. Augu. Petrcoviæ 1550. IN Statuto Thorunenſi, Anno 1538. condito, eſt ſufficienter deſcriptum: quomodo ſe debent conſervare cives, circa captivationem Nobilium quod in omnibus teneri debet § De

§. De domûs violatione, ac in ea vulneratione, & complicibus violatoris, Vide in Titulo INVASIO DOMUS Fol. 222.

§ De violentia in Iudicio commiſſa, Vide in Tit. IVDICIVM Fol. 228

§ De violationibus uirginum, & oppreſſionibus viduarum vel maritatarum, vide in Titulo VIRGO. Vide infra.

VILLICVS.

De inculpato Villico, aut familiari, per ipſius dominum

PRæterea cùm dominus contra ſuum Wladarium, aut contra alium familiarem, pro aliquibus rebus, aut iniurijs, moverit quæſtionem tunc ipſe Wladarius, aut familiaris, domino ſuo non deferendo Iuramentum, teneatur ſe cum ſex teſtibus expurgare. *Kaſ. Viſlic. Folio 30*

VIRGO ORPHANA.

Virgo orphana poſt deſponſationem ſui, tribus annis & totidem menſibus præſcribit, contra Tutorem ſuum

FRanciſcus neptem ſuam Luciam, in infantili ætate conſtitutam, orphanam, cum bonis centum Marcarum valentibus, tuendam & ſervandam, in ſuam accepit curam. Tempore verò procedente, ipſam (dum adhuc eſſet minorennis) de viginti duntaxat Marcis dotatam, marito tradidit. Deinde ſtando cum marito, poſt quatuor annos, eadem Lucia, pro reſiduis bonis hereditarijs reſtantibus, ultra prædictas viginti Marcas, Franciſco ſuo avunculo, & Tutori movet quæſtionem. Franciſcus autem reſpondit: quòd longo tempore poſt contractum matrimonium, per quatuor annos videlicet, nunquam fuit monitus, pro rebus, vel pro bonis prædictis. Nos itaque talibus volentes caſibus providere, Declaramus & Statuimus. Quòd prædicta Lucia, poſtquam cum marito fuerit ſive ſteterit, per tres annos & tres menſes, infra eoſdem, ad cauſam non provocando: ſive ſit minorennis, ſive major, de cætero non poterit, nec debebit agere, pro quibuſcunque bonis vel rebus reſiduis. obſtante ſibi termino trium annorum, & trium menſium taciturnitate, & Præſcriptione. *Kaſ. Magni Vſic. 1368 Folio 19*

Si Tutor nubilem virginem non maritat.

ASTutiæ & doloſitati hominum perverſorū, qui omnia in peius convertere & iuterpretari non formidant, viam præcludere cupientes Sancimus. Quòd quicunque nomine tutorio, aliquam vel aliquas, puellam, vel puellas, Iure Affinitatis, cum bonis hereditarijs ipſas ex ſucceſſione paterna contingentibus, ſeu concernentibus, iam puberes atq; nubiles, ad deſponſandum ſervant, eas nolentes maritari: in hunc finem *Wladiſlaus Iagell. 1423. Folio 43.*

quòd bona ipſarum diutiùs valeant obtinere, ſeu poſſidere, Decernimus: quòd tales virgines, ſic ut permittitur apultæ, poterint & valeant de maritis ſibi ipſis providere, ſine eiuſdem patrui ſeu Tutoris voluntate, & aſſenſu: tamen cum conſenſu, & conſilio aliorum amicorum aut patruorum, aut avunculorum: nec in bonis ipſarum privari poterunt, vel fraudari. non obſtante quadem Conſtitutione noſtri anteceſſoris: quæ incipit: Quicunque verò virginem, &c. ut ſupra de violationibus virginum.

De violatione virginum, & oppreſſione viduarum, & maritatarum.

Kaz. Magn. Folio 24. QUicunque verò virgini, ſeu viduæ, cuniugatæ, in campo, ſylva, domo, aut ubicunque opprimendo, violentiam fecerit: & virgo, ſeu mulier, evadens violentiam oppreſſoris, ſi infra triduum ad villam viciniorem veniens, ſeu in villa exiſtens, ad villanos clamaverit: plorando, vel lachrymando, narrando ſibi violentiam eſſe illatam: & ſigna oppreſſionis in ea apparuerint manifeſta: & ſubſequenter iuraverit: in gratia noſtra, amicorumq; eius, idem oppreſſor exiſtat. & hoc, ſi de eius clamore dicti villani fuerint proteſtati. Si verò virgo de oppreſſione aliquem accuſaverit calumnioſè: & in ea ſigna non apparuerint oppreſſionis: extunc ſi is, quem accuſavit, cum ſex ſuæ conditionis hominibus ſe expurgabit: extunc ipſa calumniatrix, cuiuſcunque ſtatûs & conditionis exiſtat, pœnâ debitâ caſtigetur.

V I S.

Ne quis res quoque ſuas vi repetat

Kazim. Mag. Vislic, 1368. Folio. 2. 8. ITem ſi quis violenter mantallum ſuum, vel aliam rem propriam quamcunque, alicui authoritate propria receperit: iure repetendo, cum pœna ſex Marcarum eandem reſtituere teneatur.

De vi, in via publica commiſſa.

Kaz. Magn. Vislic. 1368 Folio 15. VT itaque certa menſura & regula, de pœna, quæ conſvevit noſtro fiſco, ſive noſtræ cameræ applicari, (quæ *Siedmdzieſiat* dicitur) habeatur, Statuimus: Quòd tantùm in quatuor caſibus, in Statuto deſcriptis, & non in pluribus, noſtræ cameræ applicetur. Ex his autem ſecundus caſus eſt: ubi aliquis de violentia, ſive ſpolio publicæ ſtratæ, ac cuſatus fuerit: & defecerit in ſui axpurgatione. Tunc enim volumus: quòd in præmiſſo caſu, prædicta pœna noſtræ cameræ applicetur.

Si

Si die forenſi in via ſit vis.

Kaz. Magn. Vislic. 1368 Folio 30 MArtinus conqueritur de Nicolao: quòd die forenſi, in via publica, ſibi de pera octo Scotos violenter recepiſſet. Nicolaus verò negabat: iniuſtèq; ſe ab eo accuſari aſſerebat: cùm eandem pecuniam non amiſiſſet: nec ſibi recepta fuiſſet. Volens ſe tantùm ſex teſtibus, de hoc expurgare. Nos in tali caſu Decernimus, cum duodecim teſtibus fide dignis, & non paucioribus, fieri huiuſmodi expurgationem

Violentus, niſi convincatur, expurget ſe.

Kaz. Magn. Vislic. 1368 Folio 16. PRæterea ut calumnijs via præcludatur, Statuimus: Quòd ſi aliquis bonæ famæ, in Iudicium pro quibuslibet violentijs evocatur, Auctor teneatur quod aſſerit comprobare; alàs Reus tantùmmodo proprio iuramento ſe valeat expurgare:

VVLADARIVS.

§ Vide in Titulo VILLICVS Fol. 519.

V L N A.

Ne ulnatim, aut talentis mercetur in villis, Capitanei provideant. exceptis tamen pecudibus, ac frumento. Negociatores etiam, viis publicis eant.

Sigiſmundus Crac. 1507 Folio 7. PRovidere volentes indemnitati oppidorum, & eorum ſubditorum, in quorum præiudicium mercata in villis fieri conſveverunt, Statuimus, & Decernimus: Vt Capitanei locorum, mercata in villis, per publicas proclamationes exerceri prohibeant: & maximè, ne in villis, & cæteris locis, quibus fora ex privilegio non ſunt conceſſa, ulnis & talento fiat rerum venditio. ſecùs facientes, per rerum venditioni expoſitarum receptionem puniantur, exceptis frumento, pecoribus, pecudibuſque. Ipſi etiam Capitanei prohibituri ſunt Negotiatoribus: quòd non niſi conſvetis, & publicis ſtratis, Telonia & publica loca non declinando, vadant, ſub rerum, quas per obliquas vias vexerint, privatione.

V N I O:

Rex, Ducatus ad feranda onera Regno uniat.

Sigiſmundus. Crac. 1510. Folio 8. CVm compertum ab omnibus habeatur: quòd virtus unita fortior ſolidiorq; eſſe conſvevit ipſâ divilâ. Promittimus nos operam daturos: ut Magnum Ducatum Lithvvaniæ, terraſq; Pruſſiæ, & alias terras, in finibus Regni conſiſtentes, ad unionem redigamus, quantùm poſſibilè factu erit, onera omnibus communia communiter ferenda, ſimulq; monetam æqualem communiter recipiendam imponemus. præſertim cùm

Conventum utriuſq; dominijs præfatis ad hoc perficiendum conſtituerimus.

Sigiſ. Crac. 1539. § SIMILIS. Cùm varijs exemplis doceamur, vires in unum collectas, multò plùs poſſe quàm diſperſas: & videamus: quòd unita virtus multò fortior eſt quàm diviſa· Id nos diligentiùs animo nobiſcum revolventes: cùm videamus Regno noſtro maiora nunc & grauiora, quàm unquam antea pericula impendere: quò faciliùs ea à noſtris noſtrorum que cervicibus propulſare poſſemus, Omnia nos facturos pollicemur: ut quibus poſſimus rationibus honeſtis, Ducatus noſtros Lithvvaniæ, Zathorien: & Oſvviecinen: atque unà terras noſtras Pruſſiæ, eò adducamus, ut (quum in Regni periculo, ſuum quoque periculum agi videant: neque hoc ruere poſſit, quin illæ quoque terræ, eodem labefactatæ motu concidant) omnes ſuas vires, cum *Regni* viribus coniungant. Quòd ſi potens hoſtis vim aliquam nobis inferre conetur, coniunctis animis, & copiis in unum collectis, faciliùs eam arcere poſſimus.

Sigiſ. Crac. 1534. § SIMILIS. Cùm ſubditi Regni noſtri Poloniæ, ex Comitiis generalibus, ante annum Petricoviæ habitis, tam per Nuntios, quàm per literas, nobis tum Vilnæ agentibus, a nobis peterent: ut Dominum noſtrum, Magni Ducatûs Lithvvaniæ, cum Regno Poloniæ uniretur: tam bello contra communem hoſtem ſuſtinendo: quàm etiam in aliis negotiis, & pactis antiquis, viciniæ, ac fraternitati hinc inde conſervandæ, cauſa perneceſſariis. Et quamvis tum pro ratione poſtulationis ipſis reſpondiſſemus: attamen cùm in præſentibus Comitiis Regni, conſulendo de perpetua defenſione, contra potentes hoſtes, utriuſque dominij noſtri, tam *Regni*, quàm ipſius Magni Ducatûs Lithvvaniæ, cum Conſiliariis noſtris, & terrarum Nunciis longiorem defenſionem Regni, niſi annuam conſtituere non potuimus: prætereaque ad Conſiliarios Magni Ducatûs noſtri Lithvvaniæ intimavimus: ut illi etiam hoc anno conſimilem defenſionem, cum Regno noſtro Poloniæ, contra communes hoſtes in finibus tenerent. Interim autem pollicemur Conſiliariis noſtris, & Nunciis terrarum Regni Poloniæ: Quia hoc anno, ſubditos noſtros Magni Ducatûs Lithvvaniæ adducere volumus, ut conſimilem defenſionem cum *Regno* Poloniæ contra communem hoſtem in finibus tenerent. Quo autem ad pacta ſeu Inſcriptiones, & Conventus ipſius Ducatûs, & Regni communes attinet in eo nihil certi adhuc facere potuimus. Quandoquidem Conſiliarios ipſius Ducatûs circa nos non habuimus: attamen hoc reſponſi Conſiliariis noſtris & terrarum Nunciis dedimus, quia cum aliquid utile, dignum & perpetuum in Regno conſtitueretur, faciliùs nobis eſſet apud Conſiliarios noſtros Magni Ducatûs ipſius hoc obtinere: ut illi ſimiliter, cauſa Reipubl· ſuæ, & Regni ad conſimiles Conſtitutiones conſentirent. quod cùm fiet, pollicemur ſubditis noſtris Regni Poloniæ: quia volumus Conſiliarios noſtri Magni

Ducatûs

Ducatûs Lithvvaniæ, ad hoc ducere, ut illi etiam in omni re non minus ſibi, quàm Regno utili, in bonoque ordine, & Conſtitutionibus ac defenſione eiuſdem conformiter convenirent, iuxta pacta ſeu Inſcriptiones, ac Privilegia antiqua, inter utraque dominia facta & recepta.

Magnus Ducatus Lithvaniæ, Regno Poloniæ incorporatur.

IN Nomine Domini, Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Debitores ſumus ſpiritualis alimoniæ: ſalutaria illis pocula miniſtrare: quibus præſidentes temporalium commodorum præſtamus ſuffragia: ut quos ad corporis neceſſitatem ſuſtentamus: ſalutis etiam, ipſis, quantũ noſtra ſufficit facultas, miniſteria porrigamus. ne dum temporalibus inſiſtimus profectibus, vitæ commoda negligere videamur. Et unde dona benedictionis, & bravium expectamus ſempiternum: inde vitæ detrimenta ſanciamus: & præmiis deſtituti adoptatis, nulla laboris noſtri commoda conſequamur. § Expedit perquirere, & debita attentare ratione: ut dum hominibus impartimur carnis beneficia, meditemur: qualiter ipſis cœleſtia præbeamus alimenta: & quos in hoc ſeculo tranſitoriis rerum condimus copiis: illis viam æternæ beatitudinis demonſtramus: quatenus & hîc noſtræ munificentiæ cognoſcant præſidia: & tandem futuræ gloriæ compendia, per exercitia directionis noſtræ apprehendant in omnium ſalvatore. Proinde nos VVladislaus, Dei gratia Rex Poloniæ, nec non terrarum Cracoviæ Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cuiaviæ, Lithvvaniæ, Princeps ſupremus: Pomeraniæ Ruſſiæq; Dominus & heres. &c: & Alexander· aliàs Vitoudus Magnus Dux Lithvaniæ, necnon terrarum Ruſſiæ Dominus & heres, &c. Significamus tenore præſentium quibus expedit, univerſis, præſentibus, & futuris, præſentium notitiam habituris: Quomodo terras Lithvaniæ & earum incolas, noſtro ſubditos dominio (in quos ſæpè liberalitatis noſtræ manum extendimus, & profectui ipſorum intendentes, multa frequentia, ſtatum & conditionem eorum ſemper ſtuduimus facere meliorem) ferventi deſiderio cupientes in aſſumptæ fidei devotione iugi ſolidare & fundare. ut ipſos altiſſimus (quo præſtante lumen fidei per noſtram operam receperunt) ad laudem & honorem ſui nominis, & eiuſdem fidei Catholicæ augmentum, gratiæ ſuæ chariſmate confirmaret.

Wladisl. Iagell. & VVitoudi in Hrodlo. 1400. Folio 125.

Rex etiam debet meditari ut ſubditũ ſuis viam æternæ beatitudinis demõſtret.

Cupit Lithvvanos in fide Catholica noviter aſſumpta ſolidare.

Lithvvani ad fidem Catholicam ſunt opera Domini Regũ Polonò. rum cõverſis.

§ Cùm eos ſæpè munificentiæ noſtræ donis refecimus, ſummopere affectamus ſpiritualibus gratiis refovere: & per quæq; legitima ſtudia & labores id ferventiùs mancipare· § Qui ut ſe in fidei conſtantia commodius exerceant: & creſcant de virtute in virtutem, iugum ſervitutis, quo hactenus fuerunt compediti, & conſtricti, de cervice ipſo rum deponentes & ſolventes, ex innatæ nobis benignitatis clementia,

Cõcedit Rex Polon. Lithvanis, veluti novis Chriſtianis, Privilegia, gratias & libertates Catho-

licis dari solitas,

ipsis libertates, immunitates, gratias exemptiones, & Privilegia dari Catholicis solita, iuxta continentiam Articulorum subscriptorum, tenore præsentium concedimus & largimur. Et primò, quamvis eo tempore, quo almo Spiritu inspirante, fidei Catholicæ recepta & cognita claritate, Coronam Regni Poloniæ assumpsimus: pro Christianæ religionis incremento, & bono statu, & commodo terrarum nostrarum Lithvaniæ prædictarum ipsas, & cum terris ac dominiis ipsis subiectis & connexis, præfato Regno nostro Poloniæ appropriavimus, incorporavimus, coniunximus, univimus, adiunximus, confæderavimus, de consensu unanimi nostro, & aliorum fratrum nostrorum: & omnium Baronũ Nobilium, Procerum & Boijarorum, eiusdem terræ Lithvvaniæ, voluntate accedente & assensu. Volentes tamen terras prædictas Lithvvaniæ propter hostiles insultus, & insidias Cruciferorum, & eis adhærentium ac aliorum quorumcunque inimicorum (qui præfatas terras Lithvvaniæ & Regnum Poloniæ demoliri nituntur, & in ipsorum destructionem machinantur) in certitudine, securitate, & tutela melioribus reponere: & eis perpetuum commodum procurare: easdem terras, quas semper cum pleno dominio ac Iure mero & mixto, hactenus habuimus, & habemus, usque modo a progenitoribus nostris, & ordine genituræ, tanquam domini legitimi, Baronum Nobilium Boijarorum voluntate, ratihabitione, & consensu adhibitis, prædicto Regno Poloniæ iterum incorporamus, invisceramus, appropriamus, coniungimus, adiungimus, contæderamus, & perpetuè annectimus: Decernentes ipsas cum omnibus earum dominijs terris, Ducatibus, Principatibus, Districtibus, proprietatibus, omniq; Iure mero & mixto Coronæ Regni Poloniæ perpetuis temporibus irrevocabiliter & irrefragrabiliter semper esse unitas. § Cæterum omnes Ecclesias terrarum Lithvvaniæ prædictarum, tam Cathedrales, quàm Collegiatas, Parochiales & Conventuales, videlicet Vilnen: & cæteras in eis erectas, erigendas, fundatas & fundandas, in omnibus ipsarum libertatibus, immunitatibus, privilegijs exemptionibus, & consvetudinibus universis conservamus. Harum serie mediante, iuxta consvetudinem *Regni* Poloniæ,

§ Barones etiam, Nobiles, Boijari terrarum nostrarum Lithvvaniæ prædictarum, donationibus, Privilegijs, & concessionibus ipsis per nos datis, impertitis, & collatis, duntaxat Catholici & *Romanæ Ecclesiæ* subiecti, & quibus clenodia sunt concessa, gaudeant, participent & fruantur, prout Barones & Nobiles Regni Poloniæ suis potiuntur & fruuntur

§ *, Item Barones & Nobiles prædicti, bona ipsorum paternalia, pari Iure obtineant: sicut barones Regni Poloniæ, sua noscuntur obtinere: & donationes nostras, super quibus literas obtineant a nobis efficaces, & fulcitas perpetui roboris firmitate, similiter obtinebunt: & liberam habebunt ipsa vendendi, commutandi, alienandi, donandi, & in usus suos convertendi facultatem: nostro tamen consensu ad hoc specialiter accedente

Magnum Ducatus Litvaniæ cum aliis Terris sibi annexis, Regno Poloniæ, est incorporatus ut cõmunib. viribus hostibus cõmunibus facilius, ac fortius resistere possint.

Ecclesia Litvvaniæ Catholicæ in libertatibus & immunitatibus suis conservantur.

Barones & Nobiles Litvvan: Romanæ Ecclesiæ ubiecti. & Nobiles Litvvan. eadem libertate cum Polonis, á quibus arma susceperunt gaudebunt.

** Nobiles Litvvan. Catholici, succedunt in bona paterna, eodem Iure, quo & Polo: gaudentes.*

b Resignatio bonorum seu commutatio. &c. cum cõsensu Principis dantes.

cedente. § b Sic tamen: quòd ipsa alienando, commutando, vel donando: coram nobis vel nostris Officialibus, iuxta consvetudinem Regni Poloniæ resignabunt. § d Item post mortem patrum, liberi non debent bonis hereditarijs privari: sed ea cum suis successoribus possidere. prout Barones & Nobiles Regni Poloniæ sua possidẽt: & in usus convertunt beneplacitos. § x Similiter uxoribus suis, dotalitia in bonis & villis, quas ex successione paterna vel concessione nostra perpetua habuerint, vel fuerint habituri, poterint assignare: prout in Regno Poloniæ assignatur.

§ v Filias autem, sorores, consangvineas, & affines suas, præfati Barones, & nobiles terrarum Lithvvaniæ, copulare poterint viris duntaxat Catholicis: & tradere coniugio iuxta beneplacitum eorum voluntatis: & iuxta consvetudinem Regni Poloniæ ab antiquo observatam.

§ o His autem libertatum concessionibus non obstantibus, Barones ad constructionem & erectionem castrorum, vias expeditionales facere, & tributa dare, iuxta antiquam consvetudinem astringantur. § * Hoc specialiter expressô: quò omnes Barones & Nobiles terrarum Litvvaniæ, fidelitatem & debitam ac Christianicam fidei constitutionem, nobis videlicet Wladislao Regi Poloniæ, & Alexandro seu Witoudo, Magno Duci Litvvaniæ, & successoribus nostris tenere debebunt & servare: prout Barones & Nobiles *Regni* Poloniæ, suis Regibus tenere soliti sunt, & servare: super quo Barones, Boijari & Proceres terrarum Litvvaniæ prædicti Iuramentum nobis iam præstiterunt: prout clariùs in literis ipsorum, quas cum Baronibus *Regni* Poloniæ sibi invicem concesserunt, continetur.

§ Pari modo sub fidei Sacramento, & sub bonorum suorum amissione, nullis Principibus, aut Baronibus, vel alijs quibuscunque conditionis hominibus, terris Regni Poloniæ adversari volentibus, consilia, favorem & auxilia ministrabunt vel præstabunt: sed eos tanquam hostes terræ & dominiorum Litvvaniæ, totis viribus persequentur: & ad nullum alium respectum habebunt: nisi ad nos, & ad nostros successores: prout hoc ipsum Barones & Nobiles prædicti, pro se & pro suis posteris, per fidei Sacramentum cautionem præstiterunt & fecerunt: § Item Dignitates, Sedes, & Officia, prout in Regno Poloniæ institutæ sunt, instituentur & locabuntr in Wilna: scilicet Palatinus & Castellanus Wilnensis: Et demum in Troki, & in alijs locis, ubi nobis videbitur expedire iuxta nostræ beneplacitum voluntatis, perpetuis temporibus duraturis, § Et huiusmodi Dignitarij non eligantur, nisi sint fidei Catholicæ cultores: & subiecti Sanctæ Romanæ Ecclesiæ &c. Nec etiam aliqua Officia terræ perpetua, ut sunt Digitates, Castellanatus &c. nisi Christianæ fidei cultoribus conferantur: & ad consilia nostra admittantur: & eis interfint, dum pro bono publico tractatus celebrantur. Qui

d Morte parẽtum secutâ liberi non priventur bonis suis hereditariis.

x Dotalitia in bonis suis possunt uxoribus assignare.

v Filias & sorores viris dũtaxat Catholicis Litvani maritabunt.

o Litvan. ad tributa & alia consveta solvenda astringuntur, libertate non obstante.

** Litvani fidelitatẽ suis Principib. sub iuramẽto servare.*

Litvani adversariis Regis Poloniæ cõsilia & auxilia ne servant.

Litvani pro se & suis posteris iurant.

Dignitates, prout in Polonia Regno instituendæ.

Ad Dignitates, nonnisi Catholici eligendi, & ad Consilium admittendi sũt.

Litvani, Regi Poloniæ & Duci Litvaniæ perpetuò adhæsuri sūt.

a sæpè disparitas cultûs, diversitatem inducit animorum: & consilia patent talibus divulgata, quæ traduntur secretè obseruanda § Item omnes, quibus huiusmodi libertas & Privilegia conceduntur, nunquam Nos Wladislaum Regem Poloniæ, & Alexandrum Witovdum Magnum Ducem Litvvaniæ, quoadusq; vixerimus, & nostros successores Reges Poloniæ, & Duces Litvvaniæ, a nobis & nostris successoribus statuendos & locandos deserant, vel recedant ab eisdem: sed sub fide & honore, pariter & onere iuramenti, fideliter & firmiter nobis & successoribus nostris adhærebunt, favoribus, consilijs, & auxilijs, perpetuis temporibus & in ævum. § Hôc etiam additô: quòd prædicti Barones & Nobiles &c. Litvvaniæ, post mortem Alexandri, aliàs Witovdi, Magni Ducis moderni, nullum habebunt aut eligent, pro Magno Principe & domino Litvvaniæ: nisi quem Rex Poloniæ, vel ipsius successores, cum consilio Prælatorum & Baronum Poloniæ, terrarum Litvvaniæ duxerint eligendos, statuendos, & locandos. § Sic similiter Prælati, Barones, & Nobiles Regni Poloniæ, Rege Poloniæ sine liberis & successoribus legitimis decedente, Regem & Dominum non debent ipsis eligere, sine scitu & consilio nostro: videlicet Alexandri Magni Ducis: Baronumque & Nobilium terrarum Litvvaniæ prædictarum: iuxta tenorem, & contenta priorum literarum. Præterea prædictis libertatibus, Privilegijs, & gratijs, tantùmmodo illi Barones & Nobiles terræ Litvvaniæ, debent uti & gaudere: quibus arma & Clenodia Nobilium Regni Poloniæ sunt concessa: & cultores Christianæ religionis, Romanæ Ecclesiæ subdi: & non schismatici vel alij infideles. § Item omnes literas, quascunq; Regno Poloniæ, & terris Litvvaniæ ante octo vel septem annos, ac post vel circa Coronationem nostram concessimus & dedimus, tenore præsentium confirmamus, ratificamus, approbamus, & robur perpetuum imponimus eiusdem: habentes ipsas præsentibus pro insertis.

Litvani nullum Principem nisi per Regem Poloniæ electum; pro Domino suscepturi sunt.

Poloni Rege sine liberis decedente non debēt sibi Regem sine consilio Litvanorum eligere.

Cultores fidei Christianæ duntaxat, libertatibus cōcessis gaudebunt.

Literæ circa Coronationē concessæ Lithvaniæ per VVladislaum confirmātur.

§ Hoc etiam additô specialiter & expressô: quòd prædicti Barones & Nobiles Regni Poloniæ, & terrarum Litvvaniæ, Conventiones & Parlamenta, quando necesse fuerit, in Lublin vel in Parczow, & aliàs in locis aptis, de consensu & voluntate nostra celebrabunt: pro commodo & utilitate Regni Poloniæ, ac terrarum prædictarum meliori.

Convēciones necessarias in Lublin aut Parczovv Poloni cum Litvanis celebrent.

§ Præterea Nos Alexander aliàs Witovdus, de consensu Serenissimi Principis Domini Wladislai Regis Poloniæ, fratris nostri charissimi, eligimus ad arma & Clenodia Nobilium Regni Poloniæ, rerrarum nostrarum Litvvaniæ Nobiles infra scripros: quos ipsi Regni Poloniæ Nobiles, simul cum omnibus qui ex eorum stirpe originem suam ducunt, ad fraternitatis & consanguineitatis consortia receperunt. Et primò Nobiles, Lelivva, Monivvid Palatinum Vilnensem. Item Zadora, Palatinum Iavunum Trocensem. Ravva, Minigal Castellanum Vilnensem Lysy, Sunigal Castellanum Trocensem. Iastrembcy, seu Làzànki, aliàs Bolesty, Negorà vocatos, Nemir, Trambki, Hosliconem, Topory, Butoym

Eliguntur & nominibus propriis specificantur Domini Litvaniæ, de quibus armis & domibus Nobilium Poloniæ, Insignia sumpsere & Clenodia.

toym. Item Lábáncz alias Skrzynsczy Goligunt, Poraye, Nicolaum Bilimin. Dambno, Korevvam. Odrovans vvysżegerd. Quadvvicz, Perrum Mondigert. Dria, Nicolaum Tawtigerd, Habdaniec, Ioannem Gasztoldy. Polkozà, Volczkonem Kukwà. Gryfones, Butowdum Srzeniawá, ládaldum, Pobodze, Kálonem, Grzymáłá. Ioannem Rymowidowicz, Zarembá, Gynet Koncz wicz, Pirzcha, Dáwxá, Noviná Nicolaum Boynar, Dzálożá, Wolczkonem Kokutowicz, Lopacz, Gedorwoch, Rola, Daniel, Sierokomlá. Iacobum Mingel, Cattus Marinus, Woyżnár Wilkolewicz, Powálá, Georgium Sengáw. Item Pomian, Sáká, Doliwá, Naczkonem, Sarza, Tuerbut, Dolanga, Monstwild, Bogoria, Stanislaum Wiszygin. Ianina, Woyszym Danczykowicz, Bichawá Monstold, Svvinka, Andream Devvknetovvicz Rolda, Minimund, Sesnikovuicz, Sulima, Bodyvvił Item Nałancz, Koczanum, Lodzá, Miczusz, Gelitowe, Gerdud, Korczakowe Czuppam, Biala, Moydylonem Czusżolowicz, Wanzyk Koczanum, Sukowicz, Czolek. Ioannem Ewil, Godżamba, Stanislaum Butowthowicz, Osmorog: aliàs Geralth, Surgutes de Kiestynn &c. § Quibusquidem armis, Clenodijs & proclamationibus, prædicti Nobiles, Proceres, & Baiary terrarum Litvvaniæ exnunc & in antea, perpetuis temporibus ubilibet gaudeant, potiantur. prout ipsis præfati Nobiles Regni Poloniæ uti frui consveverunt & potiri. § Vt autem corroborationis & cautelæ uberioris, omnia præmissa accipiant firmitatem, præsentes fecimus Sigillorum nostrorum munimine corroborari: præsentibus & consentientibus, ac ratum habentibus, Reverendissimis in Christo Patribus dominis, Nicolao Gnesnensi Archiepiscopo. Alberto Cracovienśi, Ioanne Wladislavienśi, Petro Posnanienśi. Iacobo Plocensi, Nicolao Wilnensi- Ioanne electo Leopolienśi Metropolien: Matthia Premislien, Michaele Kiiovien: Georgio VVlodomirien: Sbigneo Camenecen: electo Ecclesiarum Episcopis: Chelmen: & cæteris Ecclesiis vacantibus. Necnon Magnificis, validis & strenuis, Cristino Cracovienśi Castellano: Ioanne de Tarnow Cracovienśi, Nicolao de Michalow Sandomirienśi, Sandivogio de Ostrog Posnanienśi, Matthia de Wanossze Calisienśi, Iacobo de Koniecpole Siradienśi, Ioanne Ligęza Lancicienśi, Mathia de Labiszyn Brzesteńsi, Ianussio de Koscielec Gnewczovvienśi Palatinis. Michaele de Bogumiłowice Sandomirienśi, Ioanne de Szczekocin Lublinenśi, Dobeslao de Olesznica Woynicienśi, Floriano de Rokitnica Wislicienśi, Cristino de Koziegłowy Sandecenśi, Martino de Kolikowo Gnesnenśi, Clemente de Morkzko Radomienśi, Domarat de Kobylany Biecenśi, Mosticio de Staszow Posnanienśi, Ianussio de Tulisżkow Calisienśi, Martino de Kalinow Siradien: Petro de Wlosżczowa Dobrinenśi, Alberto de Kosciol Brzesteńsi, Ioanne de Lankoszyn Lancicieuśi, Cristino Crusżwicien: Ioanne de Laczuchow Zavichosteńsi, Martino de Lubnicza Brzezinenśi, Stanislao

Nomina Dominorum tã Spiritualium quàm Secularium, in cõsilio præsidētium exprimuntur.

nislao Gamrat, Polanecensi, Ioanne de Bogumitowice Czechowiensi, Matthia Koth Naklen, Grottone de Ianczowice Malogostiensi, Ivano de Obichow Srzemensi, Ianusso Furman Miedzyrecensi, Castellanis. Sbigneo de Brzezie Regni Poloniæ Marssalco. Petro Szafraniec Succamerario, Martino de VVrocimowo Vexillifero Cracoviensi, Paulo de Bogumitowice Cracoviensi, Nicolao de Strzelce Sandomiriensi, Nicolao de Czarnkow Posnaniensi, Iáká Calisiensi, Andrea de Ludbran z Cuiavien: Petro de VVidawa Siradiensi, Nicolao de Suchydol Lublinensi, Petro de Thur Lanciciensi, Iudicibus Actum in oppido Hrodlo, circa flumen Bug, in Parlamento seu congregatione Generali die secunda mensis Octobris: sub anno Domini Millesimo Quadringentesimo tredecimo. Datum per manus Reveren: in Christo Patris Domini Episcopi Cracovien. Supremi Cancellarij Regni Poloniæ nobis sincerè dilecti. Scriptum verò per manus Ciołkonis Canonici Sandomiriensis secreti nostri Notarij.

Prælati Litvaniæ incorporant se Regno Poloniæ, ac Regi Polon: se subijciunt: quem una cum Polonis eligent.

Tẽpore VVladislai Iagell. de Ducatu Magno ad Regnum assumpti 1461 Folio 128. {Nomina omnium & singulorũ Principum, {Prælatorum, Baronũ, & Nobilium Ducatus Litvaniæ se & successo. suos Regno Polloniæ perpetuò incorporantium.

IN Nomine Domini Amen. Tunc enim multis errorum & dubiorum incommodis prudenter occurrimus: dum gesta ætatis nostræ, literarũ apicibus & Sigillorũ appensionibus perennamus: Proinde nos Prælati, Principes, Barones, Nobiles, Terrigenæ terrarum Litwaniæ & Russiæ videlicet Iacobus, divinâ providentiâ VVilnensis Ecclesiæ Episcopus, Dux Ivanus Olgimunti cum filijs suis, videlicet Andrea, & Sencone & cæteris. Mungaylo Gedigoldo fratre & cæteris. Czupurna Maressalco Sencon Iamunti, Fedorius Leonis, cum Iuszkone fratre germano, Gaszow cum filio Talnusz, Gineyd cum filio Milus, & cæteris: Kinunt cum filio Dauxa, Strzygoil, Kariconis, Gintolt Astek cum fratre germano, Dorgi Gasztolt cum Przehgindo fratre germano, Nemira cũ fratribus suis germanis, szugaylo Olizae VVeszylonis, VVornat Ruszylowicz, Kiełzgailo, & Kumbold VVolimuntonis, cum suis cæteris fratribus Germanis, Goligin, Roman Mileykonis, cum fratre VVolczkone & cæteris, VVoyszyend cum filio Radyvilo, VVolochko Cauotmonis, cum fratribus Butoldmunty Gaylo, Hannusz Montigerdonis cum fratribus suis, Dowogin Viszygirdonis, Draunti cum VVeszkone filio, VVolczko vel Vtrvicz, VVolczko Konszovvtovvicz, Dogirdi Voijnis Vrdzich cum fratribus, Goligind, Veydimin, Heschis Selkowicź, cum cognationibus & genealogijs suis: necnon tota universitas omnium & singulorum Nobilium, & terrigenarum prædictarum Litvvaniæ & Russiæ terrarum, quorum quamvis nomina singulatim hîc non sunt expræssa, ipsorum tamen consensus ad subscripta adest, acsi pro insertis haberetur. Proinde Significamus quibus expedit universis:

Quo-

Quomodò eo tempore, quô Prælati, Principes, Barones, & Nobiles, & communitas Terrigenarum Regni Poloniæ, divina cooperante clementiâ, Serenissimum Principem Dominum Wladislaum Regem Poloniæ, supremum Ducem Lithvaniæ, heredem Russiæ, Dominum nostrum gratiosissimum de gentilitatis erroribus educentes, in Regẽ & Dominũ ipsorum assumpserunt. § Nos quoque, ipsius vestigia sequentes, almi Spiritûs gratiâ eruditos, ad ipsorum consortium Catholicum invitantes, de tenebris erroris vetusti, per assumptionem sacræ fidei orthodoxæ receperunt. Cum quibus infide facti unanimes & consortes, ad perfectionem Catholicorum operum, meritò & opportunè decemus per concordiam perpetuò aspirare. § Pro eo, Prædicto domino Wladislao Regi Poloniæ &c. & ipsius Coronæ, Regno ac Regnicolis Poloniæ firma fide & inviolabili sponsione promisimus, & tenore præsentium promittimus: toto posse & viribus, contra insultus quorumliber hominum eis assistere: & eos nullo exquisito coloris fuco unquam deferere: sed ipsos sine dolo & fraude, scilicet Regem & Coronam, Regnum & Regnicolas Poloniæ, in eorum necessitatibus perpetuò adiuvare: eorum profectus, utilitates, commoda, & bonum commune peragere, salubri & fideli dispositione: velut nostrum proprium, quod & ipsi nobis pari modo tenebuntur facere viceversà. § Demum quia prædictus Dominus Wladislaus Rex &c. Dominus noster gratiosus, ex speciali confidentia, Magnifico & præclaro Principi, Domino Alexandro aliàs Witowdo Duci Lithwaniæ, &c. ipsum in partem suæ solicitudinis assumens, supremum Principatum terrarum earundem Litwaniæ, cæterorumq; Dominorum suorum Ducatus, dedit & contulit: & ipsum in eis de manu sua statuit: ad vitæ eiusdem dominis Ducis Witovvdi terminum ultimum, & extremum.

Lithvani fatentur se per Polonos eruditos & ad cõsortium Catholicum recepturos fuisse.

Litvani promittunt se polonis auxilia, in omnibus necessitatibus præstaturos.

Alexander alias VVitovvdus Dux Magnus Litvvaniæ per VVladislaum Regem Poloniæ constituitur.

VVitovvdi, aliàs Alexãdri morte secutâ, offerũt se Litvvani VVladislaum Regem Poloz in Ducem suum suscepturos, Ducatũq; Litvvaniæ, Regno Poloniæ incorporandum.

§ Pro quo eundem dominum Wladislaum Regem constantiori fiduciâ prosequi volentes: & prout iustum est, ipsum reddere certiorem firma sponsione & irrevocabili promisso, sibi tenore præsentium, promittimus: quòd supremus prædictus Principâtus terrarum Lithvaniæ & cæterorum dominiorum Ducatus, unà cum bonis, & cæteris patrimonialibus ad eundem dominum Ducem Witovvdum pertinentibus, & cum omnibus castris, fortalicijs, districtibus, territorijs, & eorum incolis, post decessum ipsius, ad ipsum dominum Wladislaum Regem, ac ad Coronam Regni huius Poloniæ, iuxta tenorem Literarum, per prædictum Dominum Ducem Witovvdum, eidem Domino Wladislao Regi & Coronæ eius datarum, debent planè & integrè devolvi & redire. Et nos etiam cum nostris posteris atq; successoribus, post decessum domini Ducis Witovvdi, promittere prædicto Domino Wladislao Regi, Coronæ, & Regno Poloniæ adhærere, subijci, obseqni, & servire, sine dolo & fraude, toto posse & viribus tenebimur: & præter ipsum ad Coronam Regni eiusdem, nunquam nobis alios vel alium Dominum vel

Rege Poloniæ sine prole decedente non debent Poloni Regẽ sine Litvanis eligere nec è contra.

§ Illo etiam non omisso: quòd si Dominus Wladislaus Rex prædictus (quod Deus avertat) sine prole decesserit: extunc sine scitu & consilio eiusdem Domini Ducis Witovvdi & nostro, pariter Principes, Prælati, Barones, Nobiles & communitas Terrigenarum terrarum Regni Poloniæ prædicti, sibi Regem & Dominum non debent eligere seu locare: cum quibus firmam, mutuam, & constantem servantes assistenti am in dulcedine fidei, & visceribus Iesu Christi, perpetuam & irrevocabilem tenebimus unionem. § In quorum omnium fidem & testimonium evidentiamq́; pleniorem, pro perpetuo robore, Sigilla nostra præsentibus sunt appensa. Actum & datum in Wilno ipso die Sanctæ Priscæ Virginis & Martyris Anno Domini Millesimo quadringentesimo primo.

VVladislaus tertius Rex Poloniæ confirmat Iura & Privilegia, Sigismundo Magno Duci Litvaniæ, super Ducatu Magno, per Divum olim VVladislaum suum genitorem, eidem Sigismundo concessa

Folio 129. IN Momine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Wladislaus Tertius Dei gratia Rex Poloniæ: necnon terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cuiaviæ, Litvaniæ Princeps supremus, Pomeraniæ Russiæq́; dominus & hæres, &c. Significamus tenore præsentium, tam præsentibus quàm futuris notitiam præsentium habituris. Quòd ex quo præclarus & Magnificus Princeps Dominus Sigismundus, Dei gratia Magnus Dux Litwaniæ, Russiæ &c. Patruus noster præcharus, omnem sinceritatis constantiam, erga Regnum Poloniæ nostrum, & nostram Regiam præsentiam semper gessit incorruptè: cuius rei nos memores & pergrati, dignum censuimus tibi proinde cordis puro zelo occurrere: & omnium, quâ decet gratitudine, hanc fidem & constantiam integram compensare. § Vnde ex certa nostra

De cõsilio & cõsẽsu omnium Regni cõsiliariorum, VVladislaus confirmat libertates & literas Magno Duci Litvaniæ.

cõscientia, sufficientissima deliberatione præhabita, animo benevolo & voluntate nostra vltranea: nostrorum Prælatorum, & Baronum salubribus freti consilijs, sibi Domino Sigismundo, Magno Duci, nostro Patruo charissimo, Iura, Literas & Privilegia, quæ á nobis, & felicis memoriæ genitore nostro, Domino Wladislao Rege Poloniæ, super Ducatu magno, & quibuscunq́; bonis & libertatibus, sub quibuscuque datis, &tenoribus existunt, (quæ hic habere volumus pro insertis) in omnibus earum punctis, conditionibus, positionibus, particulis & clausulis universis, ratificamus, innovamus, gratificamus, approbamus, & præsentis scripti patrocinio confirmamus: Decernentes ea robur obtinere perpetuæ firmitatis. Promittimus insuper in verbo nostro Regio præsentibus, & spondemus, eaſdem ipsius Literas, Iura & Privilegia, ritè & iustè emanata, per omnia, rata atque grata habere: & in concussa iugiter & inviolabiliter observare, & de eis satisfacere. Harum quibus Sigismun-

Sigillum nostræ Maiestatis est appensum testimonio Literarum. Datum in oppido Piotrkow in Parlamento generali, feria tertia proxima, post festum Sanctæ Luciæ Virginis. Anno Domini M. cc.c c. xxxviii. Præsentibus ibidem Reverendissimis & Reverendis in Christo Patribus Dominis, Vincentio Sanctæ Gnesnen: Ecclesiæ Arhiepiscopo, & Primate, Sbigneo Cracovien: Wladislao Wladislavien: Episcopis. & Andrea de Bnin, Electô confirmatô ecclesiæ Posnanien: Ac Magnificis, Nobilibus, & strenuis viris, Ioanne de Czyzow Castellano Cracovien: Dobeslao de Senno Sandomirien: Martino de Slawkow Calisien: Alberto de Male Lancicien: Ioanne de Lichni Brzesten: Iarando de Grabie Iuniwladislawien: & Petro Odrowans de Sprowa Leopolien: Palatinis: Dobrogostio de Szamotuły Posnanien: Clemente Wantrobká de Strzelce Sandomirien: Laurentio Zarembá de Kalinowa Siradien: Castellanis: Ioanne de Olesnica Marssalco, & Andrea de Lubino Thesaurario Regni Poloniæ, & alijs Dignitarijs, Baronibus, Militibus & Nobilibus, testibus circa præmissa. Datum per manus Magnifi: & Generos: virorum, de Koniecpole Cancellarij, & Petri Woda de Szczekocin, Vicecancellarij Regni Poloniæ, nobis sincerè dilectorum.

Ad relationem Magnifici Ioannis de Koniecpole R P. Cancellarij.

Tempore Ioannis Alberti Regis Poloniæ, & Alexandri Magni Ducis Litvaniæ, Barones & Consiliarij, Magni Ducatûs Litvaniæ, confirmant Inscriptiones, per antecessores eorum cum Regno Poloniæ factas.

Prælati universiq́; Consiliarii, quorũ nomina hic describuntur, & tota communitas Magni Ducatûs Litvaniæ, adscribunt se Regno Poloniæ.

IN Nomine Domini Amen. Ne gesta ætatis nostræ tempus & vetustas aboleret: inventum est, ut ad Memoriam posteritatis, literarum apicibus, & testium annotatione deducantur. Proinde Nos Prælati, Barones, Nobiles & universitas Terrigenarum Magni Ducatûs Litvvaniæ, videlicet Albertus Wilnen: Ioannes Luceorien: Martinus Mednicen: Ecclesiarum, Dei gratia, Episcopi: Nicoleus Rádziwiło wicz, Palatinus Wilnensis, & Magni Ducatûs Cancellarius, Dux Alexander Iurgiewicz de Holszany, Castellanus Wilnen: & Capitaneus Grodnensis, Ioannes Iurgiewicz de Zabrzeże, Palatinus Trocensis, ac supremus Magni Ducatûs Marssalcus, Stanislaus Ianowicz Castellanus Trocensis, & Capitaneus Terræ Samogitiarum, Georgius Paczowicz Polocen: Gregorius Olszczykowicz Curiæ Marssalcus, & in Merec, Nicolaus Nicolai Radziwiłowicz, Pincerna Ducalis, & in Bielsko, Iacobus Dowoynowicz Drohien: Stanislaus Potrászkowicz Liden: Ioannes Litaor Nowogrodensis, Stanislaus Michaelis Potkowic Brzesten sis, Albertus Ianowic Vexillifer & Caunen: Nekrasz Wołotkowicz in

Belzycá, Petrus Radywiłowic Succamerarius, & in Eyxiſzki, Niemiera Grzymalic Mielnicen: Nicolaus Iundylowic in Dubicza, Georgius Mon tontowic, Alexander Motygordowic Capitanei, Marſſalci, Tenutarij, Significamus tenore præſentium, quibus expedit univerſis: Quomodò licet uniones & fædera inter hæc dominia, videlicet Regnum Poloniæ & Magnum Ducatum Lithvvaniæ, terraſq; eiuſdem ſubiectas, á tempo ribus longè retroactis ſub *Rege* Poloniæ, *W*ladislao aliàs Iagello, & ſub Magno Duce Litvvaniæ, Alexandro, aliàs *W*itovvdo inita & conſtituta, hucuſq; inviolatè ſerventur. Poſtquam verò Sereniſſimi Principes Domini noſtri gratioſiſſimi, ſuper ipſa dominia, in Regem Poloniæ, Sereniſſimus Dominus Ioannes Albetus, in Magnum verò Ducem Litwaniæ, Seteniſſimus Dominus Alexander, Domini noſtri gratioſiſſimi divinâ diſpoſitionê aſſumpti ſunt: placuit Prælatis, Boronibus, & Nobilibus Regni Poloniæ fratribus noſtris, ſimiliterq́, nobis ipſis iam defacto fecerunt, & per noſtras novas Literas, & Inſcriptiones anteceſſorum, noſtrorum ſuper huiuſmodi fœderibus con firmaremus. Quarum quidem Literarum verbum de vrrbo tenor ſe quitur, eſt talis. In Nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei me moriam. Sator rerum omnium, cuius oculus penetrat univerſa, & ſci: entia nunquam extinguitur in rebus humanis, quas oblivionis momen tis conſtat ſubiacere, ut memoria earum remaneat, apices literarum alti conſilij providentia ordinavit: quarum præſidio, rerum ordinationes, pacta & tractatus conſervantur. Proinde Nos Monivimus Palatinus Vilnenſis, Iauinis Palatinus Trocenſis, Mingal Vilnenſis, Sungal Trocenſis, Caſtellani: Nyenir Oſztyk, Butrym Goligmith, Nicolaus Bilim, Koreyvvá, & *W*yſzygert, Petrus Montigerd, Nicolaus Tawtigerd, Ioannes Gaſztovvdy, *W*olczko Kulvva, Buſſovvdus Iàdáth Ralo, Ioannes Rymovvidowicz, Gmenth Konczewicz Doxá, Nicolaus Byeinar, *W*olsko Kochutowicz, Iacobus Mingel, *W*oyſſnar *W*irkolowic, Gregorius Szangaw, Sáká Nuczko, Verbuth Monſtyvvild, Stanislaus *W*yſzygin, *W*oyſzyn Dámenkowic, Monſtold, Andreas de V. knethowic, Monimunth de Sefnikowic, *R*ydwil, Koczanus, Miczuch, Gerdud, Czupá, *W*oydzilo Koſzylowicz. Koczanus Sukowic, Ioannes Eywild, Stanislaus Buthowtowic, Surgutes de Reſzynki, &c. Signi. ficamus tenore præſentium, quibus expedit univerſis, præſentibus & futuris, præſentium notitiam habituris: Quod, quia Sereniſſiorum Principum Dominorum, *W*ladislai Regis Poloniæ, &c. & Alexandri aliàs *W*itowdi Magni Ducis Litwaniæ Dominorum noſtrorum gratioſiſſimorum conceſſione & indulto, Arma, quibus uti inſolitum fuit nobis, contrariâ conſvetudine obſiſtentes, ad inſigniendum nominis Nobilitatiſque noſtræ Titulum, a Baronibus, Nobilibus, & Proceribus ſuis ordine genituræ contraxerunt, recipimus: & ad gratias, libertates im.

Insertio antiqui privilegii tẽpore VVladislai Iagellonis & VVitovdi editi.

munitates

Priuilegia, exemptiones & multa alia beneficia, & Prærogativas, quæ nobis per dictos Dominos gratioſos, *W*ladislaum Regem Poloniæ, & Alexandrum Magnum Ducem Lithvvaniæ, munifica ſunt conceſſa largitione, & literarum patrocinio munita, interventu ipſorum & ſtudio promoti extitimus, & provecti: promiſeruntq́; ſuis patentibus Literis adhuc quâ poterint diligentia, bonum commodum, & profectum ſtatûs noſtri & honoris, ubilibet promovere, & nunquam in adverſitatibus noſtris neceſſitatibus nos deſerere: ſed ſemper contra omnium inimicorum noſtrorum inſidias & inſultus, auxiliis, conſiliis & favoribus ſuis proſequi & iuvare. Horum intuitu, volentes tot beneficiorum merita compenſare: & ipſis dignas vices pro eis impendere (ne diſparitatis in nobis aut ingratitudinis contagia, & inæqualitas Literarum cerneretur vendicare: ſed ut ſemper unanimis identitas inter nos remaneat, & voluntas animorum ſicut idem cultus, & religio fidei obſervatur) univerſaliter univerſi, & ſingulariter ſinguli noſtris omnibus, ac vice omnium Nobilium, Boiarorum, Procerum, & Incolarum terrarum Litwaniæ, bonâ fide, in verbo noſtro conſtanti & fideli, omni dolo, fraude, & colore amputatis & remotis, Promittimus, pollicemur, vovemus, ſpondemus, & Iuramenti noſtri miniſterio ſtrictiùs nos obligamus. Nunquam præfatos Prælatos, Barones, Nobiles & Proceres *R*egni, & ipſum Regnum Poloniæ prædictum, in omnibus eorum neceſſitatibus & adverſitatibus deſerere: ſed ſemper ipſis contra omnium inimicorum eorum inſidias & inſultus, conſilia, auxilia, & favores fideliter miniſtrare: & nulli lites, bella, aut guerras, præter ſcitum & voluntatem & conſenſum, conſilium & requiſitionem ipſorum, & eorum ſucceſſorum indicere, facere vel movere, præfatoſq; Dominos, Wladislaum Regem Poloniæ, & Alexandrum aliàs *W*itovvdum Magnum Ducem Lithwaniæ, & eorum ſucceſſores Reges Poloniæ, & Duces Magnos Litwaniæ nullis tẽporibus deſerere quoquomodo: ſed ſemper ipſis ſine dolo & fraude fideliter adhærere, omni conſilio, auxilio, & favore Præterea Promittimus: prout ſupra. Quòd defuncto præfato Domino *W*itovvdo, Magno Duce Lithwaniæ, nunquam eligemus, aſſumemus, & recipiemus, & in Magnum Ducem Lithwaniæ vel Dominum, niſi quem præfatus Dominus *W*ladislaus *R*ex, ſi vita potietur longiore, vel eius ſucceſſores, & Prælati, Barones, Nobilẽs, & Proceres *R*egni Poloniæ, duxerint eligendum, ſtatuendum vel locandum. Et viceverſa Prælati Barones, & Nobiles Regni Poloniæ, Rege præfato, quod abſit, ſine liberis & ſucceſſoribus legitimis decedente, ſine ſcitu & conſilio Illuſtris Domini Alexandri aliàs Witovvdi Magni Ducis Lithwaniæ, ſi ſuperſtes emanſerit, & noſtro, eligere non debebunt. Vt autem corroborationis & cautelæ uberioris omnia præmiſſa accipiant firmitatem, fecimus Sigillorum noſtrorum munimine roborari. Actum in Oppido

Communes hoſtes & amicos Poloni cũ Lithvvanis ſunt habituri

Se & ſuos poſteros Domini Lithvvani obligant ſupra & infra ſcripta tenore ſub Iuramento.

Hrodlo, circa flumen Bug, in Parlamento seu congregatione generali, die secunda mensis, Octobris, Anno Domini 1413. Proinde nos Prælati, Barones, Proceres, & Nobiles, Magni Ducatûs Lithwaniæ præfati, prævidentes quia vetustate temporum multa in ambiguitatem veniunt: per quam, ne quid incommodi eveniat, dignum censuimus providere: Volentes igitur ne articulus de electione Sereniſſimorum dominorum nostrorum, tam Regis Poloniæ, quàm Magni Ducatûs Lithwaniæ, in præinsertis Literis brevitate verborum contextus, aliquid ambiguitatis in posterum inducat: Cupientesque præfatos Prælatos, Barones, & Proceres Regni Poloniæ, in ipso articulo electionis, pares nobis, ut dictum est, efficere: § Adijcientes declaramus: Quòd defuncto Magno Duce Lithwaniæ, sine scitu & consilio Prælatorum & Baronum, Procerum, & Nobilium Regni Poloniæ, fratrum nostrorum, ad electionem Magni Ducis novi non procedemus: sed cum ipsis pariter, si vocati tempore congruo venire voluerint, Magnum Ducem & Dominum eligemus: pariformiter defuncto Rege Poloniæ, præfati Prælati & Barones Regni Poloniæ, sine scitu & consilio Prælatorum & Baronum Magni Ducatûs Lithwaniæ, ad electionem novi Regis non procedant: sed pariter cum Prælatis, & Baronibus Magni Ducatûs Lithwaniæ, si vocati tempore congruo voluerint, Regem in Dominum eligẽt: quibus ita ut præmittitur stantibus, & in posterum observandis, decerta scientia omnium aliorum Prælatorum, & Baronum, Procerum, & Nobilium, Magni Ducatûs Litwaniæ, fratrum nostrorum, Inscriptionem præinsertam prædecessorum nostrorum suscipimus, ratificamus, suscipimusque & confirmamus per præsentes: obligantes se nostris nominibus, ac vice omnium Prælatorum Baronum, Procerum, & Nobilium Magni Ducatûs Lithwaniæ, bonâ fide, in verbo nostro constanter, & fideli, omni dolô fraude, & colore remotis: Promittimusque, pollicemur, ac vovemus, & nostri Iuramenti præstiti onere & mininsterio, strictiùs nos obligamus: ipsam præinsertam Inscriptionem, cum reformatione & declaratione articuli, de electione Sereniſſimorum Dominorum nostrorum, ut præmittitur, in omnibus articulis, clausulis, punctis & sententijs firmatum tenere, perpetuòque & inviolabiliter observare. Et si quæ aliæ singulares Inscriptiones, inter Nos, Prælatos, & Barones Magni Ducatûs Lithwaniæ, ac Prælatos & Barones Regni Poloniæ forent, quæ communem utrinque honestatem læderent: quas antecessores nostri non tenuerint: tales nos quoque non recipimus neque tenebimus. Vt autem omnia præmissa, perpetuæ firmitatis robur obtineant, præsentibus Literis Sigilla nostra subappendi iussimus. Datum Vilnæ in Conventione generali, quarta & vicesima mensis Iulij, in vigilia Sancti Iacobi Apostoli, Anno Domini Millesimo Quadringentesimo Nonagesimo Nono.

Non debent Domini Lithvani Magnũ Ducem sine scitu, consilio & consensu Dominorum Polonorum converso Domini Poloni, Regem Poloniæ, absq; scitu, cõsilio & consensu Lithvanorum eligere

Non sunt tenendæ Inscriptiones, quæ communem læderent honestatem.

Terra

Terra Drohicien: Iuri Polonico adscribitur.

IN Nomine Domini, Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Ordinationes Regum & Principum, pro subditorum commodo quomodo libet factæ, ut potissimùm firmæ ac stabiles essent, tam Literarum munimentis, quàm testium fide dignorum annotatione perennari consueverunt. Proinde nos Sigismundus, Dei gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithwaniæ, Samogitiæq; Dominus & heres. Significamus tenore præsentium, quibus expedit universis, præsentibus & futuris, harum notitiam habituris. Quòd licet Nobiles & Terrigenæ, nostri Districtûs Drohicien: de speciali concessione prædecessorum nostrorum huius Magni Ducatûs nostri, Lithwaniæ Ducum, Iure Terrestri, Polonico, more Nobilium Terrigenarum, in Regno nostro Poloniæ degentium gauderent, uterentur: haberentq; desuper Literas & munimenta eorundem prædecessorum nostrorum: videlicet Sereniſſimorum olim Principum felicis recordationis, Kazimiri genitoris, & Alexandri germani, nostrorum chariſſimorum Poloniæ Regum, & huius Ducatûs Lithwaniæ Ducum, successivè concessa: Quia tamen in eisdem Literis seu Privilegiis, coram nobis ad præsens originaliter productis & exhibitis, multa comperimus articulatim supervacaneè descripta, quæ in Libris Statutorum Regni nostri Poloniæ, specificè & per expressum continentur, & iuxta nonnulla, quæ in perniciem, iacturam & oppressionem non modicam eorundem subditorum nostrorum fuêre adiecta: hoc idem Ius Polonicum, eisdem subditis nostris Nobilibus, & Terrigenis Privilegiatis, hoc est, Ius habentibus, & non habentibus, Districtûs præfati Drohicien: præsentibus & futuris, eorumq; successoribus coniunctim & divisim, de certa scientia & gratia, favoreq; speciali Ducatibus nostris, de novo iterum dandum & conferendum duximus: damusq; & conferimus, in omnibus punctis, articulis, & conditionibus: prout in Libris Statutorum, Regni Polaniæ latiùs continentur: in eodem Districtu nostro tenentes, & observantes, omnes & singulos articulos, Iuri prædicto Polonico ac iustitiæ quomodolibet contrarios, in Literis & Privilegijs præfatis Prædecessorum nostrorum prædictorum uti præfertur, expressos & specificatos, oppressionem huiusmodi subditorum nostrorum præfatorum in se continentes, & in nihilum redigentur, cassanturq; & mortificantur, ac extingventur, perpetuò & in ævum, tenore præsentium mediante. Præter illum articulum, quo mediante, præfati Prædecessores nostri Officiales seu Ministeriales, vulgo Lithwanico *Dziezkie* nuncupatos, contra ipsos Nobiles & Terrigenas eiusdem Districtûs, nunquam deinceps fore dandos, prohibuerant: quos quidem Officiales primò expressos, nos quoque dandos esse præsentibus prohibemus quomodolibet in futurum: Volentes & di-

ſtrictè præcipientes: ut omnes & ſinguli Officiales Terreſtres & Caſtrenſes, Diſtrictûs prædicti Drohicien: pro tempore exiſtentes, qui libet eorum pro ſuo intereſſe, Nobiles & Terrigenas noſtros prædictos, ad cuiuſcunque inſtantiam, videlicet tam Nobilis, quàm ignobilis, Rutheni, Iudæi, Armeni, Chriſtiani, & Pagani, Citatos, ac Literis Citationum interceſſis, non niſi ſermone & characteribus latinis, iuxta conſvetudinem Iuris Terreſtris Polonici conficiendis legitimè evocatos, pro cauſis tam parvis quàm magnis, nullis excluſis, ſecundum hoc idem Ius Polonicum, & ordinationes in Libris Statutorum Regni noſtri Poloniæ ſpecificè contentas, non aliter quàm nunc & in futurum iudicarent temporibus æviternis. Et quamvis Iure ipſo Polonico laudabiliter proviſum ſit: ut in ſingulis Terris eiuſdem Regni noſtri, homines poſſeſſionati & indigenæ, ex incolis cuiuſlibet Terræ, ſeorſim & non extraneæ perſonæ ſingulis Officiorum Terreſtrium & Caſtrenſium in caſu vocationis præficiantur in hactenus: pro maiori tamen cautela & securitate prædictorum ſubditorum noſtrorum Drochicien: præſenti Privilegio noſtro id ipſum ſingulariter inſtruimus & ordinamus: ut in eodem diſtrictu Drohicienſi, huinſmodi Officiales Terreſtres, per liberam electionem indigenarum, & univerſorum Nobilium conventionaliter congregatorum de Iure communi Regni fieri ſolitam, ad eadem Officia ſua, toties quoties per deceſſum vacatura, non niſi cum ratihabitione noſtra Ducali, ſucceſſorumque noſtrorum Magni Ducatûs Lithwaniæ Ducum: Caſtren. verò pro arbitrio noſtro duntaxat, ex eiſdem incolis & indigenis Diſtrictûs prædi Drohicien: per nos & ſucceſſores noſtros Lithwaniæ Duces, (dummodò uterq; ipſorum Officialium Romanæ religionis eſſent) deinceps inſtituerentur: de omnibus & ſingulis Cauſis ſubditorum noſtrorum prædictorum coram ſe legitimè exortis, motis, & movendis, ſtatutis á Iure temporibus, modô præmiſſô cognituri, confirmantur eſſe. Nihilominus in hoc moribus & conſvetudinibus approbatis & approbandis Terræ Cracovien: tam diu, quoadusque omnes aliæ conſvetudines Iudiciariæ univerſarum Terrarum Regni noſtri prædicti, per nos vel ſucceſſores noſtros Poloniæ Reges, aut eos, quorum intereſſet invicem coæquarentur. Caſu verò quo aliquis Terrigenarum noſtrorum Drohicien: prædictorum, aut quiſpiam alius in Iudicio Terreſtri vel Caſtren. Drohicien: ſententiam contra ſe láram reportaverit: quâ mediante crederes ſibi quomodolibet præiudicatum iri: extunc inſtituimus & ordinamus: ut ineiuſmodi præiudicio, liceat unicuiq; taliter condemnato, a ſententia Iudicis & Capitanei noſtrorum prædictorum, velut iniqua & erronea, ad nos & ſucceſſores noſtros Lithwaniæ Duces, cum parte ſua adverſa legitimè appellare: & coram nobis ſucceſſoribuſque noſtris, cum eadem parte adverſa iuſtitiam ſuam experiri meliorem, Iudi

ce

ce & Capitaneo illæſis, quietiſque propterea manentibus: prout in terris Mazoviæ, & præſertim in Terra noſtra Plocen: teneri & obſervari eſt conſvetum. De pœnis verò Iudicalibus, per partes victas legitimè luitis, ad ſortem noſtram, & ſucceſſorum, Officialiumq; noſtrorum, & etiam partis vincentis, ex vi perlucrorum, vel quomodolibet aliter ſpectantibus, per Officiales noſtros Caſtrenſes, & Terreſtres, præſentes & futuros Drohicien: exigendis, ac de Kmethonibus eorundem Terrigenarum noſtrorum, Drohicien: foventur manu tenentur. Mellificijs quoq; ſeu Apiaſterijs, ac iniuriarijs & damnis quomodolibet inde ſecutis, & iuſtitia vicinis, cum ſubditis Nobilium & Terrigenarum pro quacunq; re miniſtranda, cuiuſcunq; ritûs utrinq; aut conditionis eſſent necnon captivandis & non evocandis ad quodcunque Iudiciorum noſtrorum eiſdem Terrigenis de proprio eorum Diſtrictu Drohicien: pro quibuſcunq, eorum exceſſibus, totoq; proceſſu Iudiciario, ac Inſcriptionibus, & alijs rebus quibuſcunque, per ſingulos Iudices & Capitaneos noſtros Drohicien: pro tempore exiſtentes, non aliter volumus obſervari: niſi quemadmodum Iure ipſo Polonico iuxta Conſtitutiones prædeceſſorum noſtrorum, in toto Regno hactenus teneri & obſervari ſolitum eſt, ac conſvetum. Ordinamus etiam ac inſtituimus, ut in ſingulis Citationibus Literalibus, Terreſtribus Sigillum Terreſtre Diſtrictûs Drohicien: infra depictum, equum ſellatum uno homine armato, Litera ſacra ad perpetuàm memoriam nominis noſtri præcincto, in ſe continens, applicaretur, ſubimprimereturq, toties quoties fuerit opportunũ. Quod quidem Sigillum ſupra deſcriptum, præſenti Privilegio noſtro ipſi Diſtrictui Drohicien: & Incolis eius pro tempore exiſtentibus, quo ad præfatam neceſſitatem Iudiciariam, ac pro armis Terreſtribus Drohicien: de noſtræ celſitudinis clementia tribuendum: concedendumque duximus, prout tribuimus & concedimus perpetuis temporibus, per eos quorum intereſt obſervandum. Vt itaque præmiſſa omnia per nos conceſſa, robur obtineant perpetuæ firmitatis: præſentes Literas noſtras ſcribi, Sigillique noſtri Magni Ducatûs Lithwaniæ iuſſimus & fecimus appenſione communiri, Actum & datum Vilnæ die Dominico Lætare Anno Domini 1516. præſentibus ibidem Reverendo in Chriſto Patre Domino Alberto Epiſcopo, ac Magnificis & Generoſis Nicolao Radziwiłowic Palatino Vilnenſi, & Cancellario, Gregorio Oſczykowic Trocenſi, & Marſſalco Curiæ, Alberto Gaſztold Polocenſi, Ioanne Zabrzezinski Novogrodenſi Palatinis. Andrea Dowoynowic Succamerario, Georgio Chlinicz Capitaneo Brzeſtenſi, Ioanne Sczytowic, Nicolao Iundylowic, & Ioanne Hlebowic Marſſalcis: ceteriſq; dignitarijs & Officialibus Curiæ noſtræ, circa præmiſſa teſtibus fide dignis, ſincerè nobis & fidelibus noſtris dilectis. Datum per manus præfati Magnifici Nicolai Radziwiłowic Palatini Vilnen: & Magni Ducatûs Cancel-

larij, ſincerè nobis dilecti. Sigiſmundus REX ſignificat.

Relatio eiuſdem Magnifici Nicolai Radziwiłowic Palat: Vilnen: & Magni Ducatûs Lit: Cancellarij

Item Bielſcen. Diſtrictus, Iure Polonico adſcribitur.

IN Nomine Domini, Amen. Ad æternam rei memoriam. Sigiſmundus Auguſtus Dei gratiâ *Rex* Poloniæ, Magnus Dux Lithwaniæ, Ruſſiæ, totiuſque Pruſſiæ, Samogitiæ, Mazoviæ, &c. Dominus & hæres. Significamus tenore præſentium, quibus expedit univerſis, præſentibus & futuris, harum notitiam habituris, Quia cùm in hoc Conventu generali, ex clementia noſtra ſingulari, ad petitiones ſupplicationeſque univerſorum Ordinum, Magni huius Ducatûs noſtri, Privilegia omnia & ſingula á maioribus noſtris habita, omnium hominum incolarum eiuſdem approbaverimus, id quod ex Literis ſeu diplomate noſtro, ſuper iis per nos illis dato & conceſſo videre eſt. Tamen cùm eſſet nobis ſpecialiter ſupplicatum nomine univerſæ Nobilitatis Terræ Bielſcen: & Territorium eius per quoſdam è medio eorum, videlicet Ioannem Mienski, & Martinum *Wiſz*enski Ialbrzyk, huc ad præſentem Conventum miſſos. Quia quamvis habeant privilegium ex conceſſione Sereniſſ: olim Alexandri *Regis* Poloniæ, & Magni Ducis huius Ducatûs noſtri Lithwaniæ, Patrui noſtri deſideratiſſimi: quibus illis permiſſum fuerat: ut conſvetudinibus & Iure Polonico uterentur & gauderent: prout & hactenus uſi ſunt & gaudebant. Sed quia in eiuſmodi Privilegio eſſent quædam, quæ á Iure, Legibus, & conſvetudinibus Polonicis diſcrepant & diverſa ſunt: quare ſummo ſtudio à Iure, Legibus, & conſvetudinibus Iuris Polonici, quo ipſi ſic utuntur, diſcreparent, & diſconvenirent, potiùs illis permitteremus: ut in univerſum, & ut dicitur totaliter, & plenè, conſvetudinibus & Iuribus Polonicis uterentur, ipſi & eorum poſteritati perpetuò Quorum nos ſupplicationibus clementer annuentes, & inhærentes maiorum noſtrorum Magnorum Ducum Lithwaniæ veſtigiis: volenteſque eoſdem obligatores & alacriores ad optimè de nobis, & Reipubl: huius Magni Ducatûs noſtri Lithwaniæ benè merendum facere: cum univerſo Senatu noſtro Decernimus, ut deinceps ſemper perpetuis temporibus univerſa Nobilitas, incolæ Terræ Bielſcenſis, & eius Territorium ſeu Diſtrictu um omnium gaudeant & utantur Iuribus, Legibus, & conſvetudinibus Polonicis, perinde atque Nobilitas Terræ ſeu Diſtrictûs Drohicien: ex ſpeciali conceſſione maiorum ſeu prædeceſſorum noſtrorum, felicis memoriæ Magnorum Ducum Lithwaniæ, ex prærogativis ipſis datis conceſſis, & legitimè emanatis, (quas & hic volumus habere pro expreſſis) hactenus utitur & gaudet. Decernentes inſuper: omnes alios quoſcunque

quoſcunque abuſus, iſthic contra Leges, Conſtitutiones, & Iura Polonica hactenus exiſtentes. & ſive ex Privilegijs aut conſvetudine ſeu potius deſvetudine aliqua, aut improbitate etiam aliquorum Officialium aut cuiuſvis Magiſtratûs, ſive quacunque alia ratione exceptos, ſpecificatos vel reſervatos, & introductos, eſſe tollendos, & abrogandos: prout eoſdem per præſentes tollimus & abrogamus perpetuò. Volenteſq; deinceps ſemper futuris perpetuis temporibus, univerſos & ſingulos Dignitarios ſeu Officiales, Terreſtres & Caſtrenſes, & alios quoſvis præſentes & futuros, iam conſtitutos & in poſterum conſtituendos, non aliter ſe debere, nec poſſe gerere erga illorum Territoriorum incolas, quàm ſecundùm præſcriptum Iurium, Legum, & Conſvetudinum Polonicalium præſentium & futurorum, quibus Diſtrictus Drohicienſis gaudet. Alioqui ſi quid in contrarium fuerit in præmiſſis per quempiam hominum attentatum: id Decernimus nullum & invalidum: eiuſq; modi attentatores, pœnis ſeu mulctis in Iuribus Polonicis conſtitutis & contentis, puniendos & mulctandos ſemper perpetuò. In quorum omnium fidem & teſtimonium præmiſſorum, Sigillum noſtrum eſt, appenſum. Datum Vilnæ in Conventione generali, die vigeſima tertia menſis Februarij. Anno Domini 1547. Præſentibus Reverendiſſimis in Chriſto Patribus, & Magnificis dominis, Strenuis ac Generoſis Militibus, Paulo Vilnenſi, Georgio Luceorienſi, Venceslao Medcinenſi, Epiſcopis. Ioanne Hlebowic Palatino Vilnenſi, Cancellarioque noſtro, & Tenutario in Bobroysko & Boryſzow, Gregorio Oſczykowic Caſtellano Vilnenſi, Tenutario Vpitenſi, Ioanne Iuryowic Duce Dobrowicenſi, Palatino Trocenſi, Tenutario Mobilowienſi, Hieronymo Chodkiewic Caſtellano Trocenſi, Capitaneo Samogitienſi, Nicolao Ioannis Radziwił, Marſſalco Terreſtri, Tenutario Szowlenſi, Stanislao Dowoyno Polocenſi, Alexandro Chodkiewic Nowogrodenſi, Stanislao Petri Kiſzká de Ciechonowiec Viteblienſi, Palatinis. Andrea Scaguskowic, Duce de Koſzyr, Capitan: Luceorienſi, Ivano Harnoſtay Marſſalco Curiæ, & Theſeurario Terreſtri, Præfecto Slonimenſi, Nicolao Georgij Radziwił Pocillatore, Ioanne Radziwił Structore menſæ, Stanislao Nicolai Kiezgal Dapifero, Gregorio Chodkiewic Succamerario, Nicolao Petri Olechnowic Gladifero, Nicolao Andruſzowic Præfecto equiſonum noſtrorum, Tenutario Oźenſi & Perelomenſi, Nicodemo Ioannis á Ciechonowiec Melnicenſi, Nicolao Alberti Narbuth Krevenſi, & Mozirenſi, Præfectis, Marſſalcis, aliiſq; Officialibus, Dignitarijs, ac Conſiliarijs noſtris fidelibus nobis ſincere dilectis.

§ Similiter Diſtrictus Mielnicenſis, Regno Poloniæ incorporatus eſt eius tamen Privilegij copiam habere non potui.

VVLNVS, SEV VVLNERATVS;

Si quis coram Rege aliquem vulneraverit, vel coram Capitaneo.

Kazimirus Viſtic. 1368 Folio 89.

INſuper Statuimus: ſi quiſpiam coram nobis gladium, vel cultellum extraxerit: & aliquem vulneraverit: ſine gratia puniatur; ſi autem extraxerit: & non vulneraverit: in gratia noſtra conſiſtat. Et idem, ſi coram Capitaneo noſtro hoc factum fuerit, Decernimus obſervandum

Vulnera quomodo olim per Miniſterialem conſpiciebantur, & per teſtes totales probabantur: & quòd vulneratus luet pœnam, ſi vulnera non probaverit, pro quibus citat.

Kazimir: in Nieſzovva, 1454. Folio 94.

ITem Statuimus: Quòd ſi quis Citabit, ſeu evocabit aliquem ad Iudicium, pro vulneribus: Miniſterialis ad inſtantiam vulnerati, vulnera conſpiciat debitè: qui ſuper Miniſterialis recognitionem vulnerum ſuorum, coram Iudicio debet docere teſtibus totalibus, ſuper vulnera ſua Qui ſi docere non poterit: extunc idem vulneratus, luet Iudicio Regalem pœnam, dictam Septuaginta, aliàs *Siedmnadzieſta*: & parti adverſæ pœnam, dictam Quinquaginta, aliás *Pietnadzieſta*,

Sed iam non miniſteriali, verùm Officio Capitaneali, aut Iudicio Terreſtri vulnera oſtenduntur: quorum Actorum reſcripto, at& cum duobus teſtibus Actoris Iuramento, vulnera probentur.

Sigiſ. Petr. 1538. C3.

PRætera accidere frequentiùs ſolet: ut Citati pro capite, aut vulneribus, ad evitandam pœnam, pro capite & vulneribus debitam, viciſſim Actores multis Citationibus pro vulneribus Citare ſolent. Ad extirpandam igitur hanc impediendæ Iuſtitiæ artem, Statuimus: Vt vulneratus cruentis vel lividis vulneribus, vulnera in recenti, quamprimum potuerit, Officio Capitaneali, quodcunq; proximiùs percuſſo fuerit, aut Iudicio Terreſtri illius diſtrictus oſtendat: & teſtata per ſe faciat. quæ ſic oſtenſa, & eorum qualitas, in Acta Caſtrenſia, aut Terreſtria, in Terminis Terreſtribus illius diſtrictus ſcribantur & in eo teſtimonio, velut autentico, & ſufficienti, Actor Reum tutò, & citra calumniam, in foro Iudicij Terreſtris, mettertius cum ſibi ſimilibus iurans more antiquo convincere poterit.

De Nobilibus, aut Kmethonibus Spiritualium vel Nobilium occiſis vel vulneratis, in civitatibus, Ius Polonicum eſt dicendum.

Kazimir. in Nieſzovua, 1454. Folio 95.

ITem Statuimus: Quòd cives civitatum noſtrarum, Nobilium & Spiritualium, pro vulneribus, & homicidio, Ius Polonicum, hominibus villarum

villarum noſtrarum, Spiritualium & Nobilium, miniſtrare tenebuntur.

De eodem

Sigiſ. Petri. 1538. A 5.

DEcernimus: ut deinceps, ſecundùm antiquas Regni noſtri Conſtitutiones, de occiſis ſeu vulneratis Nobilibus, aut eorum Kmethonibus, in omnibus civitatibus & oppidis noſtris Regijs, Spiritualiumq; & Secularium dominorum, non Iudicium civile, ſed Terreſtre & Polonicũ, ſervetur & locetur. Vbi verò civile Ius fuerit á civibus in hac re ſervatum: pœna quatuordecim Marcarum pecuniæ, cives ipſi parti ſolvenda puniantur: Iure Terreſtri, toties quoties opus fuerit, peremptoriè exigenda.

Actori pro membrorum mutilatione, incumbit cum duobus teſtibus probatio quum annum integrum tacuiſſet.

Kazi. Viſtic Folio 20.

PEtrus conqueſtus eſt de Ioanne: quòd ipſum quatuor digitis in manu mutilaſſet. quod Ioannes ſe feciſſe negavit. Et quia idem Petrus, pro eadem mutilatione, poſt annum elapſum, ſatisfactionem habere petebat: Nos itaque in tali caſu, eundem Petrum mettertium pronunciamus iuraturum: Quòd prædictam mutilationem digitorum quatuor, habuit á Ioanne.

Qui vulnerat aliquem, vitam ſuam defendendo.

Kazi. Viſtic. Folio 17.

ACcepimus: quòd Petrus inſequendo Ioannem, graviter in platea vulneravit: quòd cùm Ioannes in Iudicium deduxiſſet: Petrus licèt confiteatur ſe Ioannem vulneraſſe: tamen ſe aſſerebat hoc feciſſe, neceſſitate compulſum per ipſum Ioannem: qui ab initio, & antea, ipſum Petrum vulneraverat. quod idem Petrus offerebat ſe probaturum. Nos itaque in tali caſu Decernimus: ipſius Ioannis probationem eſſe admittendam, ſuper eo: Quòd dum in platea Petrus ipſum Ioannem inſequeretur, vulneraverit: cum dictus Petrus, non vitam defendendo, ſed iniuriam ſibi aliàs illatam ulciſcendo, Ioannem noſcitur vulneraſſe.

Æſtimatio mutilationum, ac vulnerum, Nobilibus inflictorum

Kazimirus Viſtic. 1368 Folio. 22.

MIlitem mutilans in pede, manu, naſo, quindecim Marcas: in pollice verò mutilans, octo Marcas: digitorum verò quemlibet alium amputans, tres Marcas Groſſorum ipſi mutilato, vel in digito læſo, (ut ſupra dicitur) ſolvere teneatur. Pro qualibet autem vulneratione præ dictorum membrorum, vulnerato pœna, quæ dicitur *Piatnadzieſta*, perſolvatur.

De eadem mutilatione, vulnerumq; æstimatione maiori

Ibidem. VT violentorum audacia refrenetur, Statuimus: Quòd dum Miles parem sibi Militem mutilaverit: pro mutilatione membri cuiuslibet triginta: & pro simplici vulnere, quindecim Marcas solvere teneatur

De percussionibus Militum, Nobilium, & Kmethonum, sine sanguinis effusione.

Kaz. Vislic Folio 27. IN percussionibus Militum, ac aliorum nostrorum subditorum, istum in pœnis modum exigendis volumus observari. Si Miles Militi, aut Nobilis Nobili, plagam vel ictum dederit, absq; sanguinis effusione: Nobili, cui illata fuerit talis percussio, pœna quæ dicitur *Piath nadzieſta*, per inferentem & lædentem debet assignari. Si autem illi inferatur, qui non habet Ius Militare: tunc Marca Grossorum, pro tali vulnere: Kmethoni verò *Sześć Grzywien*, aliàs pœna sex Scotorum, per inferentem debet solvi.

De villano Militi, aut Nobili plagam inferente: & de capite atq; vulneribus eorundem

Kaz. Vislic. Folio 29. MIliti, pro una plaga vel pluribus, á Kmethone facta vel factis, pœna quindecim, aliàs *Piathnadzieſta*, percussio: & Iudicio alia similis pœna, persolvi teneatur: si verò fuerit baculo cruentatum vulnus illatum: sicut pro gladiali vulnere, declaramus satisfaciendum. Pro capite verò Militi famoso, aliás *Slàchćie*, 60 Marcæ, Scarrabello, 30 Marcæ: Militi autem creato de Sculteto, vel de Kmethone, 15. Marcæ pro capite. Item Militi *Slàchćie*, pro vulnere, decem Marcæ: Scartabello verò quinque Marcæ: Sculteto, vel Kmethoni, factis militibus, tres Marcas Statuimus pro vulneribus esse persolvendas.

Si Plebeius occiderit aut vulneraverit Nobilem, qui dederit vel non dederit illi occasionem invadendi se.

Sigis. 1532. A 3. PLebeius Nobilem occidens, cui nullam causam, vel occasionem se invadendi Nobilis præstiterit: nec initium contentionis, vel percussionis cum eo fecerit, pœna capitis puniatur: vulnerans verò Plebeius Nobilem: cui similiter occasionem se vulnerandi Nobilis non præbuit, pœna capitis puniatur. hoc tamen intelligi debet, de vulnere gravi: ex quo sequitur mutilatio, vel invaliditas alicuius membri Nobilis vulnerati. Quòd si nulla ex huiusmodi vulnere mutilatio, & invaliditas membri consequetur: pœna pecuniaria secundùm antiquum Statutum Plebeius puniatur. At ubi Nobilis causam, & occasionem occisionis, vel vulnerationis suæ Plebeio præbuerit: punietur Plebeius secundùm antiqua Statuta, de vulnerato, vel occiso Nobili condita. Vt autem

autem constare Iudici possit: data nec ne fuerit Plebeio causa, vel occasio vulnerandi Nobilem, quilibet Nobilis Plebeium de vulnere, aut nece accusans, probare teneatur suo, & duorum sibi similium Nobilium corporali Iuramento, id quod asserit verùm esse: expresè hoc verbis nun cupans: quòd non ex initio à se facto, neque ea usâ aut occasione per se datâ, Plebeius illum vulnere seu nece affecerit, alioquin Nobilis in huiusmodi probatione deficiens, non poterit Plebeium in pœnam superiùs expressam injcere. Nihilominùs tamen Plebeius vulnerans quomodocunq; aut occidens Nobilem, pœna in antiquis Statutis præscripta punietur. Hoc autem Statutum cùm sit pœnale, ad tres duntaxat annos valere, & observari debere Decernimus.

Licet amicus amicum, iodando seu lueendo vulneraverit: tamen læso pro vulnere satisfaciat.

ITem Bartholdus deposuit contra Andream: quòd ipsum vulneraſſet. Andreas confessus est, seipsum Bartholdum vulneraſſe: dicens se invitum, & nolentem feciſſe: solatijq; causa: prout amici plerumq; assolent facere, iocando. Nos igitur auditâ ipsius Andreæ confessione: attendentes quòd ludus non debet se extendere ad aliquam læsionem, seu vulneris offensionem: ipsum Andream in tali casu, Decernimus Bartholdo ad vulneris satisfactionem condemnandum. *Kaz. Vislic Folio 29.*

De extinctione candelæ, & vulneris incussione.

QVErelam Egidius proposuit contra Falconem: quòd dum in domo ipsius Egidij facta fuisset in sero contentio quædam: ipse Falco superveniens candelam suffocavit, & extinxit. quâ extinctâ, Egidius nescit, nec scire potest, per quem, in illa contentione & discordia, fuerit vulneratus: licet Faleo extinctionem candelæ confitetur: tamen ipsum Egidium vulneraſſe negat. Nos itaque, á prædicto Egidio Actore Iuramento recepto, Quòd in prædicta candelæ extinctione, nescit per quem vulneratus sit: ideo Falconem prædictum, quia extinctione candelæ vulneri præstitit occasionem, in vulnere duximus condemnandum *Kaz. Vislic Folio 24.*

Vulneratus in discordia admittet, ad Iuramentum eum, quem accusat, & hoc, si ille Citatus ipsum Actorem se ipsum vulneraſſe assereert, alioqui, Actori probatio esset decernenda.

QVerelam Petrus deposuit de Ioanne: quòd ipsum vulneraſſet. Ioannes verò constanter asserebat: quòd Petrus seipsum vulneraſſet. quod offerebat se legitimè probaturum. Nos autem in tali casu duximus distingvendum: Quòd si in contentione & discordia, Ioannes asserit Petrum seipsum vulneraſſe: tunc Ioannis probationes sunt admit- *Kaz. Vislic Folio 27.*

tendæ. Si autem extra omnem contentionem & discordiam, Petrus esset vulneratus: tunc (ut est moris,) dicimus, Petri Iuramentum fore & esse admittendum.

De Kmethone vulnerato.

Kaz. Vislic. Folio 222 VVlnerans Kmethonem, eidem vulnerato unam Marcam: Domino autem ipsius, si vulnerans & vulneratus unius domini fuerint, unam Marcam integram, ipse vulnerans pro pœna solvere teneatur. Si verò vulnerans, & vulneratus, duorum dominorum fuerint: inter ipsos Marca huiusmodi pœnalis dividitur.

Pro vulnere verò livido Kmethoni sex Scoti dantur.

Idem Rex Folio 7. PRo tali vulnere, absq, sanguinis effusione, Kmethoni *sześć Grzywien* aliàs pœna sex Scotorum, per inferentem debet solvi.

Sed duæ læso, tertia verò pars pœnarum, pro vulneribus Kmethonis decretarum Iudicio cedat.

Ibidem VT pœnarum distinctio, & legitima divisio habeatur: si Kmetho vulneratur, cum sanguinis effusione, aut percutitur enormiter: de omnibus pœnis, pro vulneribus aut percussionibus sententiatis, duas partes læso: tertiam autem Iudicio, ubi causa agitatur, dare demandamus

§ Qui invadit domum alterius manu violenta, & vulneratur, aliosq, vulnerat in illa domo, Vide in Tit. INVASIO DOMVS Folio: 222.

VVLPES.

Sigis. Augu. 1557. CAtulos vulpium nemo ex nidis tollere audeat. Apud quem verò reperti fuerint, pœna decem Marcarum puniatur: ijdemq, catuli in sylvas liberè dimitti debeant.

VXOR.

Vxor viro nihil inscribat, sine amicis.

Consvetudo terræ Crac. 1505. Folio 121. ITem uxor marito suo nihil inscribat, sine consensu amicorum, & si inscribit: illud nullius roboris sit.

Consensus uxoris requiritur ad vendenda bona, in quibus ipsa habet Reformationem.

Sigis. Petri. coviæ 1523. Folio 44. ETsi venditor haberet uxorem. cuius reformatio extenderet se ad talia bona vendita: constituetur per maritum ad Acta: & cum consensu amicorum, ad minus duorum, ex linea paterna Consanguineorum, consentiet ad talem Inscriptionem, quoad eius Reformationem:

De

De eodem.

Sigis. Crac. 1543. SI verò is, qui venderet, obligaret, aut quocunq, alio modo inscriberet, alienaretq, bona sua, habuerit uxorem: tum eandem tenebitur cum amicis eius, ad renuntiationem Doti eidem inscriptæ, adducere. quæ adducta recognoscet, se Inscriptioni suæ Dotali renuntiare, cum amicorum consensu.

De uxore, & Parafernalibus: circa quæ debeat remanere, post mariti mortem.

Kazim. Re Folio 29. STatuimus: Quòd maritô mortuô, uxor circa Donationem & Dotem, & quælibet Parafernalia, in pecunijs, gemmis, lapidibus, & vestibus superextantibus, & remanentibus, debeat remanere. ipsâ autem mortuâ, ad liberos (si ipsos habuerit) prædicta omnia bona devolvantur. Quæ mulier, habendo pueros, si alium virum receperit vel recipere voluerit: Decernimus: quòd tantùmmodo ad eosdem pueros, omnia bona paternalia integraliter, cum alia parte, ipsos in divisione, concernente, quorumlibet bonorum maternalium, in quibuscunque rebus consistant, absque aliqua contradictione devolvantur. & cum alia residua suorum bonorum parte, maritum accipiat, iuxta suam voluntatem.

§ De Dote, per consanguineos mortuæ mulieris, a marito repetenda, Vide in Titulo Dos Folio 246.

ZVPPÆ.

§ Vide in Titulo SAL Folio 375.

STATVTORVM REGNI POLONIÆ IN ORDINEM ALPHABETI DIGESTORVM

FINIS.

Stanislaus Skrżiłżovius benevolo Lectori S.

Quemadmodum à Sacra Regia Maiestate, ex rescripto iniunctum mihi vides, ut ad pristinam editionem hanc novam conferrem, id ea fide & diligentiâ præstitum à me est, quæ in negotio publico, & Regia authoritate, fidei meæ credito, adhiberi debuit. Hìc alias aliquot leges subiecimus, à Ioanne Felice Herburto Ioannis F. acceptas, ex veteribus quidem & exceptione maioribus, legum codicibus excerptas, sed in paterno codice, nescio, quo casu omissas: tu boni consule, & vale.

Citationes suorum subselliorum sigillis signentur.

CIT. *Alexand. in Radom 1505.*

COnformare cupientes terras Capitaneatûs Maioris Poloniæ terris aliorum Capitaneatuum Regni nostri, Statuimus: quòd in Maiori Polonia Citationes Iudicij Terrestris deinceps non emanabunt sub titulo Capitanei, sed sub titulo nostro & Successorum nostrorum, & Sigillo Terrestri, super Iudicijs autem Capitaneatûs, sub titulo & Sigillo Capitanei emanare & dari debebunt.

Conventus Vrzendovien: transfertur Lublinum

CON. *Sigis. Craco. Anno 1532.*

CElebrationes Conventuum particularium Terræ Lublinen: transferi Mandabimus, iuxta petitionem Nobilitatis per Nuncios Terrestres factam.

Controversiæ per litigantes exhibeantur

CON. *Sigis. Craco. Anno 1543.*

SEd & controversiæ partium plùs iusto maiores & longiores ab Iudicio suscipi non debent: tametsi minores & breviores fieri possint hoc est propositio Actoris, cum eius probationibus literatorijs: si quidem sese eas ostensurum reciperet. Ex parte autem Rei, responsio super Citationem, vel Exceptio, hoc est disceptatio necessaria super aliquo Accessoriorum ante responsionem super negotio principali fieri solita. Item diffinitiva sententia, & si res præterea poscat, Replicatio Actoris, postea Duplicatio Citati: similiterq, Actoris Triplicatio, ac postremo Rei Quadruplicatio suscipiatur, non ampliùs. Quæ quidem omnia quilibet Iudex moderabitur, ut ne Controversiæ in longum trahantur, tametsi breviores esse poterint, in facilibus præsertim causis, quando non disceptatur de probationibus contrariarum literarum.

Proventus integrè Dignitarijs extradantur

DIG. *Sigis: Craco. Anno 1532.*

VTcunque persvasum sit nobis, proventus, Officialibus & Dignitarijs quibusvis debitos, per eos quorum interest iutegrè solvi solere quia

quia tamen nonnulli in præsenti Conventu se in solutione proventuum huiusmodi negligi sunt questi: Mandabimus prout & Mandamus præsentibus universis ad quos huiusmodi proventuum solutio pertinet, ut illis, quibus ipsi proventus debentur, citra omnem moram extradantur

Capitaneus pro particula fundi non iudicet.

EXP. *Sigis. Crac. Anno 1539.*

CRebris sæpè subditorum nostrorum Nobilium querimonijs solicitati, ut in Capitaneorum Iudicijs & Officio, nihil in illos statuere permittamus, quàm quod deceat, & ad illorum Iudicium & Officium in articulis Iudicij & Officij, Statuto expressis pertineat, decreto præsentis Conventus Sancimus, ut Capitanei, iniurias de rebus minutis, iugeo, pratis, & id genus particula Vniversitatis bonorum non iudicent, sicut de violenta expulsione. Et ut cesset mos ille scribendi & Citandi cum dictione PRÆSERTIM. Sed Officium & Iudicium suum intra metas Statuti de articulis Iudicij ac Officij Capitan: expressas tantùmmodò iudican: contineant.

Fugitivi Arrestentur.

FVG. *Sigis. Crac. Anno 1532.*

ARrestandi Colonos seu Kmethones fugitivos in Terris Russiæ, cùm nunc certum modum reperire & constituere ante omnium Iurium Regni nostri correctionem nequeamus. Volumus & censemus, ut interea, quàm iura omnia corrigentur, & in unam formulam reducentur, observetur modus arrestandi Kmethones iuxta formulam in Statutis novis, seu Iudiciario processu contentam.

Temporibus certis & iuxta Statuta iudicetur.

IVD. *Sigis. Crac. Anno 1532.*

QVamvis sciamus id, quod cuiusq; Iudicis Officio in celebrandis Iudicijs Terrestribus & Castrensibus incumbat. Quia tamen præter officium multa committi per Iudices, à subditis nostris edocti sumus, Mandavimus & Mandamus omnibus in officijs Iudiciarijs constitutis, ut iuxta formam Statutorum, Iudicia temporibus statutis celebrent, & ad alia temporá inconsveta illa non transponant, sub pœnis in Statutis expressis contra eos editis.

Iudicia publicata non reclamentur.

IVD. *Sigis. Petric Anno 1538.*

NE subditi nostri in assequenda Iustitia impediantur aut negligantur Statuimus: ut Iudicia Terrestria, quæ fuerunt Præconis voce publicata, per Palatinos locorum transponi in aliud tempus non debeant, ne-

que possint. Vbi verò Palatinus, aut Iudex, seu alter Officialis, ea ipsa Iudicia proclamata, ut non celebrentur, quomodocunque sive transposuerit, sive aliter impediverit: talis pœna centum Marcarum pecuniæ puniatur. Cuius medietas nobis, altera parti, ea in re iniuriam sustinenti cedet-

Rex admonebit Capitaneos ut malefactores coerceant.

MAL. *Sigis. Craco. Anno 1532.* IN eo quod petitum est, ut diligentiores fiant Capitanei locorum in coercendis malefactoribus Capitaneatuum suorum: dabimus literas ad eos Capitaneos, qui in exercendis, quæ ad eorum Officium & debitum spectant, censerentur esse negligentiores.

Steriles libere bonis disponant.

STE. *Sigis. Petri. Anno 1511.* QVia Iure Divinô & humanô permissum est, hominibus disponere de rebus suis pro eorum arbitrio & voluntate: Statuimus quòd steriles homines, omnia bona sua hæreditaria, possint alienare iuxta suam voluntatem.

INDEX OMNIVM TITVLORVM TOTIVS STATVTI IN ORDINE MAL-PHABETI DIGESTI.

A

Abbates. Folio 1
Absentes 4.
Accessoria 5
Actiones Ibidem
Actor 6
Actoratus 9
Actorum libri Ibidem
Avitalitas 12
Æger 13
Ager Ibidem
Alienatio Ibidem
Alveus Ibidem
Annatæ Ibidem
Anni discretionis 14
Annus gratiæ Ibidem
Apes Ibidem
Appellatio 15
Arbor fructifera 17
Archiepisc: Gnesn: Ibidem
Arrestatio Ibidem
Aromata 18
Aromatarij 19
Avena 20
Aureus nummus Ibidem

B

Banitio Folio 21
Bellum Ibidem
Bona Regalia 41
Boves 48
Burgrabij Ibidem

C

Calumnia & Calumniator Folio 49
Camerarij. Folio 50
Cancellaria
Capitanei Ibidem
Cardinalatus. 57
Castellani 58.
Castra 61
Causa quis cadit, Ibidem
Causæ ad Conventionem devolutæ 62
Canis Ibidem
Celeritas Ibidem
Census perpetui solo annexi Ibidem
Cerevisia 63
Citatio Ibidem
Civis. 76
Coadiutor 77
Columbatio 78
Colloquia Ibidem
Comitia 84
Commissarij seu Commssiones 86
Complices 89
Condemnatio 90
Confirmatio Iurium 91
Consensus super bona Regalia 100
Constitutio Ibidem
Consuetudo 102
Contumacia 103
Contributio 104
Corylus 115
Cortesani Ibidem
Clericus 117
Crimen læsæ Maiestatis Ibidem
Criminales causæ Ibidem
Crinile Ibidem
Curialis Citatio Ibidem
Curras Bellici Ibidem
Cutes, 118

D

Damnum Folio 118
Debitum Ibidem
Decretum 119
Decimæ, 120
Deliberatio, 129
Dignitates seu Officia Ibidem
Dilatio Terminorum, 134
Divisio bonorum Ibidem
Divortium 135
Donatio Ibidem
Dos, seu Dotalitium, Ibidem

E

Ecclesia, in, Spiritualis
Electio Regis 140
Emporium 149
Equus 150
Evictio 151
Evocatio ê districtu, 152
Exemptio bonorum 153
Exceptio, Ibidem
Excommunicatio Ibidem
Expeditio in Bellum, Ibidem
Expectativæ, Ibidem
Expulsi, quomodo restituuntur in bona, Ibidem
Extinctio candelæ Ibidem

F

Factor, Folio 124
Falsator, 155
Fenum, Ibidem
Fera actâ, 156
Fideiussor, seu fideiusso. Ibidem
Filius, 158
Filiæ quæ hereditant, Ibidem
Fiscus, 159
Fora seu Targi Ibidem
Formulæ inscriptionum 160
Flumen, Ibidem
Fratres, 164
Fraternitas, 166
Frumentum, 167
Fruges, 168
Fumalia, 169
Fures, 172
Furtum, 174

G

Golotæ & Inquilini Folio 175
Gladius districtus, Ibsdem
Guerra, 176

H

Hæreticus, Folio 175
Homicidium 179

I

Impossessionati Folio 187
Incendiarij, 188
Infames qui sunt, 189
Inhibitio, 190
Inscriptio 191
Inscriptionum variæ formæ, 194
Intercessio, 202
Interdictum quadriduanum, Ibidem
Interrogatio, 203
Interregnum, 204
Intromissio, Ibidem
Invasio domùs, 206
Inventa Res 207
Iudex & subiudex Ibidem
Iudicia 211
Iudicatæ rei executio, 215
Iudæi, 216
Iumentum, 226
Iumentorum formæ, 227
Ius, 231
Ius patronatùs 232
Iustitionarius, Ibidem

K

Kmetho 233

L

Lex 241
Lepus, Folio 244
Libertates, Ibidem
Liber Actorum, 246
Limites, Ibidem
Lis pendens, Ibidem
Literæ, 147
Ludus taxillorum, 251

M

Mareschalcus Folio 252
Maternalia bona, 254
Mazovia, 255
Mendici, Ibidem
Mensum, Ibidem
Mercatores, Ibidem
Milites, 257
Ministerialis, Ibidem
Minorennes, 261
Minuta, 263
Midij, Ibidem
Molendinator seu Molendinum Ibidem
Monasterium, 264
Moniales, Ibidem
Moneta, Ibidem
Mortuus citatus, 272
Motio Iudicis Ibidem
Monimenta, 273
Mutuum, Ibidem

N

Nobilis, Folio 274
Nrtarij, 277
Nuncij, 280
Nundinæ, 281

O

Obligatio bonorum, Folio 283
Obstaculum, 284
Officium Castrense, Ibidem
Officij causæ, Ibidem

P

Pabula, Folio 288
Palatini, Ibidem
Pannus, 290
Pastor, Ibidem
Pater, Ibidem
Pax, 291
Pecunia, 292
Pecus, Ibidem
Pœnæ, 284
Perlucra, Ibidem
Pignoratio seu pignus, 295
Pisces, 298
Pixides, Ibidem
Pondus, Ibidem
Porcus, 299
Possessor, Ibidem
Possessionatus, Ibidem
Plantæ, 300
Plebeij, Ibidem
Pratum, 305
Prædones, Ibidem
Præscriptio, Ibidem
Privilegium, 309
Processus Iuris, 325
Procurator seu procuratorium 339
Profugi, 341
Pueri, 342
Pupilli, Ibidem
Prussia, Ibidem

Q

Quercus, Folio 359
Querelarum Termini, 360

INDEX OMNIVM TITVLORVM

R

Raptor Virginum, vel Viduarum, 361
Recognitio, 362
Referendarij, Ibidem
Reformatio, 363
Relatio miniſterialis Ibidem
Renuntiatio, Ibidem
Reſtitutio in bona, 164
Reſtium Literæ, 165
Reus ſeu Citatus & iure victus Ibid.
Rex, Ibidem
Ruſſiæ Ducatus, 167

S

Salaria collegarum Iudicij Folio 370
Salvus Conductus, 373
Sal, 375
Secretarius maior, 391
Secularium cauſæ, 392
Senatorum Ordo, Ibidem
Sententiæ Iudicij, 393
Sepes, 396
Servus ſive fámulus, 399
Sigillum, Ibidem
Sylva, Ibidem
Schola Cracovienſis, 400
Scultetus, 408
Scrutinium, 411
Spirituales, Ibidem
Spinæ, 427
Spolium, Ibidem
Sponſio fidei, Ibidem
Stationes, 428
Statuta, Ibidem
Stipendiarij Milites, 436
Succamerarij Officium, 436

T

Taxatio fundorum Folio 445
Telonium, 445
Theſaurarius atq; Theſaurus, 456
Thronus Regius, 458
Templum, Ibidem
Termini, 459
Teſtamentum, 465
Teſtis, 465
Tribunatus, 467
Torunenſes, 467
Tutor, 468

V

Vadium, Folio 461
Vagi, 461
Venditor ſeu venditio, 477
Vidua, 472
Viæ, 473
Violentia, 477
Villicus, 479
Virgo orphana, Ibidem
Vis, 480
Vladarius, 481
Vlna, 481
Vnio, Ibidem
Vulnus ſeu Vulneratus 500
Vulpes, 504
Vxor, 504

Z

Zuppæ, vide in Titulo SAL.

FINIS. INDICIS.